

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE

— OU —

COLLECTION

DES AUTEURS

CLASSIQUES LATINS

AVEC

COMMENTAIRES ANCIENS ET NOUVEAUX

FRAGMENTS INÉDITS, RECHERCHES, DISSERTATIONS, INDEX, PORTRAITS, CARTES GÉOGRAPHIQUES, PLANS DE SIÈGES ET BATAILLES, TABLEAUX, ETC.

PAR N. E. LEMAIRE,

ANCIEN DOYEN ET PROFESSEUR DE POÉSIE LATINE A L'ACADÉMIE DE PARIS.

IMPRIMÉE PAR DIDOT.

SECONDE SOUSCRIPTION.





PARIS,

ON SOUSCRIT CHEZ M. EHRMANN,

RUE DE LULLI, Nº 1, PLACE DE L'ANCIEN OPÉRA

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
JUL. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

M. T. CICERONIS

PARS TERTIA

SIVE

OPERA PHILOSOPHICA

AD OPTIMOS CODICES

ET EDITIONEM J. VICT. LECLERC

RECENSITA


CUM SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS


CURANTE ET EMENDANTE

M. N. BOUILLET

IN SANCTÆ BARBARÆ COLLEGIO PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

VOLUMEN PRIMUM





PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVIII

M. TULLII CICERONIS
ACADEMICA

NOVI EDITORIS PRÆFATIO.

Hic pauca tantum monebimus de ratione quam in conficienda horum librorum editione instituimus; omnia enim quæ ad historiam textus aut rerum intelligentiam pertinebant, tum in Introductione, tum in Argumentis, Excursibus, et notis abunde explicantur.

Tam multa ad hanc Academicorum recensionem et illustrationem auxilia præsto erant, ut nulla nobis superesset opera, nisi ut optima seligeremus; nobis itaque multo sæpius incubuit, ut vitiosam vitaremus abundantiam, et multa quæ, sive diffusa, sive minus utilia videbantur, excluderemus, quam ut nova de nostro adderemus.

Postquam ex Hülsemanno (Proleg. in Acad. sect. III, p. 42) exposuerimus quid ad illustrandos hos Academicos libros, qui sane inter difficillimos, quos ex antiquitate servavimus, commemorandi sunt, usque ad hanc ætatem tentatum fuerit; indicabimus quas editiones et quæ commentaria nobis potissimum adhibere visum sit.

« Academicæ Dispp. primum editæ sunt Romæ 1471, fol. per Conr. Sweynheim, et Arnold. Pannarts. Post illam ed. principem prodiit Venetiana 1494, fol. Dein excusa est : Jo. Castellani Disp. ad Academicas Cic. Quæstiones, Bononiæ 1558, in-8. In librum primum, Catuli titulo notum, commentarius Hadriani Turnebi sæpius excusus est, quum separatim ex edit. Commelini 1597 posthuma, tum inter Turnebi opera. Alii feruntur commentarii, nempe Jo. Rosæ, Prof. Ienensis,

Francof. 1571, in-8; Andromari Talæi, Basil. 1576, in-4; Petri Fabri, quum separatim, Lugd. Bat. 1601, in-8, tum in ed. Davisii recusus.

« Recentiores sunt editiones hæ : Ciceronis Academica; ex cod. MS Bessarionis, et Recanati, ceterorumque MSS quos vidit Lambinus, Turnebus, Manutius, Gruterus, alii : ad veram lectionem restituta; argumentis et notis criticis illustrata, ab Jo. Franc. Conr. ab Allio; cum commentario omnium Ciceronis interpp. contra vitiosas, quot sunt, fuerunt, editiones (vid. de hoc temerario critico Acta Erudit. ann. 1745, p. 623). Accedit vol. III libri : *histoire de l'Académie des Inscriptions*, ann. 1718; ubi est commentatio de Ciceronis Lucullo, s. Academ. Dispp. libro secundo, quam scripsit abbas *Claude Sallier* (1). Tum, *Académiques de Cicéron, avec le texte latin de l'édition de Cambridge, et des remarques nouvelles, outre les conjectures de Davies et de Bentley; et le commentaire philosophique de Pierre Valentia; par un des membres de la société royale* (*David Durand*). *Londres, chez P. Vaillant,* 1740, in-8. (Iterum recusa Paris. 1796.)

« Porro, M. T. Ciceronis Academica, quæ recensuit, variorum notis suas immiscuit, et Hadriani Turnebi, Petrique Fabri commentarios adjunxit Jo. Davisius, coll. Reg. Cantab. præses. Cantabrigiæ, typis academicis. Sumptibus Crownfield, 1725, in-8 maj.

« Hujus editionis præstantia in collectione variarum lectionum ex codd. novem diversis, et editionibus veteribus consistit; deinde in locis græcis similibus comparandis, ad styli et sententiarum Ciceronis illustrationem; tum in historiæ philosophiæ auctoribus

(1) Idem fere tractat argumentum A. C. *Ranitz*, in Dissert. Lips. 1810 edita, de qua vide infra; Gœr. Introd. pag. 8.

vett. et novis laudandis ad interpr. Ciceronis. Rerum illustrationis philosophicæ nullam curam habuit; et molesta est separatio commentarii Turnebi et Fabri(1); quippe quorum notæ in fine textus se excipiunt, longiores quam quæ textui integræ supponi potuissent. Ne argumenti quidem brevem conspectum præmisit Davisius. Quam in rem universe de quavis philosophi pragmatica interpretatione monet Tiedemann. (*Geist der spekul. Philos. Th. I*, Marburg. 1791, in-8 maj. init. præf.): « Primum non sufficit propriis cujusque philosophi verbis uti, in conscribendis sententiis cujuslibet; quia *eadem verba* in diversis auctoribus, *diversum* tamen *habent sensum* : summa potius cura investigandus est ambitus argumenti, notionumque; et quasi novum *vocabularium philosophicum* tibi cujuslibet componas necesse est. » Coll. epist. Wyttenbachii Cel. ad *van Heusde* spec. Platon.(2), p. XXXIV: « Atque, siquidem ita natura comparatum est, ut *a verbis ad res* proficiendum sit, primum *dictioni* studebimus: consuetudinem scriptoris, quum in singulis verbis, tum in constructione, ceterisque partibus orationis, figuris, sententiis, exemplis, comparationibus notabimus, indicibus consignabimus, ut paratum habeamus Lexicon, cujus ope *scriptorem secum ipsum conferamus, et ex ipso interpretemur;* quæ prima et certissima omnis intelligentiæ est via, et totius grammaticæ interpretationis fundamentum. » Nimirum utraque ratio, grammatica et realis s. πραγματική, conjungenda est.

(1) Horum Obss. selectas suo loco reddidimus, quia videbamus recentiores eas temere negligere, et, sive arrogantia sua, sive negligentia non pro merito in usum vocare.

(2) Lugd. Batav. 1803, in-8 maj. qui libellus in superficie Platonis hærens, ipsius doctoris fefellit indulgentiam. Altioris est indaginis doctrina Platonis philosophica.

« Sequitur memoratu dignum, vol. IV oper. Cic. ex recens. J. A. Ernesti. Halæ, 1776, in-8 maj. quod parte I complectitur Academicas Dispp. Nam et hæc egregia sua habet merita editio, a sensu pulchri et critico, omninoque ingenio philosophico editoris; qui argumentum breve præfixit, et notulas elegantes adspersit, sed fugitivo calamo scriptas. Hæc eam ob causam diligenti lectori parum satisfaciunt, quod meritissimus Ernesti quum hæc scriberet senectuti suæ subinde succumbebat. Nam multa omisit quæ notanda erant, et in subsidiis suis latebant; varia falso notavit: sed plurima egregie, ita ut solebat. Quodsi universe spectes editionem Ernestinam, vix meliorem etiamnum invenies; si singulos libros Tullii ad eam recensebis, cumulabis notata ab Heusingeris, Schellero, Wetzelioque. ....

« Ernestii unice editione in vertendo Lucullo usus est Zwanziger, vir disciplinæ matheseos et philosophiæ præclare gnarus; qui vulgavit

« *Die Theorie der Stoiker und Akademiker von Perception, und Probabilismus. Nach Anleitung des M. T. Cicero. Leipz. b. Beer.* 1789, in-8 maj. Additæ sunt notæ historicæ, et philosophicæ, dignæ quæ inspiciantur.

« Cujus vestigia pressit paullo superbior interpres (vid. ejus præfat.), et ex sola editione Davisii pendens Boost; qui edidit

« Lukullus; *oder über das Erkenntnissvermögen. Uebers. von P. F. Boost. Frankf. a. M. bey Eichenberg.* 1800, in-8 *min.* Sine commentario; versione clara, et elegantiori quam Zwanzigerus dederat: addidit et argumenti brevissimum conspectum. Utraque versio igitur sua merita habet. »

His auxiliis addenda sunt:

1° Editio quam ipse Hülsemannus curavit, hoc titulo: « M. T. Ciceronis Academica, seu Academicorum veterum disputationes de natura et imperio cognitionis humanæ. Emendata ad optimorum et exemplarium, et criticorum fidem, nexusque orationis auctoritatem; ac rerum inprimis ratione habita, illustrata, studio Friderici Hülsemann, philos. doct. Joannei Luneb. rect. soc. Lat. Ien. sod. Magdeburgi, e bibliopolio Keiliano, MDCCCVI ».

2° Gœrenzii editio, hoc titulo: « M. T. Ciceronis Academicorum libri II. Ex scriptis recens collatis editisque libris castigatius et explicatius edidit Jo. Aug. Gœrenz. Lipsiæ, CIƆIƆCCCX, in libraria Weidmannia. »

3° Christ. Godofr. Schützii editio generalis, Lips. 1816, tom. XIII.

4° Versio a *Jean Salvemini de Castillon*, an. 1779, Berolini edita (iterum recusa, Paris. 1796), quam fere servavit J. V. *Leclerc*.

5° Versio a J. B. *Levée*, in generali edit. et versione librarii *Fournier*, tom. XXI.

6° J. V. *Leclerc* generalis editio et versio.

Ad hanc nostram conficiendam editionem, plura in unum contraximus, et eas edd. prætulimus quarum auctores superiorum editorum operam jam lucro apposuerant. Itaque in textu, nostratem J. V. *Leclerc*, qui ipse Gœrenzii textum fere ubique servavit, sequuti sumus; in notis criticis, Gœrenzium maxime, qui omnes impeditos locos subtilissimo et doctissimo ingenio tractavit et feliciter sæpe correxit, quamvis in minutioribus rebus nimis hærere nobis videatur; in notis vero exegeticis, quibus sæpe carebat supra memoratus editor, Hülsemannum inprimis adhibui-

mus, qui ipse se huic præcipue studuisse declarat, ut rerum seriem philosophicasque Veterum doctrinas enodaret. Præterea omnia quæ in priorum editorum Turnebi, Fabri, Oliveti, Davisii, etc. disquisitionibus bona visa sunt, nobis accommodavimus, suo quæque loco referentes; nec raro versione gallica usi sumus.

Denique ne quid deesset ad explicandam materiam quæ his in libris tractatur, et ut illæ, quæ multæ et magnæ, temporum invidia, in Ciceronis occurrunt, lacunæ implerentur, doctissimum P. Valentiæ opus, Academica, quod omnia quæ ad certitudinis quæstionem apud Veteres disputata sunt continet, ipsius Ciceronis Academicis præposuimus, Durandi, Castillonis aliorumque exemplo; et nonnullos Excursus in uniuscujusque libri calce subjecimus.

Quum vero pleræque criticæ notæ, ut supra diximus, ex Gœrenzii editione haustæ fuerint, nec illæ facile intelligi possint, nisi ratio quam ille editor in eis scribendis tenuit, et ea compendia quibus frequentissime in designandis MSS et edd. usus est, satis innotescant; pauca inseremus ex ejusdem præfatione :

«Textui constituendo ad priorem librum quatuor, ad posteriorem quinque codicum nondum collatorum lectiones adhibuimus.

« 1° Fragmentum codicis, quod sic appellavimus, quum hic liber ab initio et a fine mutilus esset (incipit § 7 libri I, et deficit libro II, § 131), neque ulla nota distingueretur. Allatum ad nos est ex Italia, forma quadrata, scriptura romana, literis minutis, lineis stylo ductis, verbis haud raro male vel nexis, vel distractis, pergamena male rasa; omnibusque reliquis signis sæculum XII præ se ferens. Hoc proprium (vel potius cum illius ætatis codd. commune) habet, ut sæpe

quum et *quoniam*, *aut* et *haud*, *num* et *unde*, misceat, nec raro *quom*, non *quum*, præbeat.

« 2° Dresdensis, numero 50 insignitus, qui item utrumque librum continet.

« 3° Uffenbachianus, qui modo primum librum habet;

« 4° Gudianus II, qui solum Lucullum: tres hi libri jam a nobis notati sunt (1).

« 5° Erlangensis in bibliotheca Academica Erlangæ asservatur, figura maxima, numero 38, et præter Lucullum, libros de Finibus, de Natura Deorum, de Divinatione, de Officiis, Catonem, Lælium, Paradoxa, Timæum (hos quatuor libellos alia manus inscripsit), orationes quoque nonnullas complectitur. Qui licet sæculi XV sit, et chartaceus, tamen probæ notæ liber est.

« 6° Wratislaviensis, membranaceus, bibliothecæ est Redhigerianæ, æque sæculo XV scriptus, collatusque nobis accuratissime benivolentia Schummeli, illustris

(1) In præfatione librr. de Legibus, ubi sic describuntur :

« Gudianus II, Membr. Corruptissimus ille quidem est, sed bonis lectionibus frequens. Accuratius descriptum vide in editione Officiorum Cic. quam Heusingeri curarunt, Præf. p. XVI, seqq. ubi *primus Guelph.* audit. Ex archetypo ille manavit haud dubie antiquissimo : nam sæpius, pro *cujus*, *quojus*, fere semper *idem* pro *iidem*, etc. exhibet. Ceterum rectius eum sæculo XIII exeunti, quam ineunti, addixeris, quum crebriores lineolæ supra *i*, pluraque compendia in eo reperiantur, quam solent in paullo vetustioribus.

« Dresdensis II, Membr. forma quadra, solos hos libros comprehendens, charactere romano magis, quam Gothico. Ætatem ad XV sæculi initium retulerim, membrana vetustiorem mentiente; quale sæpius animadvertere licet : sed ex antiquo haud dubie exemplari descriptus est. Aliquoties enim præbet *quojus* pro *cujus*, haud ita raro *quom* pro *cum*; ubique fere, cum præcedentibus, *Grajus* pro *Caius*, etc. Scribendi notis utitur rarioribus. Bonæ notæ liber, numero dignoscitur 151.

« Uffenbacensis, melioris notæ codex, sed in his libris tam male lacerus, ita evanidis literis, ut in admodum paucis usum nobis aliquem præbere posset. Accuratius eum alibi notabimus, quum plura philosophicorum Ciceronis contineat. »

Elisabetanei Prorectoris et Prof. itemque illius bibl. præsidis longe meritissimi.

«7° Basileensis collationem exemplo Aldinæ 1565, cui appicta est, debemus, a Wegelio nescio quo, cujus hæc in fine libri adjecta verba sunt, «excerpsi Wegelius in bibl. Bas. 1698». Idem eodem in exemplo binorum codicum varietates ad libros de Finibus, totidemque ad Tusculanas Dispp. adscripsit.

«His codicum scriptorum collationibus adjunximus etiam varietates eas, quas et Oxon. 1783, e tribus codd. E. V. ψ. signatis, et Alteri ed. Viennæ 1786, e cod. n. CCIX præbent, textis corrigendis nondum adhibitas: item de Allionis Academicorum editionem, qui binos, sed sine pretio, scriptos contulit; et eam libri primi, quæ Coloniæ 1748, ab Hubero curata, mero textu prodiit, nec umquam venalis prostitit.

«Editionum quoque veterum satis magno numero usi sumus; e quibus inprimis Venetiana 1494, Cratandria, utraque Ascensiana nominari merentur. Præsto nobis etiam fuit Jo. Rosæ in Academica, et libros de Finibus, commentarius, Francof. ad Mœn. 1571, raritate magis, quam utilitate commendabilis. Pendet enim Rosa in criticis totus a Lambino, et si quando ipse conjecturam tentat, plerumque facit invita Minerva. In explicatione tamen, inprimis rerum philosophiam spectantium, pro illis temporibus, non plane contemnendus est. Reliqua subsidia ad crisin adfuere nobis pleraque omnia. Hoc cum apparatu haud pauca loca restituisse nobis videmur; licet conjecturæ locus rarius daretur, quam ad libb. de Legibus: nusquam enim diversarum familiarum inter codices Academicorum vestigia comparent.»

INTRODUCTIO
IN CICERONIS ACADEMICA.

PARS PRIMA,

QUA DE ILLORUM LIBRORUM TITULO, DUPLICI EDITIONE ET TEMPORE DISSERITUR.

(EX JO. AUG. GOERENZ.)

Quæ de his libris in universum præfanda sunt, duo maxime spectant, inscriptionem eorum, et duplicem editionem.

I. De inscriptione pauca tantum monenda hæc sunt, prave eos vulgo *Academicarum Quæstionum*, vel, ut nuper suaderi cœptum est, *Disputationum*, titulo insigniri, quippe quem nec Cicero, nec reliqui, qui horum librorum mentionem faciunt, agnoscant. Ipse enim eos *Academica* vocat Off. II, 2, 8 (atque ita ubique, ut alios multos prætermittam, is, qui eos toties laudat, Nonius), alias addito nomine, quod per se intelligitur, *Academicos libros* Divin. II, 1, 1, idque imitati sunt Augustinus, Lactantius, alii. Dicit eosdem quidem *Academicam quæstionem*, et *Academiam* Att. XIII, ep. 19, cll. ep. 13; sed, ut solet, ad amicum de re huic nota vagius; eodemque modo eosdem Ἀκαδημικῆς συντάξεως, vel simpliciter Ἀκαδημικῆς, nomine notat. Cf. ibid. ep. 16 et 12. Absona est etiam vocis *quæstionum* ad hæc tractata adjectio, quum non de variis, aut diversis, quibusdam Academiæ decretis agatur, sed de una Academiæ recentioris philosophia, ab Arcesila inde ad Philonem usque, exponatur; expositis iis, quæ Antiochus Ascalonita contra eam disputaverat. Præmissa quidem his est brevis quædam totius Academiæ a Platone inde, ex ejusdem Antiochi ratione



deprompta enarratio : sed hanc quasi in prooemium additam esse, vel ex eo patet, quod simul etiam Zenonis philosophia strictim exponitur; ita enim facillime aditus in novam Academiam ipsam aperiebatur. Non igitur redire Ernestius ad vulgatam debebat, Petro Fabro, in Commentario ad hos libros, jam rectiora docente, Davisioque vere sic edente. Ortam esse inscriptionis falsitatem ex *Tusculanarum Quæstionum*, ut vulgo inscribuntur, similitudine, vel exinde satis clarum videtur, quod jam Plinius Hist. Nat. XXXI, 2, huic satis crasso errori indulserat, ut nomen *Academicorum* iis ex hoc natum diceret, quod in villa, *Academia* dicta (si quidquam veri his inest, non villa, sed gymnasium erat, quale cognomine Cicero etiam in Tusculano suo habebat), « hæc ejusdem nominis volumina composuerit ». Sed quo demum ex fonte vitium illud ortum suum traxerit, nihil videtur certius esse, quam hoc, Ciceronem hos libros *Academica* inscripsisse.

II. Impeditior quæstio ea, de duplici eorumdem editione, videtur, quippe in qua viri docti haud parum inter se dissentiant. Nos jam quidem, quod brevi licet, videamus et experiamur, anne res illa dirimi quodammodo dijudicarique possit : haud enim parvum inde momentum ad certius pleniusque judicium, de horum librorum natura et dispositione ferendum, addiderimus; quod nunc sane ita vagatur, ut ex iis, quæ ad hunc diem hac de re disputata sunt, ne speciosa quidem conjectura dispicere detur, qua ratione et via auctor in universæ rei descriptione versatus sit. Responderi sic quoque facilius ad suspicionem, nondum hucusque motam, sed sane movendam, poterit : « aliam quamdam, et ea, quam præ se fert, potiorem rationem Ciceroni in diffingendis Academicorum priorum binis libris obversatam fuisse »; quum ista ipsa in quatuor libros quasi dissectio satis clare prodere videatur, ipsum sibi in binorum illorum descriptione displicuisse; quumque iisdem personis, Catulo, Lucullo, Hortensio, ipse jam olim in Hortensio, libro, usus esset,

quorum causa unice hos libros ita mutatos edere Attico videri voluit. Sed ne quid nobis præripuisse videamur, certa quædam via ingredienda est, qua primum loca ea, quibus hæc controversia nititur, colligemus : ita non solum breviore ratione virorum doctorum sententiæ in censum vocabuntur, sed tutius etiam et firmius, quid nosmetipsi statuendum putemus, subjici licebit.

Miserat igitur Cicero priorum Academicorum, i. e. Catulum et Lucullum, libros, ad Atticum, qui ab hoc depingi, divulgarique curarentur : quum Atticus, aliquo tempore post, illum moneret, ζηλοτυπεῖν Varronem, et desiderare a Cicerone librum ex iis, quos componeret, ipsi inscriptum; magnique, id si fecerit, istum esse æstimaturum. Cf. XIII, ep. 12, cll. 13, 18 et 19. Qua re cognita, Cicero, quum libros de Finibus, in quibus scribendis quum maxime occupabatur, ejusdem Attici consilio Bruto despondisset, et parum ipsi hæc Academica satisfacerent; ad refingenda ea animum ita appulit, ut Varronis persona eorum sermoni intexeretur. Cf. XIII, ep. 12 : « Ergo illam Ἀκαδημικὴν, in qua homines, nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi, nimis acute loquuntur, ad Varronem transferamus. Etenim sunt Ἀντιόχεια, quæ iste valde probat. Catulo et Lucullo alibi reponemus : ita tamen, si tu hoc probas; deque eo mihi rescribas velim ». Idem non multo tempore post, ep. 13 : « Commotus tuis literis, quod ad me de Varrone scripseras, totam Academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, transtulique ad nostrum sodalem, et ex duobus libris contuli in quatuor : grandiores sunt omnino, quam erant illi; sed tamen multa detracta.... Libri quidem ita exierunt (nisi forte me communis φιλαυτία decipit), ut in tali genere ne apud Græcos quidem simile quidquam. Tu illam jacturam feres æquo animo, quod illa, quæ habes de Academicis (sc. exemplaria), frustra descripta sunt : multo tamen hæc erunt splendidiora, breviora, meliora ». Descripta jam horum IV librorum exemplaria erant ep. 14 : « Illud etiam atque etiam consideres velim, placeatne

tibi mitti ad Varronem quod scripsimus.... etsi nomina jam facta sunt : sed vel induci, vel mutari, possunt ». De his libris ipsis sic scribit ep. 16 : « Illam Ἀκαδημικὴν σύνταξιν totam ad Varronem traduximus. Primo fuit Catuli, Luculli, Hortensii : deinde, quia παρὰ τὸ πρέπον videbatur, quod erat hominibus nota, non illa quidem ἀπαιδευσία, sed in iis rebus ἀτριψία, simul ac veni in villam, eosdem illos sermones ad Catonem Brutumque transtuli. Ecce tuæ literæ de Varrone : nemini visa est aptior Ἀντιόχεια ratio : sed tamen velim scribas ad me, primum placeatne tibi aliquid ad illum ; deinde, si placebit, hocne potissimum ». Quas autem partes Varroni dederit, accuratius exponit ep. 19 : « absolvi, nescio quam bene, sed ita accurate, ut nihil posset supra, Academicam omnem quæstionem libris quatuor. In eis, quæ erant contra ἀκαταληψίαν præclare collecta ab Antiocho, Varroni dedi : ad ea ipse respondeo : tu es tertius in sermone nostro ». Et paucis interjectis ibidem sic pergit : « Hæc Academica, ut scis, cum Catulo, Lucullo, Hortensio contuleram. Sane in personas non cadebant : erant enim λογικώτερα, quam ut illi de iis somniasse umquam viderentur. Itaque, ut legi tuas de Varrone, tamquam ἑρμαῖον arripui : aptius esse nihil potuit ad id philosophiæ genus easque partes (male Ern. *measque* reduxit : sens. Aptius nihil cadere p. quam Varronis persona quum ad Antiochi philosophiam omnino, tum ad eas partes maxime, quæ his in libris sustinendæ sunt) : ut non sim consequutus, ut superior mea causa videatur : sunt enim vehementer πιθανὰ Antiochia : quæ diligenter a me expressa, acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum ; si modo is est aliquis in nobis ». Ep. 23 : « Libri ad Varronem non morabuntur : sunt enim effecti, ut vidisti : tantum librariorum menda tolluntur. De quibus libris scis me dubitasse : sed tu videris. » Quam dubitationem clarius docet ep. 25 : « Volo Varronem (eos accipere), præsertim quum ille desideret : sed est, ut scis, Δεινὸς ἀνήρ, τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο· ita mihi sæpe occurrit vultus ejus, querentis

fortasse vel hoc, meas partes in iis libris copiosius defensas esse, quam suas : quod mehercule non esse intelliges.... sed tamen ego non despero probatum iri Varroni.... Sed etiam atque etiam dico, tuo periculo fiet. Quare si addubitas, ad Brutum transeamus; est enim is quoque Antiochius. O Academiam volaticam, et sui similem, modo huc, modo illuc! » Ep. 35 : « Varroni, scribis, te, simul ac venerit (supple : libros meos daturum esse). Dati igitur jam sunt; nec tibi integrum est : hui, si scias, quanto periculo tuo! » Denique ep. 44 : « Tu tamen ausus es Varroni dare? exspecto quid judicet : quando autem perleget? » Postremo loco addimus ex ejusd. libri ep. 32 : « Torquatus (i. e. liber I de Finibus) Romæ est : jussi ut tibi daretur. Catulum et Lucullum, ut opinor, antea (accepisti) : his libris nova procemia sunt addita, quibus eorum uterque laudatur ».

Hæc quidem loca, præterquam quod, in unum collata, lectoris judicium adjuvant et dirigunt, sortem quoque Academicorum librorum, quam ab ipso auctore experti sunt, et fata continent : ut recte eorum uberius excerptorum veniam sperare posse putemus.

Ex his igitur locis interpretes, jam a Talæo inde (vid. epist. dedicat. ad ejus Prælectt. in Cic. Acadd.), duplicem Ciceronis Academicorum editionem statuunt : alteram illam binorum librorum, sed ob personarum colloquentium in tanta rerum subtilitate ἀτριψίαν, auctori postea improbatam : alteram hanc quatuor librorum, ita scriptam, ut prioris abolendæ loco poneretur. Sed quum prior jam in hominum manus pervenisset, oblivionique reddi nequisset, nova auctorem utrique ejus libro addidisse prooemia, quibus *Catulus* et *Lucullus* (his enim inscripti erant) laudarentur. Atque hinc procemii posterius additi loco, idem ille Talæus ea annumerat, quæ libro II in Luculli laudem ad § 5 usque præfata leguntur. In eamdem fere sententiam disputat etiam Victorius ad Lucull. I, 1, uberius hæc contra epistolæ scriptorem, nescio quem, edisserens, qui, deceptus illo loco

ep. 32, duplicem priorum Academicorum editionem statuebat. Nititur idem ille Plutarcheo loco, vit. Lucull. 42 : σύγγραμμά γε πάγκαλον ἐποίησεν (ὁ Κικέρων) εἰς τὴν αἵρεσιν (Ἀντιόχου), ἐν ᾧ τὸν ὑπὲρ τῆς καταλήψεως λόγον Λουκούλλῳ περιτέθηκεν, αὐτῷ δὲ τὸν ἐναντίον. Λούκουλλος δ' ἀναγέγραπται τὸ βιβλίον. Quintilianum etiam in rem suam trahit Instit. III, 6, 64 : « M. Tullius non dubitavit aliquos suos libros, jam editos, aliis postea scriptis ipse damnare, sicut Catulum atque Lucullum ». Atque verba illa ep. 12 : « Catulo et Lucullo alibi reponemus », ita explicat, ut auctor illis duumviris *injuriam fecisse* sibi visus sit, « quum id, quod jam eis tribuerat, quodque eorum quasi jure factum erat, eripuisset ». Sed hanc pronam ad verum viam primus deseruit Lambinus. Hic enim quum tot Luculli apud Nonium loca ad *quartum* Academicorum librum relata videret, integrum hunc ad posteriorem editionem a Cicerone traductum, atque ultimi libri loco positum et habuit, et ita inscripsit. Quod ejus exemplum solus cum Durando, sequutus non est Davisius : sed paullo obscurius hic se expressit, quum scriberet ad Lucull. I, 1, not. 1 : « adeo ut Lucullus hicce, si modo Prologum demas, fuerit editionis primæ liber secundus ». His quidem verbis ipse Davis. nihil aliud voluit (nam in reliquis se Victorii sententiæ addit), quam prologum illum serius ab auctore esse adjectum : ansam tamen inde dedisse videtur, ut primum Luculli caput nuperrime auctoris esse negaretur. Lambini autem exemplum in causa fuit, ut et De Allio singulis his quatuor libris nomen peculiare adderet, et primum quidem *Varronis*, secundum *Hortensii*, tertium *Catuli*, quartum denique *Luculli* nomine insignitum, sine ulla probabili causa, diceret : et Olivetus *Lucullum* in his quatuor libris, plus quam semel, disertis verbis ultimum poneret. Cf. ejus versionem Tusculanar. I, 2, not. 5, et eamdem librr. de Nat. Deor. I, 1, not. 3. Ernestius deinde, quasi medius, inscripsit quidem a fronte Lucullum, « Academicarum Quæstionum liber secundus »; sed addit, « seu potius, ut eum numerat Nonius, quartus » :

monetque in ejusdem argumento, « librum hunc ab aliis quartum, ab aliis secundum Disputationum Academicarum putari, sed utrumque horum falsum esse, ex ipso Cicerone demonstrari posse ». Recte: nam *secundus* modo in ulterius numerando ponitur: « esse enim hunc prioris editionis, quum primus perierit, alterum. Ex fragmentis autem l. IV, quæ apud Nonium occurrant, intelligi, quæ in Lucullo disputentur, ea maximam partem iisdem verbis servatis in librum quartum secundæ editionis translata esse ». Castillonus, expositis iis, quæ Victorius Davisiusque hac de re sentiunt, accuratius (cf. ejus *Discours prélimin.* ad vers. horum libb. p. 3-8), cum hoc etiam in eo facit, quod, ordine inverso, Luculli nomen in libri inscriptione præmisit: exemplo vel ideo non imitando, quum libri scripti non addicant; si vel hoc nihil curaris, quod sic in quæstione duobus libris communi communis eorum titulus illi cujusque proprio supponitur. Ne denique Hülsemannum prætereamus, servavit hic V. doct. etiam hac in quæstione morem suum: quum enim in Prolegg. sect. III, p. 35, ad ed. suam monuisset, librum Academicorum *primum* secundæ editionis primum esse, et *secundum* reliquum, editionis primæ secundum: hoc plane novum suis verbis addit: « Utramque editionem manu sua scripsit Cicero, et ad amicum Varronem misit »! Divinatum in hoc ex parte V. doct. videri, paullo post probabile faciemus: ceterum etiam his in libris, ut in illis *de Legibus* fecerat, monachum istum suum, corruptorem, misere fatigavit. Inter reliqua enim, eo teste, cf. ejus Racematt. epicriticas, p. 569, Luculli istius, qui antehac totus Ciceronis esse judicabatur, « Non sincera legimus, et continua Tullii verba, sed ex genuino Tullii Catulo et Lucullo hic habemus epitomen, credo, conglutinatam a seriore scriptore..... sic, ut copiosam Tullianæ orationis seriem in compendium reale conscriberet; eo (ut putat) consilio, ut exponeret acroasibus monachicis dialecticam, scholastico ævo principem artem ». Miramur nos quidem

hanc *monachicam dialecticam*, sed contra talia quidquam reponere non audemus! Uno exemplo ad primum Luculli segmentum satis egisse nobis videmur.

Quibus potioribus interpretum his de libris judiciis facile nostrum qualecumque addi liceret, nisi nos in omnia alia raperet libellus, Aug. Car. Ranitzio auctore nuper ex Regii Seminarii Philologici Lipsiensis lege editus, qui inscribitur, « de libris Ciceronis Academicis commentatio, adjuncta disputatione critica de cap. 1 libri II Cic. Academicorum spurio ». Negat hoc in libello auctor, duplicem umquam exstitisse Academicorum editionem, probareque connititur, non ex IV Academicorum libris tres periisse, sed in *Lucullo* plene sic contineri, ut *secundus* ad hujus c. 19, § 64; *tertius* inde ad c. 34, § 112; *quartus* denique ab hoc loco ad finem usque pertineat. Quæ quidem ut cum Lucullo, qualis nunc legitur, conveniant, Hülsemanni exemplo, primi illius segmenti interpolatio pluribus statuitur. Quæ quidem disputatio quamvis soli exercitationi inservisse videatur; quum tota, si verum fatendum est, nihil sit, nisi σκιαμαχία quædam; ejusque rationes, si judicii maturioris lumen admoveris, continuo omnes concidant : sed quum alia ejus argumenta veri speciem referant, alia interiores quasdam, ut refellantur, notitias requirant, plura vero speciosius etiam exornari possint; huic tricipiti sententiæ, quantum brevissimis licet, occurrendum nobis esse judicavimus, nisi deseruisse provinciam, quam suscepimus, videri vellemus.

Auctor igitur quum, illas interpretum rationes multis impediri difficultatibus dubitationibusque, monuisset, harum, nisi solam, certe maximam in illis Ciceronis verbis reperit ep. 19 : « tu illam jacturam feres æquo animo, quod illa, quæ habes de Academicis (prioribus), frustra descripta sunt : multo tamen hæc erunt splendidiora, breviora, meliora ». Ex his enim duo ista, ut luculenter patentia, ponuntur : primum Ciceronem binos illos priorum Academicorum libros ad Atticum, qui ederentur, missos, haud

divulgatos, sed exstinctos voluisse; atque ita pro certo sumi posse, Atticum hujus voluntati obtemperasse, quum, si secus fecisset, multæ res incommodæ auctori inde enasci potuissent. Deinde quamquam quidem nonnulla in posterioribus Academicis addita sint, multa tamen etiam prioribus et detracta et in brevius coacta esse, sic ut hi posteriores libri haud ita magni fuerint. His additur temporis brevitas, qua pauci vel dies, vel, ad summum, hebdomades inter consilium horum librorum ad Varronem traducendorum captum et peractum intercesserint : prout facile ex XII, ep. 45 (al. 44), collata cum epistolis libri XIII computari liceat. Denique si ep. 32, *Catulo et Lucullo*, libris ad Atticum missis, *nova procemia addita* dicantur, *quibus eorum uterque laudetur,* accipiendum id cum Chapmanno (cf. hujus dissert. chronol. de ætate libb. de Legg. p. 20); sic esse, ut Catuli et Luculli nominibus non *numerus*, sed *genus* librorum designetur, jocoseque Academica posteriora eorum virorum nominibus, ex diuturna auctoris consuetudine, insigniantur, quibus duo libri priorum notati essent. Neque ex ultimis illis Ciceronis verbis necesse esse, ut *Catulus*, liber aliquis, periisse credatur : sed satis hunc jam commemoratione ejus pluribus in Lucullo locis honorifica facta laudari.

Multiplices hæc ansas habent, quibus prehendi possint, quare nihil est, ut ad singula, quibus hæc exponuntur, descendamus; quum vel ad hæc potiora modo respondere liceat. Atque primum quidem ea consequentia, qua ex Ciceronis priora Academica delendi voluntate ad ea vere deleta concluditur, præterquam quod per se imbecilla est, pluribus etiam rationibus infringitur. Poterant enim, interlapso plurium hebdomadum tempore, non solum plura jam exemplaria divendita esse, quum complures apud Atticum librarii in his describendis occuparentur : sed nimium etiam auctor Attico tribuit, quippe qui ex libris de Finibus quintum librum, invito Cicerone, antequam illi ad Brutum,

cui inscripti erant, mitti potuissent, Balbo et Cærelliæ describendum dederit. Cf. Att. XIII, epp. 21 et 22. Si igitur vel illud negetur, hoc tamen in his etiam libris factum esse facilius etiam statuere licebit, quum in iis Attico ne causa talis quidem esset, quominus id concederet. Divulgatis autem jam exemplaribus, nulla huic, vel religiosiori, amplius ratio erat, cur, quæ descripta haberet, ea frustra descripta esse vellet: si vel hoc omittamus, quod suppressi libri eo cupidius quæruntur (ut apud nos in publice vetitis usu venire solet): Atticus autem ut *diligens paterfamilias* laudatur. — At incommoda Ciceroni inde exoriri poterant. — Primo quænam? deinde, quid? si, antequam hæc edenda voluisset, illa jam edita fuissent? — Sed posteriora Academica non erant adeo magni voluminis. — Majoris certe erant, quam ut singuli libri tam pauca capita complecterentur, quam pauca tribus istis ex dissecto Lucullo relinquuntur. Urgetur deinde temporis brevitas, ut certe pauca mutata esse videas. Et demus sane, quod forte non debebamus, paucas hebdomadas, vel adeo dies, Ciceroni, otio abundanti, ad hæc refingenda esse absumptas: *transtulerat* hic jam prius eadem illa *ad Catonem Brutumque* (cf. ep. 16): quæ igitur mutanda voluerat, potiora mutata sic dudum et esse poterant, et haud dubie erant, ut deinde videbimus. Quam coacte denique, si vel Chapmanni auctoritate fiat, locus ille ep. 32 explicetur, non est, ut doceamus. Sic mire loquentem, sic jocantem Ciceronem nusquam deprehendimus. Sed quid est, quod de errore viris doctis, a Quintiliano inde, communi, et eo potissimum, unde omnis de Lucullo in tres libros posterius translato probabilitas pendeat, prætereundo tantum, et veluti aliud agendo monemur? *Catulus* igitur, priorum Acadd. prior liber nullus umquam exstitit? Hoc ut fidem pareret, gravibus argumentis indigebat. At nulla afferuntur; sola loci Ciceroniani interpretatione, eaque perquam coacta, sententia nititur. Ne hoc quidem urgetur, quod nuspiam hujus libri apud veterum quemquam neque

locus excitatur, nec, præter Quintil. mentio injicitur. Sed ex *Lucullo*, *Catuli* olim comite, excitari hoc satis grave argumentum licet, quo vel solo tota quoque illa trium librorum quasi collapsorum instauratio in semet ipsa recidit. Sæpius enim in Lucullo ad pridianum aliquem sermonem lectores remittuntur; in quo Catulus, § 14, et Hortensius, § 28 et 79, de rebus quibusdam accuratius disseruisse dicuntur, qui in ipso pæne κωφοῖς προσώποις accensendi sunt. Narrantur item in eodem uberius exposita, quæ in Lucullo verbo modo tanguntur vix hac in brevitate rite intelligenda: de quibus ad hunc ipsum librum separatim præfabimur. Locus denique habiti sermonis ejus, et scena, distincte notatur. Hæc juncta si quis in meris dialogi σχήμασι quærenda, et exornationi magis, quam vero inservientia dixerit, cogitatam ille sane Ciceroni injuriam attulerit, quum res ipsa sua sponte nescio quid absonum præ se ferat. Sic, *Lucullo* alium aliquem librum olim fuisse additum, credere cogimur: hunc autem librum quo minus *Catulum* putemus, nulla prorsus ratio impedit; gravissimi potius testes, in quibus auctor ipse est, jubent.

Atque ita quoque ista, Lucullum in tres libros dissolvendi ratio ipsa dissolvitur. Si enim binis libris priora illa Academica comprehendebantur, quæ tandem causa cogitabitur, cur solus alter ad hæc posteriora translatus putetur? Displicuit prior. Num etiam res in eo propositæ? quibus rebus consulto prætermissis Cicero obscuritatis culpam in sese cumulasset, quæ nunc temporis invidiæ imputanda est, qua, priore libro deperdito, tot posterioris locis subtracta lux est, cujus egent, et in qua nunc undequaque comportanda interpretis opera haud parum exercetur. Adde Nonium, quem *quatuor libris* posteriorum Acadd. usum esse, negari probabili ratione nequit. At hic ex *quarto* undecim loca profert, qui itidem in Lucullo, qualem nunc habemus, a § 67 ad § 137 usque passim leguntur. Ergo quartus liber non a § 112 incipere potuit, sed certe a § 67 ponendus

erat, ante quam § parvo intervallo tertii libri initium statuere jubemur. Omittimus, quid de ceteris illis ex II et III libro apud Nonium, aliosque, fragmentis statuendum sit, et hoc potius adjungimus. Si vel in Lucullo tres illos libros concretos putaris; tamen ne sic integros ad nos perlatos habebis: nam certe eorum prooemia desideramus, quæ his a Cicerone vere addita fuisse manifeste locus probat, in quo mirum hoc de se Cicero oblivionis exemplum. Att. XVI, ep. 6: « Nunc negligentiam meam cognosce. De Gloria librum ad te misi : at in eo prooemium id est, quod in Academico tertio ». Ubinam igitur hoc *tertii* libri Acadd. prooemium? ubi ea reliquorum? Denique, ut id, huc servatum, adjiciam, parum consona ratio est, quod, quum Ciceronis consilium, « totam Academiam ad Varronem traducendi », ut par erat, concederetur, tamen idem nomina colloquentium in ceteris tribus libris eadem reposuisse dicatur, quibus prius usus esset. Is scilicet, qui hanc solam causam ubique præ se fert, cur sibi libri illi displiceant; qui ideo jam ante eosdem ad Catonem et Brutum transtulerat; apud quem denique nusquam, unde mutatum consilium conjicias, ne verbum quidem! Certissimum potius est, per omnes hos libros Varronis partes fuisse primarias. Nam auctorem totam Academiam ad hunc transferre non solum voluisse, sed idem etiam perfecisse, ex eo clarum est, quod, descripto jam exemplari, quod ad Varronem mitteretur (cf. ep. 23); sic idem de eodem ep. 25: « Ita sæpe mihi occurrit vultus ejus, querentis fortasse vel hæc, meas partes (ἀκαταληψίας) in his libris copiosius defensas esse, quam suas (καταληψίας) ». Cf. ep. 19. Confirmat idem locus ex Acadd. a Martiano Capella, V, p. 168, laudatus: « Latent ista omnia, Varro, magnis obscurata et circumfusa tenebris »; qui aperte sic ex Lucull. 39, 122, traductus est, ut *Luculli* vice a Cic. *Varro* poneretur.

Ita quidem ex iis, quæ monuimus, hoc patere videtur, istam sententiam ab omni parte vacillare; neque de una et

simplici Academicorum editione, nec de Lucullo tres in libros divellendo, probabile quidquam esse monitum. Idem prorsus etiam de iis valet, quæ de primo Luculli capite, tamquam spurio afferuntur. Ad ea pleraque nostra sponte in adnotatione ad hoc caput respeximus (nam hæc prius prela reliquerat, quam libellus ille ederetur): et reliqua ejus generis sunt, ut se ipsa prodant, v. c. quod *ponere* pro *existimare*, *statuere* de personis simpliciter Ciceroni non dicatur, cujus tamen usus Mencken Obss. p. 763, seq. exemplorum nubem congessit. Nihil igitur hæc morati, ad nostram qualemcumque his de libris sententiam pergimus.

Ex ista igitur refutatione hoc nobis lucri accessisse videtur, ut in hac nostra mente explicanda brevioribus esse liceat. Nam diversos, nec ejusdem editionis, libros esse primum et secundum, qui adhuc superant, Academicorum: in posterioribus autem, et quidem in omnibus IV libris, Varroni colloquii partes fuisse primarias, satis in præcedentibus docuisse nobis videmur. Utrosque etiam vere esse editos, ex ante propositis facili, et satis certo judicio consequi videtur: sed idem ex singulari quodam loco, quem interpretes negligere h. l. non debebant, evidentius expediri posse videtur. Att. XIII, ep. 21. Suaserat Atticus Ciceroni, ut in loco aliquo, ad græcum verbum ἐπέχειν, novæ Academiæ proprium, exprimendum, pro verbo *sustinere*, *inhibere* poneretur: sed hic id, probatum antea, nunc rejicit, reponique illud jubet his verbis: « Quare facies, ut ita sit in libro, quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni, si (sic, non *nisi*, scr. adderetur alias *ipse*) forte mutavit: nec est melius quidquam, quam ut Lucullus sustineat currum ut bonus sæpe agitator, equosque ». Hæc Cicero de libro aliquo suo, quem etiam Varro descriptum habebat, quibus vult, ut hic ab Attico de loco illo mutando moneatur. Jam vide Acadd. II, 29, 94, ubi idem *Lucullus* sic: « Ego enim, ut agitator callidus, prius quam ad finem veniam, equos sustinebo: eoque magis, si locus is, quo ferentur equi, præceps

erit ». Ex qua locorum comparatione non solum, quam intempestive in priori *Lucili* pro *Lucullo* corrigi jubeant, patet : sed hoc inde etiam plus quam verisimile redditur, « Varronem jam tum descripto Luculli exemplo usum fuisse », idque eo tempore, quo Cicero illos ipsos quatuor libros, ad eum mittendos, poliebat. Additur enim eadem in epistola: «Varroni quidem quæ scripsi te auctore, ita propero mittere, ut jam Romam miserim describenda. Ea, si voles, statim habebis: scripsi enim ad librarios, ut fieret tuis, si tu velles, describendi potestas : ea vero continebis, quoad ipse te videam ». Non igitur de alteris Academicis sermo esse potest. Laudat autem eamdem rem Cicero, ut alibi etiam solet, non plane iisdem verbis, sed versu ex vetere forsan poeta accommodato : qui ipse facile sic coibit :

Sustineat currum, ut bonus æque agitator, equosque :

nam et verborum collocatio, et aures ipsæ, hexametrum agnosci jubent.

Quod si ita est, ut diximus, non modo inde de priore Acadd. editione constare videtur; sed etiam hæc virorum doctorum sententia convellitur, qua priorem editionem auctorem abolitam voluisse putant. Immo verbis illis ep. 13, quibus Atticum æquo animo ferre jubet, quod, quæ prioris editionis exempla ipsi descripta sint, emptores nullos essent repertura, atque ita frustra descripta forent; quum *certe* (sic illic *tamen* accipitur) alterius editionis Acadd. sint splendidiora, breviora, meliora. Atque sic etiam non est, ut offendas, si posterius ep. 32 Cicero, quum tamen vel sic priorem editionem cupide emi audisset, utrique ejus libro procemia præmitti curaverit, quibus is, cujus quisque nomen in fronte gerebat, laudaretur. Nam multiplicatis jam exemplaribus, cupideque emptis, neque de supprimendis iis cogitari, neque Atticus vetari poterat, quominus ea per librarios suos describi curaret, nisi forte Cicero aliis Sosiis lucellum augere voluisse putandus est. Ita sane facili via

difficultates pæne omnes expediuntur, quarum causa interpretes sententias tam diversas inierunt.

Veniamus nunc ad posterioris editionis rationem et causam. Eam quidem Cicero, ut supra diximus, nullam aliam affert, quam quod in priore personæ colloquentes parum cum rerum tractatarum subtilitate conveniant; non quidem propter eorum ἀπαιδευσίαν (cf. ep. 15); in juventute enim illi philosophiam attigerant; sed ob eorumdem in his ἀτριψίαν, quum illud studium adultiore ætate neglexissent. At si hanc solam ejus rei causam putamus, isti ipsi Cicero facile prooemiis additis occurrere poterat, si in his *Catulum* et *Lucullum* ex olim cognitis hæc reminiscentes fingeret, ut et postea ab ipso factum et videmus, et pluribus ad Lucullum monebimus. Et qui Ciceronem accuratius norit, is facile confitebitur, cessisse hunc seculi vitio et πολιτευόντων pæne necessitati, ut illud poetæ dictum, ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει, haud ita raro in ipsum aptari liceat: hac autem in re vel severior virtus potioris rationis dissimulationem excusarit. Jam vero non in mentem solum, sed in oculos quasi, insignis illa utriusque editionis, quoad numerum librorum, differentia incurrit, unde gravior aliqua eorum refictorum causa conjici non sine jure posse videatur. Habilior certe sic rerum expositarum ordo et series, earumque naturæ convenientior, auctorem invitaverit necesse est, ut binos illos libros in quatuor divisos vellet. Id quidem ipsum teneamus, ut, quo tendat, videre liceat; si forte hac via lux aliqua nobis velut ex improviso oboriatur. Esse autem maxime verisimile videtur, Ciceronem in priore binorum librorum editione hunc rerum ordinem fuisse sequutum, ut altero libro, ex quo brevem totius Academiæ delineationem præmisisset, Carneadis sententiam exponeret, altero eam, quam ipse sequebatur, Philonis, ut in Introductione ad Lucullum satis docere nos posse speramus, eoque lectores ablegamus. Quod si ita est, de quo nihil dubitamus, in hoc ipso forte causa quoque tantæ in librorum

numero mutationis poni posse videtur. Exposuerat sic quidem in prioribus Academicis principum recentioris Academiæ sententias; sed omiserat eum, qui vere auctor et parens hujus Academiæ dici haberique meretur, Arcesilam, in cujus sententia pleraque omnia, quæ deinde Carneades et Philo uberius et concinnius disputabant, neque tamquam in ovo, sed satis explicate, et non sine magno acumine proposita, continebantur. Quod ipsum latius docere opus nihil est, quum idem ex quavis Philosophiæ historia, paullo accuratius scripta, horum virorum φιλοσοφούμενα intentius comparante facile pateat : satis igitur fecisse putamus, si Tennemanni *Gesch. d. Philos.* tom. IV commendaverimus. Ex eo igitur, quod illa Arcesilæ sententia non separatim tractata esset, præterquam quod tanto viro quodammodo injuria fiebat, vagum etiam quiddam tota rerum tractatio, subtilius hæc æstimanti, non poterat, quin traheret. Tot erant et placita, et exempla, in primis in ejus contra sensuum fidem disputatis, quæ Carneades et Philo ab hoc accepta habebant, iisque vel simpliciter utebantur, vel paullum immutatis, quorum fons, unde ducta essent, aut latere sic debebat, aut sæpe quasi e longinquo commonstrandus erat. Illud sane, ex ipsa rei natura judicatum, nescio quo modo se nobis, quotiescumque Lucullum legebamus, tamquam re probatum obtulit; idque tum etiam, quum ex solo adhuc sensu judicium nostrum regeretur. Neque facile certius quid ea de re statuere liceat, quum nescias, quam hac ex parte auctor in Catulo rationem inierit. Huc, ut alia transmittam, id certe pertinet, quod auctor Lucull. 25, 79, ipse fatetur, « heri, non necessario loco, contra sensus tam multa se dixisse ». Id autem inique se obtrudit, quod toties in Lucullo Arcesilæ mentio injicitur, quoties vix factum esset, si hujus philosophiæ ratio separatim exposita esset. Id quidem Ciceronem in posteriore editione fecisse, tum ex his, quæ diximus, tum ex aliis quibusdam argumentis conjici posse putamus. Quorum

quidem primum eo pertinet, quod tam parum in Academiæ totius descriptione, I, c. 12, de Arcesila monetur: quod certo ex vitio in hoc viro, qui tantam vim in novam Academiam habuit, factum foret, nisi auctor alio horum librorum loco ejus sententiam accuratius expositam, et ad Antiochi rationes collatam, inclusurus fuisset. Antiochum autem contra Arcesilam latius disputasse, vel ex iis clarum videtur, quæ Lucullus ex hujus mente de illius in veteres philosophos calumnia, quæ dicitur, c. 5 et 6 disserit, deque aliis rebus, quarum causa ejus mentio injicitur. Huc adde, quod ex paucis illis fragmentis, quæ ex II libro Acadd. posteriorum restant, nullum sit, quod ad hujus sententiam non recte possit applicari; unum autem, quod Nonius affert, ad eum solum pertinere videatur. Hic enim, voc. *Siccum*: « Alius adultis, alius senibus; alius ægris, alius sanis; alius siccis, alius vinolentis ». Hæc verba ænigmatis, vix solvendi, loco forent, nisi iis repentinam quamdam lucem accenderet Sext. Emp. VII, 413: μεταβάλλει γὰρ (χρῶμα) κατὰ ὥρας, ἐνεργείας, φύσεις, ἡλικίας, περιστάσεις, νόσους, ὑγείαν, ὕπνον, ἐγρήγορσιν· ὥστε τὸ μὲν οὕτως αὐτὸ ποικίλλεσθαι, γιγνώσκειν ἡμᾶς, τὸ δὲ, τί ἐστι κατ' ἀλήθειαν, ἀγνοεῖν. Ex his intelligitur, agi illo loco de coloris inconstantia in homine diversis ætatibus, conditionibus, etc. spectato, ut sensuum inde fraus et ἀκαταληψία doceretur. Reliqua ejusdem libri loca, quæ casus servavit, fere ad easdem sensuum fallacias probandas referuntur; qua in re docenda Arcesilam maxime laborasse constat. Sic, ne hoc pluribus persequamur, via certe facili binorum horum librorum, altera editione additorum, causa et ratio conjicitur; quæ alia vix ac ne vix quidem explicabitur, conjectura in reliqua omnia vagante. Hoc enim modo cuncta aptissime coeunt. Quum enim Cicero, editis prioribus Academicis, intellexisset, id quod vagum in iis inerat, Arcesilæ ratione separatim exposita, totum tolli, rectiusque cuique sua tribui posse, tumque omnia in certum suum orbem aptius redire: cœpit ea statim ad Catonem Brutumque transferre. Paullo post Atticus ad

eum illud de Varrone: quum Varro Antiochius esset, id ipsum, ut prorsus rei suæ conveniens, cupide ille arripuit, atque IV istos libros sic conscripsit, ut in *primo*, scena dialogi alia inducta, ea, quæ in Catulo in totius Academiæ historiam brevissimis exposuisset, accuratius ad Antiochum usque exponeret, atque ita totum hunc librum expleret; in *secundo* Arcesilæ rationem separatim explicaret, subtractis iis, quæ passim in Catulo et Lucullo monuisset; *tertio* denique et *quarto* libro, qui vel inde jam contractiores evaserant, Carneadis et Philonis sententias reponeret, collectis arctius, accuratiusque dispositis, quæ paullo diffluebant, mutatisque reliquis, quæ mutanda putaret; cetera omnia retineret, quæ ad horum duumvirum philosophiam referrentur; singulisque his libris postremo loco prooemia præfigeret. Ita sane *grandiores* hi libri exierant, quam illi; *sed tamen multa detracta :* ita *splendidiores*, *breviores*, *meliores*. Cf. ep. 13. Hoc tandem modo nihil miraberis, si illa apud Nonium loca ex IV Acadd. laudata cum illis Luculli conveniunt: quippe qui maximam partem ab auctore in IV librum translatus esset. Ne in hoc quidem offendat quis necesse erit, quod idem Nonius verba illa, Lucull. 18, 57, «quum ovum inspexerant, quæ id gallina peperisset, dicere solebant», ad secundum posterioris editionis librum refert: nam tota hæc de sensibus disputatio proprio jure, ut diximus, ad Arcesilæ rationem pertinebat.

His igitur expositis, accuratiorem et pleniorem utrorumque Academicorum quasi imaginem informare licebit. Nam qui putant, auctorem in sola Philonis sententia exponenda occupatum fuisse, his ista non *Academica*, sed *Philoniana*, inscribenda erant, quum tres principes viri essent, quorum primus novæ Academiæ fundamenta jecerat, ipse non ad eam relatus; alter eamdem ingenio plane insigni excoluerat; tertius denique excultam perfecerat.

Ea quæ tum ex epistolarum locis inter se comparatis, tum ex argumentis aliunde desumptis, derivantur, brevibus quæ sequuntur conclusiunculis contraxit doct. Christ. Godofr. Schütz. (in Acad. libros Prolegomena, p. 16.)

1. Ciceronem duos libros Academicorum, in quibus Catulum, Lucullum et Hortensium colloquentes induxerat, non solum perfecisse, sed etiam Attico eos describendi copiam fecisse.

2. Iis postquam erant absoluti, Ciceronem nova procemia addidisse, quorum altero Lucullus, altero Catulus laudaretur.

3. Paullo post consilium cepisse, quod notum esset hominibus viros illos non omnino quidem illiteratos, sed parum in philosophia versatos esse, Academicos hos sermones ad Catonem Brutumque transferendi.

4. Denique quum id ipsum agitaret, ab Attico admonitum, qui id Varroni jucundum futurum esse scripserat, novam horum Academicorum editionem parasse, multis ex priore detractis, aliis additis, quatuor libris comprehensam, in eaque Varroni Antiochinas, sibi autem Philonis partes attribuisse.

Jam etsi priorem editionem Cicero ipse noluit in manus hominum pervenire, divulgata tamen sunt eo insciente ex apographo ad Atticum misso quædam exempla; et hoc modo liber secundus, Lucullus inscriptus, ad nostram usque ætatem servatus est.

Alterius autem editionis, ad Varronem missæ, fragmentum tantum superest libri primi; reliqua præter locos nonnullos a grammaticis, item Lactantio, Augustino citatos, perierunt; nisi forte etiamnum alicubi in bibliothecis lateant.

III. *Restant denique pauca addenda de tempore quo scripta et bis edita sunt Academica, quæ ex Frid. Hülsemanni Prolegomenis, sect.* IV, *majore ex parte excerpemus.*

Quum post civile bellum, quod inter Cæsarem et Pompeium gestum est, omni funditus eversa republica, cuncta unius imperio ac nutu regerentur, neque cujusquam jam consilio, aut auctoritati locus esset; M. T. Cicero, qui et sui in rempublicam animi ipsam ab se uno conservatam rempublicam testem haberet; et nihil præter culpam præstandum esse sapienti semper credidisset; neque perpetuo affligi, atque angi voluit; neque eo otio, quod invito ac publicis muneribus orbato contigerat, ita languescere, ut nihil ageret dignum rebus his, quas ab se gestas esse meminisset. Itaque, in quibus a prima ætate multum operæ, studiique consumpserat, ad eas se retulit artes pertractandas. Ac *philosophiam*, quæ ad eam diem græcis tantum libris percipi poterat, *latinis sibi literis illustrandam suscepit.* Suum scilicet id esse munus credidit, quum jam dicendi gloriam Græcis eripuisset, efficere, ut hac quoque in parte nihil illis cederetur. Atque ille totam philosophiam animo complexus, nullum omittere locum constituit, quem non uberrime tractatum suis civibus traderet. Ac primo quidem sibi eos refellendos putavit, qui philosophiam contemnere, ac vituperare auderent: quod eo libro fecit, qui Hortensius inscriptus est; in quo et suis eam laudibus exornans, et ea quæ objicerentur, refutans, nihil omisit, quod *ad omnium studia ad ejus cognitionem excitanda*, necessarium esse videretur. Sed quum varia essent philosophorum genera, qui multis de rebus maxime dissidentes, tum auctoritate, tum rationibus, ita inter se pugnarent, ut nihil difficilius explicatu esset, quam quodnam maxime probandum genus esset; *Academiæ rationem* ceteris omnibus *præponendam* esse, *Academicis libris* ostendere conatus est.

Hæc Academica, quæ, ut supra monitum est, initio duobus libris comprehenderat, in iis Catulum, Lucullum, Hortensium loquentes inducens, jam ante mensem sextilem A. U. 708 (46 ante Christ. nat.) Attico miserat describenda, ut ex epistolis inter se collatis apparet; quum vero Atticus Ciceroni scripsisset M. Terentium Varronem hoc moleste ferre, quod ipsi in ejus libris locus nondum datus esset, consilium cepit Noster eosdem libros ita refingendi, ut Varroni partes Antiochias, sibi autem Philonis tribueret. Itaque eodem anno, brevi interposito intervallo, ex libris duobus quatuor fecit, qui soli in lucem editi sunt.

INTRODUCTIO
IN CICERONIS ACADEMICA.

PARS SECUNDA.

P. VALENTIÆ ACADEMICA,

SIVE DE JUDICIO ERGA VERUM,

EX IPSIS PRIMIS FONTIBUS,

AD M. T. CICERONIS ACADEMICORUM LIBROS, CETERAQUE OPERA PHILOSOPHICA ILLUSTRANDA (1).

1. Sapientiæ studium gentibus omnibus satis ex antiquo in pretio habitum, nec ulla adeo barbara et ab humano officio aliena natio fuit, quæ suos sapientiæ professores non habuerit et laudarit. Verum enimvero non æque ex antiquo apud alios, et alios populos id studium claruit: serius enim alii aliis sapientiæ vacarunt. Græci, qui præcipuam in hac re laudem vindicant, si cum Asiæ terræ incolis conferantur, pueri, quod doctrinæ ætatem spectat, censendi: uti ab Ægyptio sapiente Soloni aliquando objectum narrat in Timæo Plato. Hujus ea causa fuisse videtur: nam quum sapientia illa, quæ humani ingenii opera et studio paratur, non nisi otiosis et in pace agentibus, ejusque satagentibus

(1) Petrus Valentia, ortu Cordubensis 1554, qui se tamen Zafrensem inscripsit, quod originem e Zafra repeteret, oppido in extrema Bætica. Homo non vulgariter doctus, et qui, nescio an omnium solertissime, in veteris philosophiæ adyta penetraverat. *Academica* Ciceronis quæ supersunt, mutila, ideoque obscura, non brevibus quidem disjunctisque scholiis, at continenti oratione ita explanavit, ut mihi solus ea intellexisse videatur. Opus illud, hactenus rarissimum, paucisque cognitum, prodiit ex officina Plantiniana, anno 1596. Oliv. *in Præf. novi consilii de edendo Cicerone*, p. 13.

obveniat, ac plerumque dominationem comitari, et apud illos penes quos rerum imperium sit agere, eosque colere soleat (quum et ventri et ambitioni hoc sapientum genus in primis attendat, privatique commodi rationibus ducatur: inde enim est ut et mendaces prophetæ et gentium sapientes aulas frequentare, et circa divites regesque versari gaudeant; unde ut et muscarum examina divitum culinas compleant): Græcis (1) sero tandem sapientia cum imperio, pace, et otio uti contigit. Qui enim ii, qui vel rei augendæ, vel parando victui, vel hostium injuriæ propulsandæ intenti esse opus habeant, sapientiæ otiique artibus operam dent?

2. Primi ergo inter Græcos superstitionum magistri illi, theologi ab ipsis dicti, poetæque, qui deorum genealogias decantarunt, mysteriaque et numinum cultum tradiderunt, sapientiæ nomine celebrantur; quum hi in nulla veræ sapientiæ parte operam posuisse sint dicendi, fucate vero et personate illam, quæ *Politica* dicitur, coluisse videantur (2). Nam *religionis* procuratio atque constitutio, civilis gubernationis prima præcipuaque pars habetur. Post hos, ii prodierunt, qui, quod naturæ rerum contemplationi impense vacarunt: *Physici*, id est, *naturales*, nuncupantur. Inter hos illustris, sed Socratis magisterio illustrior, Anaxagoras, physicorum ultimus. Nam post Socratem alia philosophandi ratio fuit: quum enim philosophorum major pars philosophiam omnemque de sapientia tractationem in tres partes (3) distribuat, id est, in τὰ Λογικὰ, τὰ Φυσικὰ, καὶ τὰ Ἠθικὰ, quarum *prima* de sermone rationeque est; *secunda*, de natura; *tertia* vero de moribus, cujus membrum Politica sunt; quam *quartam* philosophiæ partem numerabant Peripatetici: Logica quidem et Ethica, qui Socratem præcessere, nec nomine tenus tractaverunt: multa ipsorum dicta et apo-

(1) Vid. Thucyd. lib. I.

(2) Plutarch. de oracul. defectu.

(3) Accuratam philosophiæ divisionem vide apud Senec. epist. LXXXIX; Laert. in Zenone; Plutarch. initio lib. I de placitis Philosoph. p. 874, e.

phthegmata ad mores pertinentia circumferebantur; sed non quæ artem redolerent, aut integram morum disciplinam conficerent. Pluribus etiam rationibus et argumentationibus inter docendum et disserendum usi sunt : omnes enim homines ratione utuntur; tamen argumentationum contexendarum et dijudicandarum ars, Διαλεκτική postea vocata, numquam illis in mentem venerat. At Socrates non is erat, qui rem ullam sine arte acciperet, aut agere commodum duceret. Igitur quum, omissa curiosa illa naturæ et sublimium speculatione ac indagatione, et ratione uti duce in agenda vita, et suos aliorumque hominum mores efformare instituisset, earum rerum, id est, rationis morumque artes adinvenit. Certe peritissimum in iis disciplinis et egregium artificem evasisse illum constat. Sed quum et ipse fortasse, sicut et posteriores Academici, τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν, id est, *disputationem in utramque partem*, optimum docendi genus existimaret, eoque plerumque uteretur, ac de nulla re audacter affirmaret, sed quærere semper diceret, et nihil scire præter hoc; ea ejus professione sive dissimulatione effectum est, ut ipsius discipuli, sive sectatores et asseclæ, aut ejus sententiam non plane perviderent, aut, pro vario cujusque ingenio, in varias opiniones abirent. Certe nemini eorum, qui Socratis familiaritate sunt usi, cum alio quopiam ex eodem sodalitio in rationalis aut moralis philosophiæ traditione convenit : sive forte etiam id ex gloriæ præcipuique nominis ac laudis cupiditate, et contentionis studio evenerit. Quippe et in naturali parte, quam non a Socrate didicerant, non minor inter ipsos discordia est. Sicut autem in hac, summa concertatio περὶ ἀρχῶν, id est, *de principiis* et causis rerum, semper fuit, ita deinceps in rationali περὶ κριτηρίου τῆς ἀληθείας, id est, *de judicio*, vel potius (si eo vocabulo uti liceat) *judicatorio veritatis*, h. e. de instrumento quo veritas sit dijudicanda; atque in morali, περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, id est, *de bonorum malorumque finibus*, præcipuum dissidium fuit.

3. Verum non de universa philosophia, deque omnibus

omnium philosophorum decretis agere est animus : nimis id longum, nec benignum opus foret. Tantum eum rivum cursim sectabimur, qui a Socrate in Academiam derivatus, varia doctorum successione, ad Ciceronis usque ætatem propagatus, evanuit : ni forsan postea in Phavorino et Chæronensi Plutarcho aliquando rursus ebullierit : certe non ita illustris post Ciceronem fluebat. Hanc enim græcæ eruditionis partem, sine qua latine scriptam philosophiam intelligi non posse Varro affirmat, iis qui M. Tullii Philosophica, *Lucullum* in primis, legere aggredientur, magnum allaturam operæ pretium existimamus, pluribusque aliis antiquorum libris lumen porrecturam : quum præterea ipsa de criterio quæstio, quam pertractabimus, scitu digna semper fuerit judicata.

§ I. *Platonis opinio de judicio veritatis.*

4. Igitur discipulorum Socratis longe principem Platonem, Dogmaticum quidam, alii Aporematicum, sive Scepticum, aut utrumque putant. Universim enim philosophos omnes in duo summa genera partiuntur : in *Dogmaticos*, id est, qui decreta dogmataque ponant et statuant, et *Aporematicos* vel *Scepticos*, id est, qui de omnibus dubitent atque disquirant et considerent, nihilque affirment, nullique rei assentiantur. Sive ergo Dogmaticus Plato, sive, quod in plerisque fuisse videtur, Aporematicus sit dicendus, hæc de criterio existimasse perhibetur (namque nihil prohibet Scepticum decreta habere; quibus quidem non uti perceptis assentiatur, sed ut probabilibus utatur : qua cautione etiam de criterio sententiam proferre (1) illi licebit). Ab humana mente, seu intelligentia [ὑπὸ τοῦ ἀνθρωπίνου νοῦ] ratione utente res judicari. Quum autem res partim sub intelligentiam, partim sub sensum cadant; hoc est, quum τὰ πράγματα alia νοητὰ, id est, *intelligibilia*, alia αἰσθητὰ, id est, *sensilia*, sint; humanam

(1) Alcinous, de placitis Platonis; Plutarch. adversus Colotem; D. Augustin. contra Acad. lib. III, cap. 17, tom. I.

etiam rationem [λόγον] duplicem esse. Nam qua αἰσθητὰ percipiuntur, opinatricem, sive opinantem rationem [δοξαστικὸν λόγον], sicut et res sensui expositas opinabilia [δοξαστὰ] appellari, earumdemque rerum perceptionem, δόξαν, id est, *sententiam* sive *opinionem* esse; sicut ex rebus quæ sub intelligentiam cadunt ratione alia quæ scientiam efficiat [τῷ ἐπιστημονικῷ λόγῳ] comprehensis, scientiam [ἐπιστήμην] exsistere. Rerum enim sensilium perspicuitatem, quæ rationi probetur, approbat etiam Plato; sed non ut ea scientiam effici dicat, opinionem tamen quæ scientiam eorum, quæ vere sunt, nobis in memoriam reducat. Ergo sensu cum opinatrice ratione sensui exposita judicari; mente vero seu intelligentia, una cum ratione scientiam efficiente, quæ intelligentia comprehenduntur. Hæc autem esse *ideas*, id est, constantes quasdam rerum formas, quæ revera sint, sive, ut dicit, quæ in eo quod est, exsistant. De universa ratione hac, sic ipse in Timæo (1) : « Est quid, quod est, et non generatur; aliud vero, quod gignitur quidem, est vero numquam : illud quidem intelligentia cum ratione comprehensibile, quod semper uniusmodi est : hoc vero rursus opinione cum sensu rationis experte, opinabile, generatum et interiens, numquam vero revera ens ».

5. Hanc, quam Platonis et veterum Academicorum sententiam esse Antiochus dicebat, apud Ciceronem (2) Varro exponit : « Quamquam judicium oriretur a sensibus, tamen non esse judicium veritatis in sensibus. Mentem volebant [Academici veteres] rerum esse judicem : solam censebant idoneam, cui crederetur; quia sola cerneret id, quod semper esset, simplex, et uniusmodi, et tale, quale esset. Hanc illi *ideam* appellabant, jam a Platone ita nominatam : nos recte *speciem* possumus dicere. Sensus autem omnes, hebetes et tardos esse, nec percipere ullo modo res eas, quæ subjectæ sensibus viderentur; quæ essent aut

(1) Platonis opera, tom. III, pag. 27, d, et 28, a.
(2) Acad. lib. I, cap. 9.

ita parvæ, ut sub sensum cadere non possent; aut ita mobiles et concitatæ, ut nihil umquam unum esset constans, ne idem quidem; quia continenter laberentur et fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant; scientiam autem nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus atque rationibus». Idem Cicero in Lucullo (1) : « Plato autem omne judicium veritatis, veritatemque ipsam abductam ab opinionibus et a sensibus, cogitationis ipsius et mentis esse voluit». Galenus (2) ipse etiam Platonicus φυσικὰ κριτήρια, id est, instrumenta a natura ad judicandum tributa, αἴσθησιν καὶ γνώμην dicit, id est, *sensum et intelligentiam*, quam et διάνοιαν, sive νοῦν, id est, *mentem*, sive λογισμὸν, id est, *ratiocinationem*, appellare etiam liceat. Hæc eadem veterum Peripateticorum sententia fuit. Nam et ipsi sensui rerum quæ sentiantur, non seclusa ratione, et intelligentiæ eorum quæ mente percipiantur, judicium detulerunt (3): nisi quod Aristoteles ideas illas speciesque rerum, quæ Platonis sunt τὰ νοητὰ, id est, *intelligibilia*, labefactavit; universalibus quibusdam rerum notionibus, quæ nusquam alibi, præterquam in singulis quibusque rebus, sint, intelligentiæ vero opera a materia seponantur, atque perpetuæ simplicesque jam et uniusmodi in contemplationem veniant, quum singulares res fluxæ multiplicesque sint, in idearum vicem inductis. Hæc sunt genera speciesque rerum et alia quæ de rebus intelliguntur et enuntiantur, et circa quæ scientia versatur, scholastico vocabulo *universalia* nuncupata : sed abstrusiora hæc sunt, minutæque disquisitionis, et quæ ex duobus summis philosophis, eorumque satis multis interpretibus sint perdiscenda.

(1) Acad. lib. I, cap. 46.

(2) De decretis Hippocr. et Plat. lib. IX, et in comment. lib. κατ' ἰητρεῖον, pag. 665, Græcæ edit. Basil.

(3) Vide Platonis Parmenidem, et de Republ. lib. VIII, 10; Plutarch. adversus Colotem; Stobæum in Physicis, cap. de idea, pag. 30; Plutarch. de placit. Philos. lib. I, cap. 10.

6. Speusippus, qui post Platonem Academiam tenuit, et Xenocrates, ceterique veteres Academici usque ad Arcesilam, parum a Platonis sensu abludunt, ut ipsorum de criterio sententiæ a Sexto (1) Pyrrhonio relatæ ostendunt. Cetera etiam Platonis antiquaque decreta diligenter ab iis conservata atque defensa, apud Ciceronem (2) scriptum est, ex Antiochi, cujus ibi partes Varro agit, sententia. Tamen Numenius Pythagoricus (3) eamdem fere dogmatum indolem ea tantum ratione apud eos permansisse concedit, quod nondum celebris illa *epoche*, ejusmodique alia inducta essent. Namque quod ad reliqua Platonis placita, alios quidem citius, alios posterius, ab eo discessisse, multisque modis decreta ipsa enervasse et invertisse affirmat, et dolere se id ait; sive consulto hoc, sive per imprudentiam, aut alia, utinam non ambitiosa, causa ab ipsis fuerit admissum.

§ II. *De Arcesila*, *et media Academia.*

7. At vero Arcesilas ab Stoicis, philosophisque omnibus, qui Academici non sint, tamquam novator, veterisque omnis, non Platonicæ modo, disciplinæ eversor manifestarius accusatur : namque « quum jam (ait apud Ciceronem Lucullus, cap. 5) philosophorum disciplinæ gravissimæ constitissent, tum exortus est, ut in optima republica Tib. Gracchus, qui otium perturbaret, sic Arcesilas, qui constitutam philosophiam everteret, et in eorum auctoritate delitesceret, qui negavissent quidquam sciri aut percipi posse ». Apud Plutarchum (4) Stoici quidam Arcesilam veteresque post eum Academicos, « Sophistas et philosophiæ pestes, decretorumque recta via procedentium eversores ac deturbatores, » appellabant. Quod autem eum *sub anti-*

(1) Lib. VII, adversus Mathematicos (1. adversus Logicos), sect. 141-149, pag. 400-402.

(2) Academ. lib. I, cap. 9.

(3) Apud Euseb. Præp. Ev. lib. XIV, cap. 5, p. 727, b et c.

(4) Plutarch. de communibus notitiis adv. Stoicos, pag. 1059, a.

quorum auctoritate delitescere voluisse, Lucullus ait, id ejusmodi est : nam quum Arcesilas ambitiosi, novandi ac calumniandi studii invidiam declinare (1) cuperet, non solum a Socrate Platoneque, quos magistros jactabat, se non descivisse ostendere conabatur, sed et physicorum philosophorum, qui Socratis ætate superiores fuerunt, majorem partem pro sua, sive potius Pyrrhonis acatalepsia epocheque citabat. Quod non candide aut bono animo ab ipso fieri, qui tunc erant sophistæ interpretabantur (2), illumque insimulabant quasi propria ac minime antiqua decreta antiquis et illustribus viris, Socrati et Platoni Parmenidique atque Democrito affingeret, ut doctrinæ suæ auctoritatem fidemque apud vulgus conciliaret. Verum acatalepsiæ, id est, desperatæ comprehensionis dogma, ex Homero ipso, antiquissimisque aliis repetitur et confirmatur apud Laertium in Pyrrhone (3); quod etiam et Cicero in Lucullo probare studet : namque id Academicis omnibus post Arcesilam propositum fuisse videtur. Multum igitur diversa origo novæ, sive mediæ, id est, Arcesilæ Academiæ ab aliis philosophis ambitionem et calumniam atque contentionem causantibus, et ab ipsis Academicis commemoratur. Hi enim (4) : « Cum Zenone, ut accepimus, Arcesilas sibi omne certamen instituit, non pertinacia aut studio vincendi, ut mihi quidem videtur, sed earum rerum obscuritate, quæ ad confessionem ignorationis adduxerunt Socratem, et veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes pæne veteres, qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt; angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, et, ut Democritus, in

(1) Vide Lactant. Divin. Inst. lib. III, de falsa sapientia, cap. 4, pag. 197, tom. I.

(2) Plutarch. adversus Colotem, pag. 1121, f, et 1122, a.

(3) Vide Sextum, lib. VII, adversus Mathem. (1. adv. Log.), sect. 128, pag. 398 ; Hypotypos. lib. III, sect. 244, pag. 189.

(4) Cic. Acad. lib. I, cap. 13.

profundo veritatem esse demersam; opinionibus et institutis omnia teneri, nihil veritati relinqui, deinceps omnia tenebris circumfusa esse, *dixerunt* ».

8. Unicam ergo tantum Academiam, cujus originem et antiquitatem a Socrate Platoneque, aut etiam antiquioribus repetunt, Academici concedunt, nihil post Platonem aut ab Arcesila, aut ab alio ex successoribus novatum fateri volunt: ut, paullo post hæc, quæ adscripsimus, Cicero scribit (1). « Hanc, inquit, Academiam novam appellant, quæ mihi vetus videtur, siquidem Platonem ex illa vetere numeramus, etc. » Ipse Philo (de quo non modicus nobis futurus est labor, quique magnus in Academia novator fuisse perhibetur) negavit « duas Academias esse, erroremque eorum, qui ita putarunt, coarguit (2) ». Plutarchus, in eo libro, quem in omnium philosophorum defensionem adversus Colotem, Epicuri auditorem, scripsit, quum ab Epicuro Coloteque contrario convitii genere petitum Arcesilam referat, quasi qui antiqua ac minime propria decreta pro novis ac suis venditaret, eaque ratione apud illiteratum vulgus laudem ac gloriam aucuparetur; gratias se de hoc et Colotæ et alii cuilibet, qui Academicæ disciplinæ rationem antiqua successione in Arcesilam derivatam ostendat, debere se et agere ait. Itaque Arcesilam, qui novæ Academiæ primus auctor plerisque creditur, ipsi ejus sectatores nihil novi attulisse, obstinate contendunt: nisi illud fortasse, quod a Zenone primum pronuntiatum ipse probavit, id est, *Non opinaturum sapientem*, id est, non assensurum incognito aut impercepto. Nam *Nihil esse quod percipi possit*, Socratis Platonisque, atque antiquiorum etiam complurium, quos ipse sequeretur, sententiam esse Arcesilas adstruebat. His vero duobus positis, *Non opinaturum sapientem*, et, *Nihil percipi posse*, necessario ἐποχὴ, id est, approbationis *retentio* ac *continentia*, consequebatur. Qua etiam ratione, non

(1) Cic. Acad. lib. I, cap. 13.
(2) Cic. Acad. lib. I, cap. 4.

solum scientiam omnem, sed et philosophiam universam everti, et e medio tolli Lactantius (1) putat: « Namque, inquit, si neque sciri quidquam potest, ut Socrates docuit; neque opinari oportet, ut Zeno: tota philosophia sublata est ». Sic epoche in Platonis scholam venit. Namque etsi, ut novi volunt, veteres Academici et Peripatetici *Nihil percipi* dicerent, tamen quum opinari non prohiberent, nihil epoche opus habebant. Quoniam vero nos perspicuitati potius quam aut elegantiæ, aut brevitati studemus, Arcesilam cum Zenone disputantem ea ratione, qua nunc vulgo in scholis par digladiantium scholasticorum committi solet, inducemus, apposita etiam Zenonis et Stoicorum de veritatis criterio sententia: sic enim maximi belli inter duas principes philosophorum factiones, Academicos et Stoicos, causa origoque constabit, quæ ab historiæ scriptore minime est prætermittenda. Nos autem nunc, nec quæstionem ipsam examinamus, nec decretum interponimus nostrum; sed rem gestam narramus, grammatico operi, ut Galenus (2) ait, id est, veterum dictis repetendis et in medium afferendis, operam impendentes nostram, inglorio nimis, uti nunc hominum sensus est, ne dicam infami negotio. Tamen hoc agamus. Sic, inquam, et belli causæ, et novæ Academiæ Arcesila fabro constructæ, quæ ipsius sectatoribus origo placet, perspicua fient.

9. Zenonis effatum, sive, ut vocant, conclusio erat, *sapientem non oportet opinari*, id est, sapiens non assentietur nisi percepto et cognito. Probat hoc Arcesilas laudatque tamquam sapientis gravitate dignum, licet novum, et quod ipse a sapientiæ, quam profiteretur, antecessoribus non acceperit. Verum et concedi sibi illud aliud postulat a Zenone, *Nihil approbaturum sapientem*, ut quod ex illo priore consequatur; aut pugnare. Zeno minime id concedit, pugnamque haud detrectat. Adoritur Arcesilas, et, quasi

(1) Lactant. Divin. Instit. lib. III, de falsa sap. cap. 4, p. 196, tom. I.

(2) De optimo docendi genere.

græco more, jacto titione inter acies, prælium committit. « Sapiens, inquit, non assentietur nisi percepto : sed nihil est quod percipi possit : nulli ergo assentietur sapiens, sed assensum sustinebit. » Negat Zeno posterius illud, id est, *Nihil percipi*, quoniam aliquid sit quod percipiatur. Quid illud sit, rogat Arcesilas. Φαντασία · id est, visum, vel visio, aut, si liceat eo verbo uti, *apparentia*, hoc est, id quod apparet, Zeno ait. Omnene quod apparet, omne visum verum est, atque percipitur? subjungit Arcesilas (1). Nequaquam, Zeno respondet; verum phantasia illa, quam comprehendi dico, sola ea est, « quæ impressa sit atque efficta ex eo, quod est, qua ratione illud est, qualisque nulla possit offerri ex eo, quod non est (2) ». Recte definitum concessit Arcesilas; tamen nullam ejusmodi phantasiam esse, ut non similis alia, et quæ ab illa non discernatur, id est, ut ipsorum verbis loquamur, ὁμοιοτάτη καὶ ἀδιάκριτος (3), a falso etiam objici possit. Hanc speciosam belli causam ipsi Academici narrant. Quod si id, quod D. Augustinus (4) credit, verum sit existimandum, honestior etiam Arcesilæ et Academicorum causa est, quam vel ipsos ego voluisse crediderim. Ait enim : quum Zeno, a Platonis Polemonisque magistri sententia aperte discedens, nihil in rerum natura præter corpora esse concederet, ut et ipsum deum animosque corpora esse diceret, Arcesilam, celata, tamquam mysterio quopiam, de iis quæ intelligentia percipiuntur, et de quibus solis scientia veraque perceptio esse potest, Platonis sententia, quum nihil a Zenone relictum videret, de quo opinione amplius quid esse posset, comprehensionem omnem optimo jure, secundum Platonis decreta, impugnasse, nec cognitionem aliam, quam opinionem, Zenoni concedere voluisse. Quum vero

(1) Cicero in Lucullo : « De hac definitione inferius agemus ». VALENT.
(2) D. August. contra Acad. lib. III, cap. 9, § 18, tom. I.
(3) Epictetus Arriani, lib. II, cap. 20, pag. 236.
(4) Contra Acad. III, cap. 17, § 37, 38, 39, tom. I.

Zeno opinari prohiberet, Arcesilas merito assentiri etiam vetuit. Nam de corporibus, id est, non veris rebus, opinio, non scientia aut vera comprehensio, est. Platonica ergo dogmata, Academicorum decreta fuisse Augustinus (1) sibi persuasit, quæ tamen ipsi celarent, « nec, ut Ciceronem scripsisse testatur, ea aperire solerent aliis, quam qui secum ad senectutem usque vixissent ». Verum enimvero novæ Academiæ rationem universam, quum ad Carneadem, verum ejus auctorem, ventum fuerit, describemus: namque Arcesilam (2) merum Pyrrhonium sub Academici nomine fuisse plerique omnes tradiderunt. Sextus (3) magnam sibi videri habere Arcesilam cum Pyrrhoniorum verbis affinitatem dicit, ita ut eadem propemodum disciplina ejus sit ac Pyrrhonis. Numenius apud Eusebium (4), Arcesilam et Crantoris, et Theophrasti Diodorique, atque Pyrrhonis disciplina imbutum et armatum ad pugnandum cum Zenone (5) accessisse, scribit; verum, præter cognomentum Academici, Pyrrhonium perseverasse: « Mnaseas ergo, inquit Numenius, et Philomelus et Timo Sceptici, Scepticum eum cognominant, quales et ipsi erant, qui etiam ipse verum et falsum, et probabile tolleret ». *Academici* autem cognominationem propter Polemonis magistri reverentiam, retinuisse illum, Numenius ait. Namque ei, quod Diocles Gnidius in diatribis scriptum reliquit, minime se fidem habere; scribere vero illum, Arcesilam sibi caventem metu Theodoræorum sophistarum ac Bionis, qui omnia omnium philosophorum decreta nullo discrimine impugnarent ac pertinaciter instarent, nullum dogma palam statuere ausum, sed epoche, ut atramenti effusione sepiæ, sese occultasse, et tutum delitescere voluisse. Quin, et quod Cicero ipse de eo scripsit, Sceptico magis quam Academico

(1) Contra Acad. III, cap. 20, § 43, tom. I.
(2) Arcesilas Pyrrhonius plerisque habetur. VALENT.
(3) Hypotypos. I, 33, sect. 232, pag. 61.
(4) Præp. Ev. lib. XIV, cap. 5, pag. 729, et cap. 6, pag. 731, b.
(5) Vide Laertium, pag. 61, in Arcesila, lib. IV, pag. 244 et seq.

convenit (1). « In utramque partem eum disserere solitum, ut quum in eadem re, inquit, paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assensio sustineretur. » Atqui hæc sceptica vox est, « omni rationi ratio alia æqualis obstat » : qua voce non solum comprehensio, sed et probabilitas omnis evertitur. Si enim pro alterutra parte æqualis momenti rationes omnes sunt, neutra est altera probabilior. Tamen Ciceronianum hoc de Arcesila cum eo, quod de veteribus Academicis Galenus scribit, satis concordat. Ait enim is (2), disputationem in utramque partem in epochen desinere a veteribus Academicis existimatam. Certe rationum pondera, quod perceptionem spectat, Academicis paria judicantur : quod ad probabilitatem fidemque faciendam attinet, aliæ aliis rationibus præferuntur majorique in pretio sunt. Vix enim, ac ne vix quidem Academicum a Pyrrhonio discernere liceret, si nec Academicus quidquam alio probabilius crederet. Verum de hac re satis multa dicturi sumus. Illa tantum Eusebii (3) de Arcesila addemus, quæ de Sceptico dicta videntur : « Polemoni enim Arcesilam aiunt successisse, quem memoriæ est proditum, relictis Platonis decretis, peregrinam quamdam et novam, ac, uti vocant, secundam Academiam constituisse. Dixisse enim, in omnibus assensionem continere oportere : esse enim omnia incomprehensibilia, rationesque pro alterutra parte æqualis momenti : fallaces esse sensus et rationem omnem. Laudabat igitur Hesiodi dictum illud :

Κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ νόον ἀνθρώποισιν.
Sapientiam enim dii hominibus celarunt.

Voluit etiam et inopinata quædam ac nova introducere, (vel) inopinata quædam dogmata jam obsoleta denuo excitare ».

(1) Cic. Acad. I, cap. 13.
(2) De optimo docendi Genere, pag. 497, a.
(3) Præp. Ev. lib. XIV, cap. 4, pag. 726, c et d.

10. Illud vero quod a Cicerone dicitur, Arcesilam, non pertinacia aut studio vincendi cum Zenone certamen instituisse; probri, quod Arcesilæ objiceretur, depulsandi causa dictum accipimus. Hæc enim, quæ ex Lactantio Numenioque adscribemus, ex antiquorum sententia petita sunt. Lactantius (1): « Verum Arcesilas ignorantiæ magister, quum Zenoni obtrectaret principi Stoicorum, ut totam philosophiam everteret (auctore Socrate), suscepit hanc sententiam, ut affirmaret Nihil sciri posse. Itaque coarguit existimationem philosophorum, qui putavissent ingeniis suis erutam esse, atque inventam veritatem, etc. » Numenius (2) de Zenone et Arcesila: « quum Polemonis magistri scholam una frequentarent, mutuo ambitionis et contentionis studio exarserunt »; et alio in loco (3): « quum igitur Arcesilas Zenonem sibi in arte æmulum esse videret, dignumque eum existimaret adversarium, ex quo debellato decus sibi pararet, quæcumque ab illo dicta ad se deferebantur, impigre impugnabat et intrepide »; et paullo post (4): « quum igitur dogma hoc, ipsumque nomen comprehendentis phantasiæ ab illo primum inventum maxime Athenis celebrari ac placere cerneret, omni adversus eam machinarum genere utebatur ». Subdit autem Numenius, Zenonem, quum multa fortasse haberet, quæ pro sua phantasia diceret, nihil tamen respondisse; verum quum nullum appareret Arcesilæ decretum, quod ipse vicissim impugnaret, adversus Platonis nihil in se commeriti dogmata sese convertisse. Impune ergo Arcesilas sensus et consuetudinem comprehensionemque universam devastabat; donec exortus ultor est, Chrysippus videlicet, qui Porticum videtur fulcire Stoicorum (5), id est, Porticus

(1) Divin. Instit. lib. III, de falsa Sap. cap. 6, pag. 200, tom. I.
(2) Apud Euseb. Præp. Ev. lib. XIV, cap. 5, pag. 729, c.
(3) Apud Euseb. Præp. Ev. lib. XIV, cap. 6, pag. 733, a.
(4) Ibidem, lib. XIV, cap. 6, pag. 733, a et b.
(5) Cicero in Lucullo, cap. 24.

3.

columna esse (1) : « nam si Chrysippus non fuisset, non foret Stoa ». Hunc, uti Plutarchus (2) scribit, non casu, sed deorum providentia quadam, Stoici dicebant post Arcesilam et ante Carneadem prodiisse : quorum ille quidem injuriæ ac contumeliæ adversus consuetudinem initium dedit; hic vero Academicorum omnium celeberrimus fuit. Chrysippus igitur quum inter utrumque exstitisset, iis quæ adversus Arcesilam scripta reliquit, Carneadis ingenio atque acumini quasi vallum opposuit, aditumque præclusit, multis præsidiis quasi in obsidionem sensibus et consuetudini relictis, tumultuque omni, qui circa notitias oboriri aliquando posset, omnino sublato, singulis iis correctis, aptoque ac proprio loco positis : ita ut qui iterum in posterum rebus vim inferre, easque loco pellere aggrederentur, nihil amplius agerent, quam ut deprehensi pœnas darent. Hæc Stoici de Chrysippo, id est, Hectore suo.

11. At Academici longe aliter de illo sentiunt : tantum enim abesse eum aiunt, ut sensibus consuetudinique subsidium attulerit, ut potius, imperiti medici more, morbo vires addiderit, et majorem fecerit. Nam quum in iis quæ pro sensibus et consuetudine scripsit, antequam ad objecta responderet, ipse etiam multa quæ solvere se facile posse sperabat, in contrarium rogaret, idque, ut non inferiore quam Arcesilas ingenio esse crederetur, ambitiosius faceret, viresque in eam rem ita intenderet, ut non solum philosophi more rationes opponeret, sed et rabulæ in modum interdum declamitaret; iis rationibus quum minus postea satisfaceret, lectoribus non quod volebat, persuadebat. Ipsi Stoici de Chrysippo gloriantes, ab eo armatum Carneadem (3) conqueri solebant. Quem, quum Chrysippi libros legeret, solitum dicere aiunt, Δαιμόνιε, φθίσει σε τὸ σὸν μένος, *Miser, tua te perdet*

(1) Laertius in Chrysippo, lib. VII, sect. 18, pag. 479.

(2) De communibus Notitiis adv. Stoicos, pag. 1059, b.

(3) Plutarch. de Stoicorum contrariet. pag. 1036, b, et Laert. in Carneade, lib. IV, sect. 62, pag. 263.

vis! quod hemistichium ab Andromacha, Hectorem a pugna revocare studente, apud Homerum (1) pronuntiatur. Dicebat etiam Carneades et illud, *si Chrysippus non fuisset, non essem ego;* quod per parodiam ex illo superius relato est detortum. Ita Stoici de Chrysippi scriptis ac ingenio sibi placent, ut dicant, omnes omnium Academicorum libros, qui adversus sensus sunt editi, si simul congerantur, non conferendos cum iis quæ ab uno Chrysippo adversus sensus sunt (2) scripta. Hæc Cicero non prætermisit; sic enim ait in Lucullo (3): « De quibus volumina impleta sunt, non a nostris solum, sed etiam a Chrysippo: de quo queri solent Stoici, dum studiose omnia conquisierit contra sensus et perspicuitatem, contraque omnem consuetudinem, contraque rationem, ipsum sibi respondentem se ipso inferiorem fuisse; itaque ab eo armatum esse Carneadem ».

12. Est ergo, nostra sententia, Arcesilas Pyrrhonius; aut qua ratione, ejus *Academiam*, quam plerique *mediam* vocant, a Carneadea, quam *novam* et *tertiam* dicunt, discernamus, non habemus. Nisi sic nec Arcesilam a Platone, nec Carneadem ab Arcesila, nec ab utroque Philonem descivisse, Academicis concedamus. Unum tamen est, quod Arcesilam non usquequaque cum Pyrrhone consentientem ostendere videatur, quod et Sextus, in libro *adversus Disciplinas* (4), tradit. Scribit enim is, « Arcesilam id in vita agenda sequi jussisse, quod probabile judicaretur. Namque prudenter se gerens quispiam, aiebat, beatitatem adipiscetur. Prudentia in recte factis versatur. Recte vero factum id est, de quo, quod ita factum fuerit, probabilis et rationi consentanea potest reddi causa: atque hoc modo, qui probabile sequutus fuerit, et recte se geret, et felicitatem assequetur ». Hæc autem omnia vehementer sunt Academica.

(1) Iliad. lib. VI, v. 407.

(2) Plutarch. de Stoicorum contrariet. pag. 1036, c.

(3) Acad. lib. II, cap. 27.

(4) Lib. VII, adv. Mathem. (1. adv. Log.), sect. 158.

Nam, ut ex D. Augustino (1) colligere est, Academici *sapientem* et *beatum* beatitate ea, quæ homini contingere possit, eum putabant, « qui verum quæreret, licet id numquam apprehendat, sed probabilitatem sequatur »: beate enim vivere eum aiunt, qui secundum rationem vivat ab errore liber. Error autem illis est, veri (2) pro falso approbatio : a quo satis se securos putant nihil approbando. Magna autem apud me, etiam in hujusmodi, Augustini est auctoritas : existimo enim omnia quæ ab illo de Academicorum disciplina, in libris quos adversus eos scripsit, commemorantur, ex M. Tullii libris, qui non exstant, esse desumpta. Verumtamen ea ratione *probabile sequi oportere*, Arcesilas dicere potuit, qua Sceptici etiam ipsi πείθεσθαι, id est, *persuaderi se*, aut quidpiam sibi probari dicunt, quum simpliciter id quod apparet, sine vehementi aliqua affectione aut animi propensione, sequuntur, ut ne nihil agant : quod idem Sextus (3) scribit.

§ III. *De Scepsi*, *sive Pyrrhoniorum secta*.

13. Quid autem *Scepsis*, ipsaque Pyrrhonis doctrina et institutio sit, etsi res postulare videatur, ut a nobis exponatur; tamen quum Sexti Pyrrhonii commentaria omnibus præ manibus sint, ex quibus hoc abunde liceat haurire, atque ii qui non adeo vacarint ut illa perlegant, ex Laertio (4) commode id capere possint, non magno vitio a nobis omitterentur : sed quia non omnino sine vitio; breviter universam Scepseos rationem perstringemus : vel præstiterit, a Timone, Pyrrhonis ipsius discipulo, jam olim in brevem

(1) Adversus Academ. I, 1, 2, 4 (et tum maxime cap. 3, § 7), tom. I.

(2) Sic in editione prima : sed lege omnino, « falsi pro vero approbatio ». Durandus.

(3) Hypotyp. lib. I, cap. 33.

(4) In Pyrrhonis vita, pag. 580 et seq.

summam redactam et ab Aristocle Messenio (1) repetitam transcribere. Igitur quum dixisset Aristocles, affirmasse quosdam aliquando, quibus Aristoteles contradixerit, haud quaquam nos ea ratione natura comparatos, ut quidpiam cognoscere valeamus; subjungit: « Perseveravit tamen (2) ac invaluit hujusmodi quædam affirmans *Pyrrho* Elæus; verum ipse quidem nihil in scriptis reliquit; discipulus tamen ejus *Timo* ad tria hæc animum advertere debere eum dicit, qui sit beatus futurus. Primum, qua natura res ipsæ sint. Secundum, qua ratione nos erga easdem affectos esse oporteat. Postremo, quid ii, qui isto modo habeant, consequantur. Res igitur sibi videri ait, ex æquo indifferentes, et ejusmodi, ut nec mensuram, nec judicium ullum admittant: ideo neque sensus nostros, nec opiniones verum sentire aut falsum; quare nec adhibendam fidem illis esse, sed absque opinione perstare nos oportere immotos ac stabiles, de quacumque re dicentes, Non magis eam esse quam non esse, vel esse et non esse, nec non esse. Eos qui isto modo sint animati *Timo* consequi dicit, primum quidem *Aphasiam*, id est, ut de nulla re aut aiant, aut negent; tum etiam *Ataraxiam*, id est, perturbationibus liberum mentis statum: Ænesidemus vero *Voluptatem*. Atque hæc quidem illorum, quæ ab ipsis dicuntur, summa capita sunt». Hæc Aristocles.

14. Juvabit autem et Scepticæ definitionem ex Sexto (3) adscribere. Sceptica, inquit, est δύναμις, id est, *vis et facultas*, quæ ea, quæ sunt φαινόμενα, id est, *sub sensum cadunt*, iis quæ sunt νοούμενα, id est, *mente percipiuntur*, opponit; idque quolibet modo. Definitionis hujus explanationem videat apud ipsum Sextum, qui vacarit. Affert etiam Laertius (4) ex Ænesidemo alteram hanc Pyrrhoniæ disciplinæ et rationis descriptionem. « Est vero Pyrrhonia ratio et institutio,

(1) Apud Euseb. Præp. Ev. lib. XIV. cap. 18.
(2) Apud Euseb. Præpar. Ev. lib. XIV, cap. 18, pag. 758, c et d.
(3) Hypotypos. lib. I, cap. 4, pag. 3.
(4) In Pyrrhon. vita, sect. 78, lib. IX.

memoria quædam et recordatio eorum quæ apparent, vel qualicumque ratione in cogitationem veniunt, secundum quam omnia omnibus conferuntur, et comparata atque inter se composita inutilia valde et confusionis plena comperiuntur ». Monet autem plus quam uno loco Sextus (1), Scepticum minime phænomena, id est, ea quæ apparent sensibusque objiciuntur, tollere. Namque, ut ait, Scepticus iis, quibus per phantasiam cogitur affici, assentitur. Exempli gratia, quum calefit, aut frigefit, nequaquam dixerit, *Puto me non calefieri*, aut, *frigefieri:* sed dicimus Scepticum dogma non ponere, eo sensu quo dogma nonnulli esse aiunt, assensum ad rem aliquam dubiam et incertam earum, de quibus in scientiis quæritur et ambigitur. Nulli enim rei incertæ et controversæ assentitur Pyrrhonius ; quærit (2) autem et ambigit non de ea re, quæ apparet, sed de eo quod dicitur de re apparente. Veluti, phænomenon est, *Mel gustum dulcem nobis præbere;* de hoc non quærit; sed de illo, *an mel dulce sit*, quod ad rationem et intelligentiam attinet, ambigit. Quod si etiam aperte circa id, quod apparet, aliquando quæstiones movet, non ita id facit quasi apparentia velit evertere, sed ut dogmaticorum temeritatem arguat. Si enim ejusmodi sunt rationis imposturæ, ut etiam apparentia tantum non oculis nostris surripiat; quomodo in incertis suspectam eam habere non debeamus, ne, eam sequentes, in temeritatem labamur? Est autem animadversione et annotatione dignissima admonitio hæc, non pro Pyrrhonis modo, sed potiori etiam ratione pro Academicis. « Nam et Academicis placuit (ait D. Augustinus (3)) nec homini scientiam posse contingere earum dumtaxat rerum, quæ ad philosophiam pertinent; nam cetera curare se Carneades negabat, etc. »

(1) Hypotyp. lib. I, cap. 7, sect. 13, pag. 4.
(2) Sextus, Hypotyp. lib. I, cap. 10, sect. 19 et 20, pag. 6.
(3) Adversus Acad. lib. II, cap. 5, § 11, tom. I.

15. «Criterium igitur, inquit Sextus (1), Scepticæ institutionis dicimus esse, *id quod apparet :* quod perinde est ac si *phantasiam* dicamus. Quum enim persuasionem et coactam passionem afferat, ambigi de ea non potest. Itaque hoc quidem, nimirum tale aut tale apparere ipsum subjectum, nemo fortasse in dubium vocat : sed de hoc videlicet an tale sit, quale apparet, ambigitur. Apparentibus igitur acquiescentes, ea quæ ad vitam communem pertinent observando, opinatione omni liberi vivimus : quia omnis actionis prorsus expertes esse non possumus. Videtur autem hæc observatio eorum, quæ ad vitam communem spectant, quadruplex esse; et partim in naturali instructione versari, partim in impulsu et coactu passionum, partim in constitutione legum et consuetudinum, partim in traditione artium : *Instructione* naturali, per quam a natura et sensuum et intellectus facultate præditi sumus; *Passionum* coactu, quo fit ut fames ad cibum nos deducat, sitis ad potum; *Legum* et *morum* constitutione, quæ facit ut pie agere in vita communi, bonum censeamus; impie agere, malum; *Artium* traditione, per quam non inutiles et otiosi sumus in iis quæ nobis traduntur artibus. Hæc autem omnia citra opinationem dicimus.» Hæc Sextus.

16. Quum autem Scepticus de quæstione aliqua rogatur, illis verbis, quibus quasi cautionum formulis utitur, solet respondere : Σκέπτομαι, id est, Quid respondere oporteat, quum nondum compertum habeam, quæro atque considero. Ἐπέχω, id est, *Assentionem sustineo.* Οὐδὲν ὁρίζω, id est, *Nihil definio;* namque omnia sunt ἀόριστα, id est, *indefinita.* Οὐδὲν μᾶλλον, id est, *Nihilo magis*, hoc videlicet est quam illud. Παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντικεῖται, id est, «Omni sermoni et rationi ratio alia æqualis obstat». Utebantur et aliis similibus formulis, quas omnes illarumque explanationem ex ipso Sexto petas licet, una cum aliis multis ad hanc sectam pertinenti-

(1) Hypotypos. lib. I, cap. 11, sect. 22, 23, 24, pag. 7 et 8.

bus : de qua etiam non pauca invenies apud Laertium in Pyrrhonis vita. Gellii quoque, sive Agellii, caput 5 lib. XI, de Pyrrhoniis consulas licet, non tamen ut differentiam, quam inter Academicos et Pyrrhonios ipse assignat, probes. « Quod Academici quidem, inquit, ipsum illud, nihil posse comprehendi, quasi comprehendunt, et nihil posse decerni, quasi decernunt : Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri verum dicunt, quod Nihil esse verum videtur. » Falsum enim hoc esse, quod de Academicis scribit, ex Carneadis ad Antipatrum responsione, apud Ciceronem manifestum fit : « nec enim (1) ipsum hoc decretum, Nihil comprehendi, Academici comprehensum sibi dicebant, sed probabile existimabant ». Sed ea est inter Pyrrhoniam et Academicam rationem, quum utrique philosophi epoche utantur, id est, assensionem cohibeant, potior differentia; quod Academici, uti postea planissime constabit, verum ac falsum ex rebus minime tollant, ac nec ex phantasiis quidem ; nam phantasias aut veraces, aut mendaces dicunt : Pyrrhonii hæc utraque ἐπίσης ἀδιάφορα, id est, *nihil inter ea* interesse, pronuntiant. Pyrrhonii paribus omnia stabiliri rationibus existimant : Academici et quædam improbabilia omnino, et alia aliis probabiliora, quæ pluribus aut potioribus rationibus fulciantur, majoremque fidem faciant, concedunt : quæ tamen adhuc, quantumvis probabilia, quum comprehensa non sint, assensum ab ipsis minime extorqueant.

17. Et hæc de Scepsi, pro instituti nostri ratione, satis multa. Jam enim ad Academiam reverti tempus : sed contrarii, id est, Stoici exercitus copiis prius enumeratis, ut promisimus, et necessarium existimamus.

§ IV. *De Stoico Criterio.*

18. Stoica dogmata, nisi altius repetito principio, non facile intelligas, quum etiam plerumque inopinata sint. Ex-

(1) Cicero in Lucullo, cap. 34 (ex sensu magis, quam ex verbis).

plicaturi ergo Stoicorum de veritatis judicio sententiam, illinc exordium sumendum ducimus. Animus secundum Stoicos corpore non caret : nec enim ipsi quidquam corporis expers in rerum natura esse credunt. Definiunt autem eum (1) πνεῦμα θερμὸν, id est, *calidum spiritum*, sive, ut princeps ipse Chrysippus apud Galenum (2) ait, « Animus est spiritus nobis ingenitus totum corpus pervadens, qui tamdiu est in corpore quamdiu illud animi functionibus agitur ac regitur ». Et apud Stobæum (3) de Stoicis : « Spiritum enim calidum nobis ingenitum, animum putant ». Partes vero animi octo numerant, uti, statim post illam descriptionem, quam ex Galeni libro exscripsimus, Chrysippus explicat, sed planissime Plutarchus, de Placitis Philosophorum (4). « Stoici (inquit) *Hegemonicon*, id est, Ductricem, seu principem partem, summam in animo esse dicunt, quæ et phantasiarum, et assensionum, et sensuum, atque appetitionum affectrix sit : hæc autem *Logismos*, id est, Ratiocinatio illis dicitur. Ab Hegemonico vero septem animi partes enascuntur ac procedunt, et per corpus tendentes extenduntur, velut cirri ex polypode. Harum autem septem animi partium, quinque sunt sensoria ipsa, *visus*, *odoratus*, *auditus*, *gustus*, *tactus*. Ex quibus *visus* quidem est, Spiritus pertingens ab Hegemonico ad oculos. *Auditus* vero est, Spiritus pertingens ab Hegemonico usque ad aures. *Odoratus* est Spiritus pertingens ab Hegemonico ad (5) nares, extenuandi vim habens. *Gustus* est Spiritus pertingens ab Hegemonico usque ad linguam. *Tactus* vero est spiritus pertingens ab Hegemonico ad [totius corporis] extremitatem, sive super-

(1) Lucianus in Hermotimo, et Plutarch. de plac. Phil. lib. IV, cap. 1.

(2) Galen. de placit. Hippocr. et Plat. lib. III, cap. 1, pag. 112, c.

(3) Eclogæ Phys. cap. 40, pag. 63.

(4) Lib. IV, cap. 1, pag. 903, b et c.

(5) Μέχρι μυκτήρων λῃπτῆνον, Budæus, *ad narium fauces*, ex re magis quam ex verbo. An legendum, λεπτὸν ὕμενα, id est, «ad tenuem intra nares pelliculam», seu *membranam?* Vide Galen. de odor. instrum. VALENT.

ficiem, ut quæ incurrunt et nos tangunt, facile sentiantur. Reliquarum partium, altera dicitur *semen*, quæ etiam est Spiritus pertingens ab Hegemonico ad parastatas. Altera vero, quæ a Zenone *Phonaen*, id est, *vocalis*, dicta est, quam et *Phonen*, id est, vocem, dicunt, est Spiritus pertingens ab Hegemonico usque ad guttur et linguam et accommodata instrumenta. » Atque principem quidem animi partem, Hegemonicon et Logismon dictam, proprio nomine, apud Stoicos, Διοικησίαν, indigitari solitam Stobæus refert. Significat autem verbum id *Gubernatricem*, sive, *Gubernationem*, nisi corruptum sit, potiusque διάνοιαν, id est, *mentem* seu *cogitationem*, legere oporteat. Sedem autem et quasi solium parti huic, ut idem Plutarchus (1) scribit, in toto corde, aut in spiritu, qui circa cor est, assignabant : sive, ut ipse hic Philosophus alio in libro (2) significare videtur, in ipsius cordis medio centro et puncto quodam, a quo ad sensuum instrumenta, veluti ex orbis alicujus media parte ad extremas, quasi radii, ducantur. Atque de hac quidem re apud Galenum (3), Platonis et Hippocratis, qui in cerebro mentem collocarunt, dogmata confirmantem, magna ac plus satis longo sermone agitata disputatio, sive jurgium est. Nos autem ad Academiam festinamus. Aiunt ergo Stoici (4), ita animi principem partem, nato statim homine, habere veluti membranam scripturæ paratam atque opportunam, in qua singulæ ἔννοιαι, id est, notitiæ, inscribantur. Primus vero annotationis sive inscriptionis modus, sensuum opere, fit. Αἴσθησιν autem, id est, *sensum*, sic definiunt (5) : « Sensus est sensorio facta apprehensio sive comprehensio ». Namque κατάληψις, id est, *comprehensio* (ut est

(1) De plac. Philos. lib. IV, cap. 5, pag. 899, a.
(2) De communibus Notitiis adversus Stoicos.
(3) De plac. Hippocr. et Plat. lib. II et III.
(4) Plutarch. de plac. Philos. lib. IV, cap. 11, pag. 900, b.
(5) Ibid. cap. 8, pag. 899, c.

apud Laertium (1), fit secundum hos, aut *sensu*, ut albi et nigri, asperi et lævis, etc. aut *ratione*, ut eorum quæ demonstratione colliguntur, ut, Deos esse et mundo providere (2). Ac quum plures significationes *sensus* vocabulo tribuant, in ea, quum de illo sic agunt, accipiunt, qua, ut definitio ipsa continet, sentiendi instrumento factam apprehensionem significari dicunt. Atque, in hujusmodi inscriptione, phantasiæ literarum usum præstant. Est vero *Phantasia*, ut apud Plutarchum (3) Chrysippus ait, « affectio in animo facta, se, et id a quo est affecta, ostendens ». Veluti quum visu aspicimus album, affectio quædam atque permotio in animo fit, cui commotioni album, quod ipsam excitavit, subjacere dicimus. Namque (4) phantasia luminis [φωτὸς], a quo denominationem accepit, in modum, et se et id a quo est affecta, indicat: sicut ipsum lumen et se, et rem lumine illustratám. Quum ergo Zeno (5) phantasiam τύπωσιν ἐν ψυχῇ, id est, *impressionem in animo*, dixisset, Chrysippus, τύπωσιν, id est, *impressionem*, ἀλλοίωσιν, id est, *immutationem*, interpretabatur : non enim fieri posse, ut in eodem loco plures impressiones eodem tempore constent, si typi veluti impresso sigillo in animo fiant. Quum vero *in animo* dicunt, principem animi partem significant : in ea enim sola phantasias, et assensiones, et appetitiones constituunt; quod, præter Plutarchum (6), Stobæus in Physicis tradit (cap. 39, circa finem).

19. Sunt autem phantasiæ aliæ λογικαὶ, id est, *rationales :* aliæ ἄλογοι, id est, *irrationales.* Rationales sunt, quæ ratione

(1) In Zenone, lib. VII, sect. 52, p. 396.

(2) Plutarch. de plac. Philos. lib. IV, cap. 8, pag. 899, et Laert. in Zenone, lib. VII, sect. 52, pag. 396.

(3) De placit. Philos. lib. V, cap. 12, pag. 900, d.

(4) Sextus, lib. VII adversus Mathematicos (1. adversus Logicos), sect. 163, pag. 404.

(5) Laert. in Zenone, lib. VII, sect. 507, pag. 395.

(6) De plac. Philos. lib. IV, cap. 11 et 21.

prædítis animantibus accidunt : irrationales, quæ ratione carentibus contingunt : hæ proprio nomine non appellantur. Rationales, νοήσεις, id est, *mentis conceptiones*, dicuntur. Rursus phantasias in αἰσθητικὰς, id est, *sensitivas*, quæ per sensuum instrumenta percipiuntur : et οὐκ αἰσθητικὰς, id est, *non sensu*, sed mente ac ratione *perceptas*, partiuntur. Præterea, phantasiæ quædam, τεχνικαὶ, id est, *artificiosæ ;* alteræ ἄτεχνοι, id est, *sine arte*. Namque aliter, inquiunt, artifex; aliter vero imperitus signum aut tabulam conspicit et contemplatur. « In quo enim sensus deficere videantur, Stoici artes adhibere jubent, quasi sensus alteros, » ait apud Ciceronem Lucullus (cap. 10). Epictetus (1) Academicos accusat, qui id quod in sensibus ad comprehensionem et scientiam subsidii est, impugnent et subvertere conentur; quum contra oporteret, studio et diligentia arteque adhibita, sensus ipsos juvare, excolere, atque ornare. Lucullus, sive Antiochus, id est, Stoici ipsi, apud M. Tullium (2) : « Adhibita vero exercitatione et arte, ut oculi pictura teneantur, et aures cantu, quis est qui non cernat quanta vis sit in sensibus? quam multa vident pictores in umbris et in eminentia, quæ nos non videmus? quam multa, quæ nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati? qui primo inflatu tibicinis *Antiopam* esse aiunt, aut *Andromacham*, quum id nos ne suspicemur quidem ».

20. Dividunt etiam Stoici phantasias in veras et falsas. Verum præcipua, et quæ magis ad rem facit, Stoica partitio est, qua phantasiarum alia καταληπτικὴ, id est, *comprehensiva*, vel *comprehendens*, alia ἀκατάληπτος, id est, *non comprehensa*, *nec comprehendens*, esse dicitur. Comprehendentis phantasiæ celebris est a Zenone ipso tradita definitio : « quæ expressa est atque impressa ab eo quod est, veluti est, qualisque numquam fieri possit ab eo quod non est ». Ἀκατά-

(1) Arriani Comment. in Epict. lib. II, cap. 20.
(2) Acad. lib. II, cap. 7.

ληπτον, id est, *non comprehensam*, sive, *quæ comprehendi non potest*, eam dicunt quæ ab eo, quod non est, incurrat.

21. Ac phantasias quidem alias veras esse, alias falsas dicunt; alias comprehendi, alias non comprehendi : sensus autem omnes veros, omnesque comprehensos, quum ipsi (1) comprehensiones quædam sint, esse affirmant : neque comprehensiones solum, sed et assensiones sensus omnes necessario esse Stoici asseverant. Quum enim quis album intuetur, albumque illud esse sentit, simul et comprehendit et assentitur album id esse, aut non sentit. Hoc in *Lucullo*, ex Antiochi sententia pronuntiatur, et Stoicorum verbis apud Laertium (2) scribitur. Aiunt enim sensilium phantasiarum perceptionem μετὰ εἴξεως καὶ συγκαταθέσεως, id est, *cedente et assentiente animo*, fieri : atque hoc unum est ex præcipuis controversiæ capitibus. Minime enim assensus liber esset, minimeque illum retinere liceret, siquidem omnis qui sentit, eo ipso et comprehendere, et assentiri dicendus foret. De hac re quædam apud Stobæum in *Physicis* (cap. 40, pag. 103) leguntur, sed ita corrupta, ut huc transcribenda non existimarim : illum tamen sensum continere videntur. Stoicis placere, sensum non ad solam phantasiam pertingere, sed et ipsum, et appetitionem usque ad approbationem progredi, nec sine assensione sensum (3) esse. At veteres Philosophos, Academicos in primis, nudam phantasiæ affectionem sensum esse putare, nec appetitionem initio illi adjunctam, nedum approbationem : alioquin assensus in nostra potestate non esset. Igitur Stoici, quum neque sensum sine approbatione constare posse contendant, multo minus appetitione quemquam moveri posse concesserint, qui non assentiatur id, quod appetit, ad naturam

(1) Sensus scil. Durand.

(2) In Zenonis vita, lib. VII, sect. 51, p. 396, et sect. 46, p. 393.

(3) Vide sententiam Semiæ Stoici de sensu apud Galen. in κατ' ἰατρεῖον, pag. 665, Græcæ edit. Basil.

esse accommodatum. Decernunt ergo (1), « omnes appetitiones esse approbationes ». Fuit itaque hoc Stoicarum adversus Academicos disputationum præcipuum argumentum. Plutarchus (2) : « Atqui in certaminibus adversus Academicos, plurimus et Chrysippo ipsi et Antipatro labor et conatus de eo fuit, ut ostenderent, nec agere quidquam, nec appetere, quempiam citra assensionem posse : sed figmenta et vanas positiones dicere eos, qui volunt, oblata phantasia rei ad naturam accommodatæ, protinus appetere nos non cedentes neque approbantes ». Tamen post multa tentata machinarum genera, multaque certamina anxie decertata, nihil tandem ab Stoicis aliisque philosophis actum idem Plutarchus (3) scribit, sed firmam adhuc et inconcussam epochen permansisse, neque loco umquam pulsam. Verum præstiterit verba ipsa Plutarchi adscribere, quæ mire ad rem pertinent qua de agimus. « Assensus vero in omni re retentionem [id est, epochen], nec ii qui multum negotii operæque in eam impenderunt, longis voluminibus adversus eam scriptis, loco pellere potuere. Verum quum nec sumpta ab ipsa Stoa Apraxia [id est, actionis universæ privatione], ac veluti Medusæ capite intentata atque ostensa quicquam proficerent; re tandem desperata destiterunt, postquam omnia experti omnique lapide moto, numquam appetitionem adducere potuerunt uti assensus fieri se pateretur, nec a sensu, propensionis suæ initium admittere voluit; sed sola ipsa, nulla accessione egens, ad alliciendum et deducendum ad actiones satis idonea est comperta ». Sed ad minuta illa Stoicorum revertendum nobis est.

22. Eas quæ ratione utentibus obveniunt phantasias, νοήσεις appellari adnotabamus ; hæ (4), postquam in mente

(1) Apud Stobæum in Eclogis phys. cap. 40, p. 103.

(2) De Stoicorum contrariet. pag. 1057, a.

(3) Adversus Colotem, pag. 1122, a et b.

(4) Plut. de Stoic. contrar. et de plac. Philos. lib. IV, cap. 11.

repositæ sunt ac conservatæ, ἔννοιαι, id est, *notitiæ*, dicuntur : sic enim definiunt : ἔννοιαι, ἀποκείμεναι νοήσεις, id est, *Notitiæ, repositæ in mente apprehensiones.* Atque si animo infixæ perseverent, μνήμη, id est, *memoria*, jam est ; quam μόνιμον καὶ σχετικὴν τύπωσιν, id est, *stabilem impressionem et quæ in habitum abierit*, dicunt : ut quum albi sensu percepti memoria, eo e conspectu sublato, remanet. Namque quamdiu id quod sentitur, adest, non memoria, sed, ut arbitror, phantasiæ ἔμφασις (quasi dicas *apparentia*) ab Stoicis dicebatur. Sic enim illa apud Laertium (1) accipio : « Sunt etiam phantasiarum emphases, donec ab eo quod est, fiunt ». Non negarim tamen hæc illum sensum admittere, ut significent, phantasias ab eo quod est, proprio nomine *emphases*, vocari. Postquam vero multæ generis ejusdem memoriæ convenerint, ἐμπειρίαν, id est, *usum*, sive *artem*, habere dicunt. Est enim ἐμπειρία « generis unius memoriarum collectio, sive multitudo (2) ». Apud Ciceronem (3) Stoici artem non ex una aut ex duabus, sed ex multis animi perceptionibus constare dicunt.

23. Ac (4) quotquot sine arte nostra notitiæ rerum mente excipiuntur, φυσικαὶ, id est, *naturales*, vocantur, suoque nomine προλήψεις. Est autem πρόληψις, ἔννοια φυσικὴ τῶν καθόλου (5), id est, *notitia naturalis universalium*, vel eorum quæ *in genere* aut *in universum* dicuntur : ut notitia hominis, equi, bovis, albi, nigri, etc. Quæ vero arte et studio atque disciplina notitiæ comparantur, τεχνικαὶ ἔννοιαι, id est, *artificiosæ notitiæ* sunt, nec proprio nomine insigniuntur. Cicero ἐννοίας et προλήψεις non distinguit, sed uno vocabulo *notitias* (6) vertit.

(1) In Zenone, lib. VII, sect. 51, p. 396.
(2) Plut. de plac. Philos. lib. IV, cap. 11, p. 900, b.
(3) In Lucullo, cap. 7.
(4) Plut. de plac. Philos. lib. IV, cap. 1, pag. 900.
(5) Laert. in Zenone, lib. VII, sect. 51 et 52.
(6) In Lucullo, cap. 7 et 10.

24. *Logos*, id est, ratio ipsa, propter quam homines rationis participes esse dicuntur, ἐκ τῶν προλήψεων, id est, *ex naturalibus* illis prænotionibus atque *notitiis* in animo collectis confici atque consummari constareque dicitur (1): quod primo ætatis septennario absolvi solere putant. Jam enim eo tempore diversarum rerum notionibus consideratis, alterisque ad alteras comparatis ac invicem compositis, rationes et argumentationes construere, et judicare homines valent.

25. *Criterium* igitur *veritatis* Zeno et Stoïcorum major pars τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, id est, *visionem comprehensivam*, seu *comprehendentem*, esse decreverunt (2). Cujus phantasiæ definitio superius a nobis græce recitata, sic a M. Tullio (3) latinis verbis redditur : « Visum impressum effictumque ex eo quod est, quale esse non potest ex eo quod non est ». Ac nescio qua ratione, in translatione hac, verba illa definitionis, κατὰ αὐτὸ τὸ ὑπάρχον, id est, *sicut est ipsum quod est*, omissa sint, quum, uti ex Sexti (4) explicatione (is enim definitionem istam late prosequitur, singulasque ejus partes interpretatur), apparet, necessaria omnino videantur. Namque, ut visio aliqua *comprehendens* dici mereatur, et ab eo quod est proveniat, oportet et rem ita, uti est, repræsentet, ejusmodique sit, ut falsum aliquod visum ejusdem formæ omnino simillimum, et quod nulla arte a vero discernatur, nullum contingere queat.

26. Ac talis certe phantasia revera *comprehendens*, et cui assensus jure optimo deberetur, foret, siquidem ejusmodi aliqua posset reperiri (5). Nec aliter Academici ipsi censent,

(1) Plutarch. de placit. Philos. lib. IV, sect. 11. Et Philo, in sacrar. leg. allegor. post sex dierum opus, pag. 45, tom. I.

(2) Cicero, Sextus, Laertius.

(3) In Lucullo, cap. 6.

(4) Lib. VII, adversus Mathematicos (1. adversus Logicos), sect. 248-260, pag. 420-423.

(5) D. August. contra Acad. lib. II, cap. 5, tom. I.

qui mire definitionem istam commendant, et Acatalepsiæ fundamento utuntur. Nisi quod Stoici multas ejusmodi visiones esse pertinaciter asseverant : Academici nec unam quidem talem umquam contigisse, aut contingere posse, probant. Atque adeo quum, uti aiunt, nullum visum sit (quod ad hanc comprehendendi veram rationem attinet) quod comprehendi possit, retinendam assensionem merito sibi videntur statuere. Atque de hac una re tota fere concertatio est : illis pro sensibus, consuetudine, perspicuitate et ratione depugnantibus; his, id est, Academicis, sensuum consuetudinisque universæ ac perspicuitatis rationumque omnium, quod quidem ad aliud quidpiam probabilitate majus præstandum faciat, judicium damnantibus ac dilacerantibus. Hinc tot Chrysippi scripta pro sensibus et consuetudine laudantur, totque Academicorum contrariæ disputationes. Stoici, apud Plutarchum (1), πρόδικοι τῆς ἐναργείας, id est, *evidentiæ advocati et patroni*, cognominantur. Phavorinus Academicus tres libros adversus comprehendentem phantasiam scripsit, ut Galenus (2) refert : qui etiam tradit Carneadem nec illud quidem concessisse (3), « quæ duo uni cuipiam æqualia sint, mutuo etiam æqualia esse ». Ipse Cicero (4) Geometricis his elementis non multum acquiescit. Verum enimvero nondum ad Academiam divertimus : sunt enim Stoica hæc amplius expedienda, quum sint impeditiora.

27. Igitur, primum (5) occurrente phantasia animus percellitur; tum mens, ut quæ discernendi habet facultatem, rationisque et elocutionis usu est prædita, quidnam sit illud quod phantasiam immittit, apud se enuntiat : ut puta, albi visio est hæc. Ac siquidem nihil impediat, id est, ut

(1) De communibus Notitiis adversus Stoicos.
(2) Galenus, de optimo docendi Genere, pag. 498, b.
(3) Idem, de optimo docendi Gen. pag. 499, d.
(4) In Lucullo, cap. 36.
(5 Laert. in Zenone, lib. VII, sect. 49, pag. 395.

dicebant, ἐνστήματα, vel ἐνστάσεις (1), id est, *impedimenta* nulla sint, quominus visio vera habeatur, mens eam apprehendit et apprehensæ assentitur (hæc res, si sensus instrumento excepta visio fuerat, Stoicis *sensus* est). Quod si res, cujus visum perceptum et approbatum fuit, ad naturam judicetur accommodata, ὁρμὴ, id est, *appetitio*, e vestigio sequitur; sin vero naturæ incommoda, ἀφορμὴ vel ἔκκλισις, id est, *animi declinatus ac fuga.* Est autem ὁρμὴ, φορὰ ψυχῆς ἐπί τι, id est, *impetus animi ad aliquid.* Quæ vero λογικὴ ὁρμὴ, id est, *rationalis appetitio* dicitur, illo modo definitur, φορὰ διανοίας ἐπί τι τῶν ἐν τῷ πράττειν, id est, *impetus* vel *motus*, vel *impulsus mentis ad aliquid eorum quæ in actione sunt.* Hæ apud Stobæum (2) appetitionis definitiones ex Stoicis sunt exscriptæ. At Plutarchus (3) Chrysippum, in libro de *Lege*, isto modo appetitionem descripsisse refert : ἡ ὁρμὴ τοῦ ἀνθρώπου λόγος ἐστὶ προστακτικὸς αὐτῷ τοῦ ποιεῖν, id est, *Hominis appetitio ratio* [quædam] *est, quæ illi actionem imperat :* quæ definitio, quum de animi affectionibus, in Morali (4) tractatione, ex Stoicorum sententia, agendum fuerit, memoriæ maxime tenenda. Cicero secundam illam descriptionem respicere videtur, quum scribit (5) : « Nam aliter appetitio (eam enim esse volumus ὁρμὴν) qua ad agendum impellimur, et id appetimus quod est visum, moveri non potest ». Hanc idem Cicero, alio in libro (6), *animi appetitum et ascitum* interpretatur; contrarium, id est, ἀφορμὴν, *depulsionem* et *declinatum* vocat; Seneca, *fugam.* Philo Judæus, qui plerumque philosophicis variarum Sectarum vocibus et decretis uti gaudet, in libro cujus index est, Ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον, id est, *Non esse*

(1) Sextus, lib. VII, adversus Mathemat. (1. adversus Logic.), sect. 253-257, pag. 421 et 422.

(2) Eclogæ Ethic. cap. 3, pag. 175, lin. 13, 14, 15.

(3) De Stoic. contrariet. pag. 1037, f.

(4) Quam auctor in hoc opere promittit. D. Durand.—Vide § VI, 71.

(5) In Lucullo, cap. 8.

(6) De Finibus, lib. V, 17.

divinam naturam mutationi obnoxiam, de appetitione hæc, non quidem Stoica, sed planissime Academica, scripta reliquit : « Id vero quod apparuit visumque sui impressit, nunc quidem uti naturæ accommodatum, nunc vero ut altero modo habens, affecit animum. Cujus affectio ea *Appetitio* nuncupatur, quam definire volentes primam animi motionem esse dixerunt (1) ». Πρακτικὴν autem, id est, agentem hanc appetitionem Stoici more suo in multa minutiora dividunt : numerant enim ejus species, πρόθεσιν, ἐπιβολὴν, παρασκευὴν, ἐγχείρησιν, προαίρεσιν, θέλησιν : quasi dicas, *propositum*, *intentionem*, *præparationem*, *conatum*, *consilium*, *voluntatem*. Verum nimis jam multum in Stoicis senticetis hæremus : ad scientiam ergo, hæc enim ipsis viæ finis et navigationis portus, ipsaque beatorum civitas est, tandem accedamus.

28. Scientiam Stoici varie definiunt : hæ enim ejus sunt ex ipsis collectæ apud Stobæum (2) definitiones : « Scientia est firma et immutabilis ac rationi innixa comprehensio », vel, « quæ ratione convelli non possit, comprehensio ». Et, « Collectio ex hujusmodi scientiis in rationali animi parte sapientis constituta ». Et, « Collectio sive aggregatio ex scientiis artificiosis firmitudinem a se ipsa habens, quales virtutes sunt », vel, « qualem firmitudinem virtutes habent ». Et, « Habitus ad phantasiarum receptionem accommodatus, a ratione firmitatem habens, ut convelli non possit », vel, « quem convellere nulla ratio possit ».

29. In solis autem virtutibus (3) atque in sapiente solo Scientiam esse, Stoicorum dogmatum caput est : quam et summum bonum dicunt et solum. Cicero in Lucullo (4) : « In quibus [virtutibus] solis inesse etiam Scientiam dicimus, quam nos [Stoici et Antiochus] non comprehensio-

(1) Philo, pag. 279, lin. 7, tom. I.

(2) Stobæus, Eclogæ Ethic. cap. 2, pag. 171, lin. 11 et seq.

(3) D. Augustin. contra Acad. lib. VII, tom. I.

(4) Cap. 8.

nem modo rerum, sed etiam stabilem atque immutabilem esse censemus ». Et paullo ante libri finem (1) : « Nos enim [Stoici] defendimus, etiam Insipientem multa comprehendere. At scire negatis quemquam rem ullam, nisi Sapientem. » Plutarchus (2), Stoicorum verbis : « Omnis comprehensio in Sapiente et memoria, quæ constantiam et firmitudinem habeat, protinus Scientia est, magnumque ac maximum bonum ». Omnia enim quæcumque in Sapiente sint, bona esse : in stulto, id est, vulgari hominum conditione, nihil bonum, meliora media esse statuebant. Unde et officia quantumvis recta, in Sapiente solo perfecta et bona, et κατορθώματα, id est, *recte facta ;* in Insipiente, non nisi media et imperfecta officia appellari volebant. Sed de his alius erit dicendi locus.

30. Quibus autem quasi gradibus ad hoc summum bonum deveniatur, et ex iis quæ dicta sunt jam elucescit, siquidem memoria tenes, quid *Visa*, quid *Notitiæ*, quid *Prolepses* sint, quid *Memoria* ac *Usus* sive *Ars*, qua ratione *Mens*, *Dialecticæ* etiam ductu, ex *Notitiis* Rationes conficiat, Decretaque statuat et firmet : quæ omnia etiam stultô ante sapientiam contingunt, nec, ut modo dicebamus, quantumvis speciosa, illi plus quam media sunt ; neque propterea aliquid est consequutus, quo minus stultus plane et miserrimus habeatur, nisi quod iis stationibus ultimo tandem pedatu scientiam tenet, repenteque ex insipiente et infelicissimo, cuique nullum malum absit, Sapiens beatissimusque evadit, « Mentem perfectam, ait Plutarchus (3), summam sapientiam, divinæ parem conditionem, scientiam ab opinione omni liberam, immutabilemque habitum consequutus ; quum tamen antea nihil ei ex nequitia decederet : sed repente (parum est quin dicere ausim) in Heroem quem-

(1) Cap. 47.

(2) De commun. Notit. adversus Stoicos, pag. 1061, c.

(3) In eo libro, cui titulus : « Quod Stoici poetis magis inopinata dicunt », pag. 1058, b et c.

piam, aut Dæmonem, aut Deum ex fera pessima mutatus. Qui enim virtutem ex Stoa sumptam habeat, dicat statim licet : Opta si quid vis, omnia tibi aderunt, etc. » Illos gradus idem Plutarchus alio in loco (1) indicat aperte, dum Stoicorum inconstantiam accusat : quos ita sibi non constare, neque quid dicant animadvertere, ait : « Ut quum notitias repositas quasdam mentis conceptiones esse definiant, memorias autem constantes et habitum adeptas impressiones, scientias vero etiam omnino cogant et quasi coagulent, ut quæ immutabiles ac firmæ sint; fundamentum deinde sedemque istis ex lubrica et non stabili, sed dissipabili semperque fluente natura substernant, animum videlicet ex tenui aura compactum ». Longa de hac re Lucullo habetur oratio ab illis statim verbis, *Ordiamur igitur a sensibus*, etc. quam apud Ciceronem legas : nos integrum librum exscribere nolumus. Duo tamen loca apponere necessarium existimamus. Altero tota Stoici Criterii ratio, ex Antiochi fide, a Varrone describitur ; altero Zenonis imago, qua omnia hæc repræsentare ipse solebat, Ciceronis verbis depingitur. « Visis, inquit Varro (2), non omnibus adjungebat fidem [Zeno], sed iis solum, quæ propriam quamdam haberent declarationem earum rerum, quæ viderentur : id autem visum, quum ipsum *per se* cerneretur, *Comprehensibile*.—Feretis hæc? — Nos vero, inquit : quonam enim modo καταληπτὸν, diceres?— Sed, quum acceptum jam et approbatum esset, comprehensionem appellabat, similem iis rebus, quæ manu prenderentur : ex quo etiam nomen hoc duxerat, quum eo verbo antea nemo in tali re usus esset; plurimisque idem novis verbis (nova enim dicebat) usus est. Quod autem erat sensu comprehensum, id ipsum *Sensum* appellabat : et, si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset (3), *Scientiam ; * sin aliter, *Inscientiam* no-

(1) De comm. Notit. adversus Stoicos, pag. 1085, a et b.

(2) Apud Cic. Acad. lib. I, cap. 11.

(3) Vides qua ratione interpretetur τὸ ἀμετάπτωτον ὑπὸ λόγου. VALENT.

minabat: ex qua exsisteret etiam *Opinio*, quæ esset imbecilla, et cum falso incognitoque communis. Sed inter scientiam et inscientiam, comprehensionem illam, quam dixi, collocabat; eamque neque in rectis neque in pravis numerabat, sed soli credendum esse dicebat. E quo sensibus etiam fidem tribuebat, quod, ut supra dixi, comprehensio facta sensibus et vera esse illi et fidelis videbatur : non quod omnia, quæ essent in re, comprehenderet; sed quia nihil, quod cadere in eam posset, relinqueret, quodque natura quasi normam scientiæ et principium sui dedisset, unde postea notiones rerum in animis imprimerentur : e quibus non principia solum, sed latiores quædam ad rationem inveniendam viæ reperiuntur. Errorem autem, et temeritatem, et ignorantiam, et opinationem, et suspicionem, et uno nomine omnia, quæ essent aliena firmæ et constantis assensionis, a virtute sapientiaque removebat : atque in iis fere commutatio consistit omnis, dissensioque Zenonis a superioribus ».

31. Hæc apud Ciceronem Varro : illo autem altero loco (1) ipse Cicero : « Et hoc quidem, ait, Zeno gestu conficiebat : nam quum extensis digitis adversam manum extenderat, *Visum*, inquiebat, *hujusmodi est* : deinde quum paullum digitos contraxerat, *Assensus hujusmodi* : tum quum plane compresserat pugnumque fecerat, *Comprehensionem* illam *esse* dicebat. Qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod antea non fuerat, κατάληψιν, imposuit. Quum autem lævam manum pugno admoverat, et illum pugnum arcte vehementerque compresserat, *Scientiam* talem esse dicebat, cujus compotem, nisi *Sapientem*, esse neminem ». Cernis ergo quo ista ordine procedere Stoici velint : hoc nempe, *Phantasia*, *Comprehensio*, et *Sensus* et *Assensus*, *Memoria*, *Scientia*. Assensum autem ideo in imagine apprehensionem præcedere suspicor, quod in plerisque hominum id soleat

(1) In Lucullo, cap. 47.

accidere, ita ut minus firmus et pertinax assensus quam comprehensio sit, si vulgarem hominum conditionem spectes. Namque in Sapiente comprehensio approbationem antecedat necesse est, aut opinari Sapientem; a quo maxime Stoici abhorrent. Aiunt enim peccare homines, dum phantasiis assentiuntur : « Siquidem incertis cedant et abduci se patiantur, proruentes ac præcipites, quasi qui cadere festinent; si vero falsis, deceptos; sin autem communiter imperceptis, opinantes (1) ». Stobæus de Stoicis (2) : « Nihil vero existimare nisi firmiter, ideo nec opinari Sapientem. Ac duas quidem esse opinionis species : alteram, quæ sit assensus sine comprehensione; alteram vero, existimatio infirma. Utramque alienam a Sapientis affectione. Quare et approbatione apprehensioni præcurrere, quod προπίπτειν, dicunt, temerario ac præcipiti, sapienti vero atque perfecto viro minime accidere ». Harum duarum opinionis specierum priorem simpliciter *opinationem*, alteram *suspicionem* a Cicerone, in Varronis verbis quæ retulimus, vocatam advertere debuisti. Esto ergo Scientia maximum summumque bonum; sed quæ tandem ejus est utilitas, si nemo futurus est, qui ejus compos fiat? Ait namque Cicero (3), *qui Sapiens sit, aut fuerit, nec ipsos quidem Stoicos dicere solere:* id est, non habere eos, nec pronuntiare cujuspiam nomen posse, qui illam magnam felicitatem consequutus umquam fuerit. Contingere quidem posse virtutem et sapientiam, inde sibi Posidonius Stoicus colligere videbatur (4), quod Socrates Diogenesque ac Antisthenes ad eam profectus fecissent : tamen neminem, qui virtutem ipsam obtinuisset, Stoici noverant, aut fuisse aliquando credebant. De quorum sententia illud a Plutarcho (5), quum de Stoico sapiente

(1) Plut. de Stoic. contrar. pag. 1056, f.
(2) Eclogæ ethicæ, cap. 5, pag. 183, lin. 11 et seq.
(3) In Lucullo, cap. 47.
(4) Apud Laert. in Zenone.
(5) De Stoicorum contrarietat.

agit, pronuntiatur : « Est vero hic, aut fuit nusquam gentium ». Nec solis Stoicis hoc placuit, sed et omnes fere gentium Sapientes producere possemus (1), qui non solum nulli umquam Sapientiam contigisse, sed nec contingere homini posse aperte sunt professi. Sunt autem hæ gentium confessiones animadversione dignæ, pro illo Divi Pauli dicto: *Nihil enim ad perfectum adduxit lex* (2) : Philosophia enim instar legis habet, nam *ejusmodi legem non habentes*, *ipsi sibi sunt lex* (3). Illud etiam non prætermittendum, quod a Diocle apud Laertium (4) est traditum, fuisse Stoicos aliquos, quibus Zenonis de Criterio sententia non probaretur. Nam antiquiores quidam Stoici, ut Posidonius in libro de Criterio scripsit, rectæ rationi judicium veritatis tribuerunt. Boethus (5) mentem, et sensum, et ὄρεξιν, id est, *appetitum*, seu *appetitionem*, seu *desiderium*, et scientiam, criteria dicit : Chrysippus in libro de ratione vel sermone, *sensum* et *prolepsin*, criteria statuit (6). Tamen Galenus (7), Zenonis sententiam, de Criterio, Chrysippo tribuit. Hæc de Stoico Criterio.

§ V. *De Carneade, et nova Academia.*

32. Arcesilæ successit in Academia Lacydes, qui, dum adhuc viveret, Teleclo et Evandro Phocensibus scholam regendam tradidit. Evandrum sequutus est Hegesinus Pergamenus, post quem Carneades Cyrenensis, Clitomachi Pœni, quem Larissæus Philo audivit, magister, Academiam tenuit. Hic est ille Carneades, cujus et in Oratoria, et in

(1) Vide Plutarch. in Lycurgo.
(2) Hebr. 7, vs. 19.
(3) Rom. 2, vs. 14.
(4) In Zenone, lib. VII, sect. 48, 49.
(5) Valentia male scripserat *Boetius*.
(6) Laert. in Zenone, lib. VII, sect. 54.
(7) De placitis Hippocr. et Plat. lib. IX, cap. 7.

Philosopia magnum nomen est, quique verus novæ Academiæ auctor habetur : quam enim hic philosophandi rationem edixit, eam plerique omnes, qui Academicorum cognomento gavisi sunt, postea tenuerunt, certe tenere et sequi sunt professi. Quare et nos omnia, quæ de hujus disciplina invenire potuerimus, colligere, et in medium afferre curabimus; nec diligentiæ et laboris pro viribus parci erimus.

33. Igitur Carneades hic (uti videbatur) de Arcesilæ illa Pyrrhonia ac rigida pertinacia aliquantum laxans ac remittens, ferarum potius more (ait apud Eusebium (1) Numenius), ut auctis viribus et contentis majori insultu et impetu adoriretur, retrocessisse existimandus. Gravior enim et expugnatu difficilior, quam Arcesilas, Carneades hostis, dogmaticis omnibus infensissimus, sed præcipue Stoicis, fuit. Tota vero ejus sententia hujusmodi fuisse videtur.

34. Primum quidem certe omnia sunt ἀκατάληπτα, id est, incomprehensibilia, nihilque est quod percipi et comprehendi possit. Verum hoc non rerum ipsarum culpa; sua enim ipsæ apud se natura constant, ut si quid de illis affirmetur, aut negetur, effatum aut verum aut falsum necessario sit, *a parte rei*, ut nostri Philosophi loquuntur. Tamen hominibus non obtigit facultas, vel ars aliqua, qua verum a falso discernant et dijudicare valeant. Similiter et de phantasiis, quod quidem res spectat quarum imagines sunt et a quibus ingeruntur, vel veræ, vel falsæ sunt, veraque nuntiant, aut mentiuntur. At quum sua veritas apud res ipsas remaneat, ipsæque immotæ perstent (non enim res animos nostros ingrediuntur), immissa tantum nobis ex se phantasia atque similitudine quadam, quæ plerumque, uti mali nuntii, mentiri et fallere solet; nec nota aliqua nobis comperta sit, qua veraces a mendacibus visionibus distinguamus; nullum apud nos visum comprehensum esse

(1) Præp. Evang. lib. XIV, cap. 8, pag. 737.

potest, aut verum haberi debet : potest tamen verum videri, et probabile judicari. Quia *probandi species est* (ait Cicero (1)), *percipiendi signum nullum habemus :* id est, nulla præcipua nota insignes veræ phantasiæ animos nostros ingrediuntur, ut ea statim animadversa, *Hæc vera phantasia est*, dicere possimus : tamen aliquæ phantasiæ ita nos commovent, itaque erga illas afficimur, ut sese nobis probent ac magis veræ judicentur. Iis probabilibus, quando veris et perceptis caremus, in traducenda vita uti oportebit, ne nihil agamus. Ad eumdem etiam modum de notionibus decretisque, et omnibus, quæ de rebus intelliguntur aut enuntiantur, est statuendum, ut nihil horum perceptum aut comprehensum, id est, plusquam probabile existimetur. Hæc est universæ Carneadææ sententiæ satis aperta summa. Sed iteranda eadem ista sunt dialectice magis et ad doctrinam accommodatiore ratione : valde enim percipi velim, qua ratione *Nihil percipi* nova Academia probet ac decreto utatur.

35. Res sua natura sunt, suaque, ut aiunt, essentia constant, nec per eas stat quominus percipiantur. Sed hominibus nullum integrum judicium aut idoneum judicandi instrumentum a natura est concessum. Non *Phantasia*, quia fallere potest et plerumque solet : non *Mens*, quia phantasiis utitur, nihilque sine illis excipere aut agere valet. Nam *Notitiæ*, *Prolepses*que universæ ex phantasiis ortum habent ; ex his et sermones sunt et argumentationes constant : ipsa *Dialectice*, cujus ductu et opera ratiocinationes compinguntur atque judicantur, lubrica est ac fallax, ut nec decretis, quæ hujusmodi rationibus nituntur, nimium fidere debeamus. Sic itaque, percipientis ratione, id est, hominis de quo quum de comprehendendo agitur, sermo est, omnia esse incomprehensibilia Carneadis sententia fuit, quum Arcesilas (uti arbitramur) res etiam ipsas non extra culpam

(1) In Lucullo, cap. 34.

poneret. Sed confirmare hæc Veterum testimoniis debere nos scimus. Numenius apud Eusebium (1) de Carneade : « Verum enim et falsum rebus ipsis inesse concedens, quasi qui [adversario] cederet et illius etiam ipse jam rem ageret; velut callidus luctator, ansa tantum et nexu disputationi permisso, illinc rursusque sese extricabat et resiliebat. Ex probabilitatis enim ratione, et momento utroque tributo, neutrum dicebat firmiter comprehendi ». Cicero in Lucullo (2) : *Veri esse aliquid non negamus, percipi posse negamus.* Idem de *Natura Deorum* (3) : « Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur; sed ii, qui omnibus veris falsa quædam adjuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa judicandi et assentiendi nota ». Ad hanc rationem illustre illud apud Philonem (4), in libello *de Ebrietate*, Acatalepsiæ patrocinium est referendum : « Eum igitur qui sibi placeat ac jactet, vel in consilio capiendo, vel in iis, quæ seligenda, quæque rejicienda sunt, satis ingenio et sapientia valere, his admonere oportet. Siquidem ab iisdem semper rebus easdem nulloque discrimine dissimiles phantasias occurrere contingeret; esset etiam fortasse necessarium, duo in nobis a natura fabricata ac constructa judicia, sensum videlicet et intelligentiam, plurimi facere uti incorrupta et quæ minime mentirentur; nec de ulla re oporteret dubitantes assensum sustinere, sed phantasiis semel oblatis fidentes, illa quidem capere, declinare alia. At quum ab iisdem rebus vario modo affecti comperiamur; stabile nihil de re ulla pronuntiare poterimus, quum visum non stet, sed multis modis permutetur. Necesse enim est, ut commutabile nec firmum judicium de commutabili phantasia sit». Et quæ sequuntur omnia Academica sunt et Carneadæa, etsi ex illis decem pervulgatis

(1) Præp. Evang. lib. XIV, cap. 8, pag. 738, a.
(2) Cap. 38.
(3) Lib. I, cap. 5.
(4) Pag. 383, lin. 14, et pag. seq. tom. I.

Pyrrhoniorum sive locis sive modis, quibus illi *Acatalepsiam* statuunt et *Epochen* commendant, petita videantur: nam et ii modi majori ex parte hanc rationem spectant, quum sensus et phantasias potius accusent. Academici certe, propter eas maxime phantasias, comprehensionem ablatam dicunt, quas, quum a falso sint, simillimas iis quæ sunt a vero apparere aiunt, ut discerni nequeant. Verum retulerit totum hoc imagine repræsentare. C. Julii Cæsaris, qui dictator dictus est, veram faciem, quam ipsam ego numquam vidi, quantumvis multas ejus affabre factas imagines ac simillima simulacra attente perspexerim et considerarim, nec Stoici quidem ipsi cognitam mihi ac comprehensam dicent. Existimare mihi certe ac arbitrari licebit hanc vel illam picturam Cæsaris faciem reddere, propiusque ad veri vultus speciem accedere, conjectura ex eo facta, quod videam plures ex illis imaginibus hujusmodi effigiem repræsentare; aut alia demum ratione adducto mihi hanc præ illa imaginem probare placebit, probabilemque laudabo et amplectar, rejectis ceteris, minime fortasse probandam. Verum ipsam viri faciem visam mihi ac comprehensam numquam mihi aliquis argutando persuadebit; aut quæ verax et cum ipsa re conveniens pictura sit, compertum mihi et cognitum umquam esse poterit. Ita et de visis sive phantasiis, quæ et ipsæ non res quas ostendunt (1), sed rerum imagines et spectra quædam sunt, Academici judicabant: idque Carneades ipse duplici partitione docuisse dicitur.

36. Altera est: Phantasiæ aliæ veræ, aliæ falsæ sunt; id est, aliæ rem a qua sunt immissæ recte repræsentant; aliæ veram rei imaginem non reddunt. Verum qua ratione quove judicio veraces a mentitis separemus, non habemus: ideo quum veræ sint eæ, quas comprehendere oporteret, neu-

(1) Sextus, lib. VII, adversus Mathematicos (1. adversus Logicos), sect. 358, pag. 440.

tras comprehendemus. Namque inter quæ nihil intersit, haudquaquam alterum percipietur, alterum minime percipere licebit : sed inter visa vera et falsa nihil interest, falsaque non possunt comprehendi : igitur neque vera. Visa aliqua esse falsa solus fortasse Epicurus negabat, quem conjunctis viribus Academici et Stoici et reliquarum Sectarum turbæ omnes impugnabant. Illud erat difficilius duriusque, maxime propugnantibus Stoicis, inter visa vera et falsa, quod ad perceptionem comprehensionemque attinet, nihil interesse. In hoc maxime Academici desudant, hic ipsorum præcipuus labor et conatus, omnisque adversus sensus et consuetudinem rationemque omnem atque conjecturam ipsorum disputatio de hoc est, dum universa hæc enervare, infirmaque ad veritatis judicium ac comprehensionem reddere omni studio adnituntur; idque ideo ipsi admonent et maxime adnotatum volunt, omnia quæ ab ipsis contra sensus contraque perspicuitatem dicantur, ad eam divisionem pertinere, qua visa in ea quæ percipi possunt, et in ea quæ non possunt, dividuntur. Reprehensio vero illa, quæ in his implicata videtur, quaque Philonem maxime perturbatum narrare solitum Antiochum, Cicero refert in Lucullo (cap. 14, 34), nihil est quod quemquam commoveat. Ea est, « Contraria sibi dicere eum, qui, phantasiis in veras et falsas divisis, nihil veras a falsis differre rursus affirmet : quod tantumdem ac plurimum inter eas interesse et nihil interesse, simul ponere sit. *Namque* id ita esset (*ait idem Romanus Academicus* (1)), si nos verum omnino tolleremus. Non facimus; nam tam vera quam falsa cernimus : sed probandi species est, percipiendi signum nullum habemus ». Itaque, ut ad nauseam usque repetitum volunt, veræ et falsæ phantasiæ sunt, hoc est, quæ veram rei similitudinem referant, et quæ mentiantur; quod tamen ad nostram comprehensionem attinet, inter utrasque nihil

(1) In Lucullo, cap. 34.

interest, quum nihil sit quo eas ab invicem dignoscamus, aut notam illam qua differunt, Stoici indicent. Quam quidem nullam compertam illis esse, nihilque (1) ita in animis nostris signari a vero posse, quod non eodem modo possit a falso, Antiochus, dum adhuc Academiam propugnaret, ex Dionysii Heracleotæ, qui ob hoc *Metathemenos* est cognominatus, commutata sententia, probare sibi videbatur. Qui enim is, si certa illa nota dum Stoicus fuit, certum et comprehensum habuisset *solum honestum esse bonum*, postea, oculorum dolore vexatus, ad Cyrenaicorum (ut Laertius in Zenone (2) scribit), vel ad Epicuri (ut Cicero (3)) partes transiret? Sed idem Antiochus a nova in veterem Academiam, ut ipse dicebat, sive potius ad Stoam migrans, fecit ut idem argumentum adversus eum cuilibet sumere liceat. Multa ergo Academici pro sua hac Acatalepsiæ ratione congerunt argumenta, sensibus rationique auctoritatem detrahentia, quorum aliqua Tertullianus (4) et D. Augustinus (5) retulerunt, et solvere se credunt. Afferebant similitudines (6) ovorum, capillorum, geminorum, visa somniantium, et furiosorum, et (7) ejusmodi alia. Aristonem Stoicum, qui Stoicum dogma illud, *Nihil opinaturum Sapientem*, vehementer commendabat et defendebat, sic a Persæo re ipsa convictum tradunt : curavit enim hic ut ex duobus simillimis geminis fratribus alter pecuniam apud Aristonem deponeret, alter repeteret, quam Aristo, similitudine deceptus,

(1) In Lucullo, cap. 22.

(2) Male, sed *in Herillo*. Lib. VII, sect. 166 et 167.

(3) In Lucullo, cap. 22.

(4) De anima, cap. 17, pag. 275 et 276.

(5) Advers. Acad. lib. III, tom. I.

(6) Ex hoc Hermagoræ Stoici περὶ σοφιστείας πρὸς τοὺς Ἀκαδημαϊκοὺς, dialogo titulus factus Ὠοσκοπία, id est, Ovorum inspectio, sive examinatio. Suidas.

(7) Vide D. Hieronymum ad Pammach. de errorib. Johann. etc. ad libri finem, pag. 329, tom. IV.

ei, qui non deposuerat, restituit. « Omnia autem hæc (ait Cicero (1)) proferuntur, ut illud efficiatur, quo certius nihil potest esse, inter visa vera et falsa ad animi assensum nihil interesse. Vos autem nihil agitis, quum falsa illa vel furiosorum, vel somniantium, recordatione ipsorum refellitis. Non enim id quæritur, qualis recordatio fieri soleat eorum qui experrecti sunt, aut eorum qui furere destiterunt, sed qualis visio fuerit aut furentium, aut somniantium, tum quum commovebantur. » Namque quum visio aderat, quam Stoicus falsam judicat, Academico non quidem probatur, nihil differebat a vera, quamdiu ea afficimur. Quod si nec postea visum id suspectum redderetur, nec ab alia probabili phantasia aut a ratione refelleretur, nec in argumentum quidem adduci ab Academicis posset : quum enim Academicus diceret : « Vides visa furentium falsa nihil, quamdiu adsunt, a veris differre, sed eodem modo afficere, nec discerni a veris posse? » Stoicus nisi et ipse illa improbaret et falsa diceret, id quod Epicureus responderet : « Non mirum hoc esse, quum ea etiam visa vera sint ». Eo ergo modo Academici *Nihil comprehendi* decernunt, id est, probabile putant, quasi dicerent (libenter imaginibus utimur, quum de imaginibus, id est, de phantasiis sermo sit), res ipsas apud se suo quamque pondere esse, sed nullam apud homines esse stateram; vel, quum verum et adulterinum aurum sit, Lydii lapidis non esse copiam, ita ut, ex colore pondereque et duritia aurum probare vel improbare, probabilique tantum auro uti sit necesse.

37. Adversus hæc Stoici aliqui nec disserere quidem necessarium aut dignum ducebant : quod nihil esset clarius ipsa ἐναργείᾳ, id est, evidentia, sive perspicuitate, qua nullam illustriorem orationem reperiri posse dicebant. Epictetus apud Arrianum (2) sic Academicum alloquitur : « Vigilare

(1) In Lucullo, cap. 28.
(2) Lib. I, cap. 5, pag. 96.

te comprehendis? Non, inquit; nec enim quum in somnis vigilare mihi videor. Nihilne ergo visum hoc ab illo differt? Nihil. Ulteriusne cum hoc disseram? quemve ignem, aut quale ferrum illi admoveam, ut mortui affectionem habere se sentiat? Sentit, et tamen sentire dissimulat : mortuo etiam pejor est ».

38. Aliquando illo potius modo, quam ullis rationibus vel argumentis redarguendos Academicos Stoici censent, quo, si cujuspiam illorum servum esse contingeret, usurum se dicit Epictetus. Namque ait (1), « Etiam si millies quotidie sibi vapulandum foret, quum oleum afferre et infundere herus juberet, allaturum se garum; quumque herus diceret, *Quid hoc est? nonne oleum dixi?* Dixisti, inquit, responderem : sed a garo mihi olei phantasia oblata est ὁμοιοτάτη, ἀδιάκριτος », id est, *simillima, et quæ non discerneretur.* In omnibus eodem se modo facturum dicit Epictetus (2), et sperat, « si duo vel tres ex conservis secum adversus herum conspirent, effecturum, ut aut sententiam mutaret Academicus, aut ad suspendium adigeretur ». Verum, o Epictete, si tuus ille herus me audiat, experiri oportebit, quis prior defatigatus consilium mutaret, tune vapulando, an cædendo ille. « Alii autem negabant (ait Lucullus (3)) se pro hac evidentia quidquam priores fuisse dicturos : sed ad ea, quæ contra dicerentur, dici oportere putabant, ne qui fallerentur. » Multa ergo Stoici, Chrysippus, Antipater, et Antiochus, pro sensibus et evidentia dixerunt et scripserunt, quorum aliqua in Luculli sermone legas; nos omnia huc non transcribimus. Illud non prætermittendum, quod ad similitudines respondebant : « Omnia sui generis esse, Nihil esse idem quod sit aliud ». Stoicum ἀξίωμα, quo id significatur : Omnes singulas res propria natura, atque, ut dicitur, essentia constare, ideoque et propriis qualitatibus, quæ

(1) In Epict. Arrian. lib. II, cap. 20, pag. 236.

(2) Lib. II, cap. 20, pag. 236.

(3) Academ. lib. II, cap. 6.

eædem in nullo alio sint, aut esse possint. Quare quum quæque res natura sua ab omnibus aliis differat, dignosci etiam atque discerni, proprioque discrimine animadverso separari a ceteris omnibus poterit et debebit. Plutarchus (1): « Audire autem eos est (multosque ipsorum de ea re libros legere), cum Academicis altercantes clamantesque, Omnia ab illis confundi ac permisceri indiscreta hac similitudine inducta atque concessa; rebus ab ipsis vim fieri, dum qualitatem unam substantiis duabus tribuere conantur. Atqui hoc nemo hominum est qui non existimet, contraque mirum et præter opinionem putet, si neque palumbus palumbo, neque apis api, neque tritici granum grano alteri, vel ficus (ut est in proverbio) fico, in universo tempore exstitit ita simile, ut discerni non posset ». Verba Ciceronis (2) concordant : « Omnia dicis sui generis esse; nihil esse idem, quod sit aliud. Stoicum est id quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem qualis sit pilus alius, nullum granum. Hæc refelli possunt, sed pugnare nolo : ad id enim quod agitur, nihil interest, omnibus ne partibus visa res nihil differat, an internosci non possit, etiamsi differat. [Sed (3) si hominum similitudo tanta esse non potest, ne signorum quidem? Dic mihi, Lysippus eodem ære, eadem temperatione, eodem cælo, aqua, ceteris omnibus, centum Alexandros ejusdemmodi facere non posset? etc.] »

39. Ea vero quibus Dialecticen oppugnant ac subvertere putant Academici, valde sunt infirma. Proferunt et objiciunt soritas, et ea quæ Stoici (4) ἄπορα vocant, *inexplicabilia* Cicero (5); quæ quum vitiosa manifesto sint, nullum tamen adversus illa auxilium a Dialectica afferatur, nullaque

(1) De communibus Notitiis adv. Stoicos, pag. 1077, c.

(2) In Lucullo, cap. 26.

(3) Hæc omnia, omissa a Valentia, subjungit Durandus.

(4) Laertius, in Zenone.

(5) In Lucullo, cap. 29.

artis regula excludantur ; sed æque ac ea quæ vitio carere dicuntur, concludere videantur. Non enim hoc artis vitio tribuendum, sed artificum negligentiæ, qui regulam, qua horum vitium aperiant, commenti non sint. Quin et arti satis est illa notare, et cavere jubere : ut et navis rector satis pro officio facit, si, etsi brevia de medio non tollit, tamen cavere jubeat, ac declinet. Nec enim ideo ars aliqua damnanda, quia quædam superare non possit. Summum gubernatorem aut medicum Plato (1) ait, quæ effici arte sua possint, et quæ non, cognita habere, et illis quidem manus admovere et aggredi facere, omittere alia. Itaque melius adversus hujusmodi se gerat Dialecticus, si tantum vitiosa dicat, nec explicare anxie laboret. Etsi non multi negotii foret, distinctione aliqua, illiusmodi omnia eludere et frangere. Quis umquam dixit, *Ego mentior,* quum hoc ipsum pronuntiatum falsum vellet declarare? Nemo umquam, existimo, aut nihil dixerit. Sed quum sic aliquis loquitur, de alio aliquo, paullo ante a se affirmato, sermonem facit; si non facit, quum nihil dicat, nec verum, nec falsum dicit. Verum non tantum otii est, ut operam in hisce nostram profundamus. Nec multum etiam firma sunt ea quibus D. Augustinus (2) Dialecticam adversus Academicorum incursiones munit : vera multa docere Dialecticam, ut, effatum omne aut verum esse, aut falsum : Disjunctiones necessario esse veras. Ipsum vide; nec enim hæc negotium nobis facere debere putavimus. Dictam ergo visorum in vera et falsa divisionem, rerum quarum visa sunt, rationem spectare admonebamus. At vero ratione ejus qui visione afficitur, id est, hominis, phantasias in veras, aut falsas, comprehensas, aut non comprehensas, partiri non oportere Academici aiunt, quum apud eum nihil veræ a falsis differant, nullæque ab ipso comprehendantur.

(1) De Republ. lib. II.
(2) Contra Acad. lib. III, cap. 13, tom. I.

40. Tamen hominibus quædam phantasiæ veræ videntur ac probantur; quædam falsæ videntur atque improbantur. Quæ veræ videntur πιθαναὶ, id est, *probabiles*, et ἐμφάσεις et πιθανὸν Academicis vocantur. Quæ vero falsæ habentur ac improbantur, ἀπίθαναι, id est, *improbabiles*, et ἀπεμφάσεις et ἀπίθανον ab iisdem dicuntur. Quum igitur homines non otiosos in vita esse oporteat, sed moveri et agere aliquid, humanaque omnis cognitio (Academicorum partes agimus, nec ex animi nostri sententia loquimur) et perceptio probabilitate amplius quid non assequatur; probabili phantasia necessario erit utendum. Hæc enim est Academicis Criterium (1), non quidem Veritatis (namque hujus nullum usque adhuc constitit), sed τοῦ πιθανοῦ, id est, *probabilis*, quod in vitæ actionibus atque electionibus officiisque omnibus et decretis sequi Carneades jussit, et sectari se Academici profitentur. Atque hac una re Sapientes se putant et haberi volunt, Sapientia ea quæ hominibus contingere possit, etiamsi nihil sciant neque comprehendant: ut D. Augustinus in libris adversus eos scriptis testatur (2). Quum autem aliis alia veriora videantur et magis probentur, illa amplecti oportere aiunt, quæ probabiliora judicabuntur, et accuratius et attente magis sint examinata, et considerata. Ea vero examinatio et circumspectio non est omnibus in rebus æqualis impendenda, sed major minorve, prout res de qua agitur, quæque in deliberationem venit, majoris aut minoris momenti fuerit æstimata. Universa hæc novæ Academiæ ratio ex Clitomachi, Carneadis discipuli, locis duobus in Ciceronis Lucullo (3) relatis manifestior fit. « Duo (inquit) placet esse Carneadi visorum genera. In uno hanc divisionem [Stoicam]: *Alia visa esse quæ percipi possint, alia quæ non possint.* In altero autem: *Alia visa esse probabilia, alia non probabilia.* Itaque quæ contra sensus con-

(1) D. August. contra Acad. lib. III, cap. 1, tom. I.

(2) Lib. III, cap. 4, tom. I.

(3) Cap. 31.

traque perspicuitatem dicantur, ea pertinere ad superiorem divisionem : contra posteriorem nihil dici oportere. Quare ita placere : *Tale visum nullum esse ut perceptio consequatur, ut autem probatio, multa*. Etenim contra naturam esset, si probabile nihil esset. »

41. Vides igitur comprehensionem universam negatam a Carneade, probabilitatem concessam. Comprehensione autem sublata, omnia subverti putant Stoici, sensus, memoriam, artes, decreta, scientiam ; quæ sine comprehensione stare nullo modo posse, uti abunde jam exposuimus, dicebant. Verum nihil hoc Academicos perturbat : ad omnia enim ad quæ Stoici vero et comprehenso, hi suo probabili utuntur. Scribit ergo in illo altero loco Clitomachus (1) : « Academicis placere esse rerum ejusmodi dissimilitudines, ut aliæ probabiles videantur, aliæ contra ; id autem non esse satis, cur alia percipi posse dicas, alia non posse : propterea quod multa falsa probabilia sint, nihil autem falsi perceptum et cognitum possit esse ». Cicero (2) hoc solo Academicos ab Stoicis differre aiebat, « quod ea quæ hi *percipi* comprehendique, eadem illi, si modo probabilia sint, *videri* dicant ». Igitur quum urgentur, ad *probabile* confugiunt. Idque Carneadis consilium fuisse videtur inducto ac constituto probabili, ut quum ad illud quasi ad castra, quum Acatalepsiam defendens premeretur, sese reciperet, nihil ex eo amplius adversariis fieret, quum interim æque impercepta omnia relinquerentur, Acatalepsia non expugnata. D. Hieronymus, adversus Rufinum, lib. II (tom. IV, pag. 397) : « Arcesilam, aut Carneadem putes, qui omnia incerta pronuntiant ; licet et illos superet cautione. Illi enim omnium philosophorum invidiam non ferentes, quod vitam e vita tollerent (3), verisimilia repererunt, ut ignorantiam rerum

(1) Cicero in Lucullo, cap. 32.

(2) In Lucullo, cap. 32.

(3) « Quod veritatem e vita tollerent », melius, ut nobis videtur, juxta editionem novissimam Domini Johannis *Martianay*.

probabili assertione temperarent ». Eum Carneadis fucum, quo visus cedere, concesso probabili, nihil concedebat, Numenius (1), post illa verba quæ superius ex eo attulimus, sic indicabat : « Erat ergo [Carneades] latro ac præstigiator sapientior. Assumens enim vero falsum simile, et comprehendente phantasia similiter comprehensibile, atque ad pares deducens calculos [id est, suffragia], nec verum, nec falsum esse sinebat, vel alterum altero non magis, vel magis probabilitatis ratione. Erant igitur insomnia pro insomniis, ideo quod similes veris falsæ phantasiæ essent, ut ea quæ ab ovo cereo ei quæ a vero ovo. Sequebantur ergo eadem, aut plura etiam mala ».

42. Eadem certe mala ex hac quæ ex Arcesilæ sententia contingebant, aut plura majoraque etiam, quum eodem modo comprehendens phantasia, id est, Stoicorum arx, subverteretur, hostes vero ipsi non eodem modo propugnatorum ictibus paterent, probabilitatis vallo protecti. Namque quum ἐνάργεια, id est, evidentia perspicuitasque rerum, sensuumque manifesta certitudo, rationumque omnium atque capitum consensus et ὁμολογία in illos jaciebantur, universa hæc magna tela PROBABILI, quasi Ajacis septem boum scuto (2) excipiebant, omnemque Stoicorum tormentorum impetum frangebant. Aiebant enim perspicuis se non repugnare, probabilia maxime esse atque certa, libenter se illa sequi, iisque uti a quibus vel nolentes afficiantur et percellantur : verum comprehensa hæc aut cognita esse, numquam, ut fateantur, adduci posse. Ita scilicet Academici comprehensioni et perceptioni omni infensi sunt et inimici, ὡς μηδὲ τὸν ἥλιον (inquit Galenus) ὁμολογεῖν εἶναι καταληπτὸν (3), id est, *ut neque solem percipi posse concedant*, rem omnium, quæ sub sensum cadunt, evidentissimam, ejus tamen non nisi probabilem visionem fatentur. Ratio autem ea qua

(1) Apud Euseb. Præp. Evang. lib. XIV, cap. 8, pag. 738, a et b.

(2) D. August. contra Acad. lib. III, cap. 15, tom. I.

(3) De optimo docendi Genere, pag. 497, b.

D. Augustinus (1) Academicorum probabile impugnat, et qua una os illis occlusisse credit, Carneade solutore non eget. « Nihil, inquit, Academicis verisimile esse posse, quum nihil veri cognitum sibi ipsi fateantur. Quomodo enim quis simile quippiam judicet ei rei, quam numquam viderit? » Latini enim verbi *Verisimile* notatione tota hæc argumentatio nititur, nec adversus Græcos Academicos rogari potest, qui πιθανὸν et πείθεσθαι se dicunt; ac nec adversus Latinos quidem, si *probari* sibi quippiam dicant et *probabile* id vocent, non vero simile, sed, si placeat, perspicuo simile.

43. Quadam etiam alia distinctione evidentiæ impetum a se propellunt Academici, quam Carneadi auctori tribuit Eusebius (2): « Differre incertum et incomprehensibile, atque omnia quidem esse incomprehensibilia, verum non omnia esse incerta ». Hujus differentiæ in Lucullo (3) quoque mentio facta est: « Alii autem elegantius, qui etiam queruntur, quod eos insimulemus omnia incerta dicere; quantumque intersit inter incertum, et id quod percipi non possit, docere conantur, eaque distinguere. Cum his igitur agamus qui hæc distinguunt, etc. » Ea distinctione id significabant, non omnia se ita incerta dicere, ut stellarum est numerus: namque quinque se digitos in altera manu habere certum putare et vehementer probabile; in iis vero quæ incerta sint, nihil probabile esse. Et hoc enim ex Academicorum sententia in Lucullo (4) est scriptum. Quum tamen si græci vocabuli δῆλον et latini *certum* propriæ et certæ significationes sint attendendæ, multa πιθανὰ ἄδηλα et probabilia incerta dici haud injuria possint.

44. Aiebat itaque Clitomachus (uti apud Ciceronem (5)

(1) Contra Acad. lib. II, cap. 7, 8 et 12, tom. I.
(2) Præpar. Evang. lib. XIV, cap. 7, pag. 736, d.
(3) Cap. 10.
(4) Cap. 34.
(5) In Lucullo, cap. 32.

est) « vehementer errare eos qui dicant ab Academia sensus eripi, a quibus numquam dictum sit, aut colorem, aut saporem, aut sonum nullum esse; illud sit disputatum, non inesse in his propriam, quæ nusquam alibi esset, veri et certi notam ». Plutarchus (1) de hoc perquam eleganter Colotæ respondet : « Sentire vero et ab iis quæ apparent, visorum impressiones recipere, communis omnibus affectio est, et quæ causarum ratione ac intelligentia carentium opere absolvitur. Doctrina vero ea atque disputatio qua sensus uti minus ad fidem faciendam exacti atque idonei rejiciuntur, non tollit quominus quæque res nobis appareat; sed sensibus ex ejus quod apparet ratione ad actiones uti concedens, fidere eis tamquam omnino veris et qui errare ac labi non possint, non permittit : id enim quo ad necessarios usus est opus, ab ipsis sumere satis fuerit, quoniam melius aliud non est; eam autem de singulis rebus scientiam et cognitionem, cujus desiderio sapientiæ studiosus animus tenetur [sensus], non habent ». Hic autem in memoriam revocanda ea, quæ de sensibus ab Stoicis dici, et ab Academicis contradici adnotabamus : nihil enim comprehensione est opus, ut quis sentire dicatur, ac multo minus assensu, si, uti Academici volebant, sensus ψιλὸν πάθος, id est, nuda ac simplex affectio est : quod et Peripatetici existimare dicuntur.

45. Memoriam vero, et artes, decretaque omnia facile sine comprehensione stare, satisque firme *probabile* inniti, quis neget? quum falsa quæque, ipsasque adeo poetarum fabulas memoria etiam tenacissime teneamus.

46. Qualem vero probabilitatem quibusque ponderibus examinatam atque perpensam Carneades sequi juberet, accurata hac probabilium phantasiarum partitione tradita ipse docuit. *Phantasiæ* aliæ sunt tantum πιθαναί, id est, *probabiles*; aliæ πιθαναὶ καὶ ἀπερίσπαστοι, id est, *probabiles simul et quæ non*

(1) Contra Colotem, pag. 1118, b.

impediantur, circa quas animus non distrahatur, ad verbum, *Indistractæ:* aliæ πιθαναὶ καὶ ἀπερίσπαστοι καὶ περιωδευμέναι ἢ ἐξωδευμέναι, id est, *probabiles*, *non impeditæ* aut *indistractæ*, *perlustratæ* aut *peragratæ*, vel, ut Cicero (1) vertere videtur, *ex circumspectione et accurata consideratione*, *et quæ non impediantur*.

47. *Aperispastos*, id est, *indistracta*, phantasia ea vocatur, cujus probabilitati omnes quæ simul cum illa occurrunt phantasiæ suffragantur, nullaque obstat quo minus vera videatur, et quam omnia quæ una mente excipiuntur, confirmant. Quum enim ego Socratem conspicio, non nuda ac simplici solum ejus visione ferior; sed et plurium quæ circa illum, quæque extra sunt, rerum visiones me petant atque tangant, necesse est, etiamsi nulla accuratiore circumspectione adhibita tantummodo eum intuear. Video enim una, quæ circa ipsum sunt illique insunt, colorem corporis et magnitudinem ac staturam, habitum, motum, vocis sonum, si tum forte loquatur, vestitum, alia. Quæ vero extra sunt res, verum earum visiones huic una comitantur, eodem etiam intuitu video, ut puta, cæli, lucis, diei, regionisque et amicorum qui illi adsint, aut servorum, qui præsto sint, facies. Hæc igitur omnia si concordent et in eamdem concurrant sententiam, nullumque illorum visorum probabili Socratis visioni refragetur, ei phantasiæ ut acquiescat animus oportet; ideoque ea merito *aperispastos* nuncupetur, et fidem faciat. Verum enimvero contingit aliquando, ut nullo eorum, quæ enumeravimus, visionem impugnante, opinio tamen aliqua, quæ antea in animo insederit, suspectam eam reddat, nec fidere illi sinat. Sic apud Euripidem (2) Menelaus in Pharum delatus visam Helenam non agnoscit, quia a se in navi relictam arbitratur, eaque opinio animum ejus retrahit, nec fidem visioni adhibere

(1) In Lucullo, cap. 11, 32, 33.

(2) In Helena, act. II, sc. 4.

permittit : ita ut non indistracta phantasia sit, quæ, quantumvis reliqua consentiant, opinione aliqua impediatur. *Aperispastos* vero, et *Periodeumene*, sive *Exodeumene* (idem enim hæc duo verba significant), id est, *indistracta* et *perlustrata*, phantasia primum probabilitatis locum tenet, majoremque, quam ea quæ aperispastos tantum sit, fidem meretur. Namque accidit ut propter rem non satis circumspectam, minusque attente singula quæque examinata, phantasiam aliquam nulla re impediri ideoque aperispaston quis judicet ac probet, et minime fidelem sequatur. At visio ea quæ singulis quibusque quæ circa quæque extra sunt, animo ac mente perlustratis attenteque circumspectis et consideratis, nulla vel minima re impediri comperitur, fide dignissima est et minime fallax. Hæc autem ea est de qua agimus; quæque ex hoc nomina ista est adepta, ut *aperispastos periodeumene* dicatur. Atque hanc phantasiam illis apud Ciceronem (1) verbis significatam existimo : « Sin ex circumspectione aliqua et accurata consideratione quod visum sit, id se dicent sequi [Academici] ».

48. Quale autem examen, qualemque animi attentionem, quamque diligentem circumspectionem, ut visio hujusmodi exsistat, adhibere oporteat, diligentissime docent. Aiunt enim, quum visum aliquod judicium subit, multa consideranda convenire : primum quidem, instrumentum ipsum, quo judicium fit, puta visus oculique, num caligent hebetesve sint; secundo, ipsa res quæ oculis subjicitur, an ita parva sit atque exilis, ut facile visum fallere existimare quis possit; tertio, circumfusus aer, num obscurus ac nubilus; deinde intervallum, an nimis longe res distet; locus in quo ipsa res jacet, num quia rei concolor, aut cavus est, aut alia ratione quapiam rei veram faciem celet; tempus, si nimis sit exiguum, ut rem satis perspicere non licuerit. Rei ipsius affectio atque habitus; ut si quæratur quale ani-

(1) In Lucullo, cap. 11.

mal sit id, quod currens pertransierit. Multa præterea alia attendere jubent, quorum si nullum impediat, phantasiam probare, illaque etiam in maximi momenti rebus uti permittunt; « quum tamen (uti apud Ciceronem est (1)), possit accidere Sapienti, ut quum omnia fecerit, diligentissimeque circumspexerit, exsistat aliquid, quod et verisimile videatur et absit longissime a vero. » Verum, aiunt, quid aliquis faciat, si natura nullam veri trutinam dedit? Concessa utere, id est, probabili phantasia, licet non exacta.

49. Non est autem ubique, omnibusque in rebus, fide dignissima hæc visio exspectanda; sed pro rerum æstimatione ac pretio exactiori aut minus exacta statera erit utendum. Namque in levioribus probabilem quampiam visionem sequi licebit : graviora non nisi aperispasto phantasia trutinari expedierit : gravissima et quæ ad bene beateque vivendum pertinent, ejus quæ aperispastos et periodeumene nuncupatur, judicium subeant. Atque hunc observationis ordinem præscribunt, nisi quid impedimento sit, quo minus cura hæc atque diligentia impendatur. Nam si quis post fugam e prælio latibula petens, speluncam ingredi paret, sed jamjam ingressurus, rumore aut tumultu aliquo percellatur, hujusmodique phantasia hostes intra antrum latere suspicionem faciat, aufugere e vestigio expedierit, illa, vel parum probabili visione admonitum, nec moram examinando facere. Et hæc quidem omnia ex Sexto (2) petita sunt.

50. Verum, ut mihi videor comprehendere, illustrissima divisio hæc uno membro trunca est. Potest enim aliqua visio contingere, quæ *periodeumene*, nec tamen *aperispastos* sit : sic ergo integra divisio constabit. *Probabilium* phantasiarum alia tantum *probabilis*, alia *probabilis aperispastos*, alia *probabilis periodeumene* : quarta demum *pro-*

(1) In Lucullo, cap. 11.

(2) Lib. VII adv. Math. (1. adv. Log.), sect. 183-189, pag. 408 et 409, et Hypotypos. lib. I, cap. 33, pag. 56-62.

babilis aperispastos et *periodeumene* simul. Exemplum autem phantasiæ quæ periodeumene, nec tamen aperispastos sit, ex Euripidis *Alcestide* (1) sumere est. Mortuam Alcestin ac humatam Hercules a mortuis revocat, ac Admeto marito, ut quæ alia mulier sit, servandam tradit. Admetus, uxoris visione perculsus, re diligenter perlustrata, phantasiam attentissime examinat : omnia conveniunt : sed qui credat eam esse, quam nuper ipse sepelierit ? Simillimam judicat, verum aliam : περιεσπᾶτο, id est, distrahebatur enim ipsius animus opinione, ita ut quantumvis singula convenirent, minime hanc Alcestin ipsam putaret, ac nec suspicaretur quidem. Erat igitur phantasia illa satis periodeumene, non aperispastos tamen.

51. Est ergo Academicorum Criterium φαντασία πιθανή, id est, Visum probabile. Galenus phantasiam probabilem periodeumenen et aperispaston, Criterium Academicis fuisse scribit : quod dicta a nobis ratione accipiendum. Galeni (2) verba altius repetita adscribere commodum duximus : « Non igitur præter rationem quidam existimant integram exactamque similium atque dissimilium cognitionem sufficere ad quamcumque artem ex methodo tradendam et constituendam ; siquidem hæc ad ea quæ in controversiam veniunt, judicanda satis idonea est : quum enim magna similitudo sit probabilium, sed non verarum rationum ad eas quæ revera veræ sunt ; qui ad has ab invicem secernendas peritiam sit consequutus, manifesto sciet quantum oporteat decretis, uti veris, fidem habere, quantumque ipsa, uti falsa, reprobare, quantumque id quod probabile est, incertum, quam rationem incertitudinis habens, ad ejus quod est improbabile similitudinem accedat; sicut et in iis quæ inter se sint æqualia [nec ulla dissimilitudine secernantur], seu inter duo, seu inter tria, aut inter plura hujus-

(1) Act. V.

(2) De Placitis Hippocr. et Plat. lib. IX, cap. 7, pag. 265, f, et 266, a, tom. V.

modi æqualitas comperiatur, nihil aliud alio ad fidem faciendam præferet. Horum autem omnium judicium ad phantasiam refertur, ut quidem recentiores Academici dicunt, non solum probabilem, verum et periodeumenen et aperispaston; ut vero Chrysippus, comprehensivam; ut autem omnes homines consentiunt, ad sensum et intelligentiam evidentem». Adjicit et alia de Criterio, lectu quidem digna omnia : sed hæc ad Academiam pertinebant.

52. Reliquum est de Epoche dicere; quod unum ex præcipuis Academiæ capitibus, certe maxime decantatum, ac a ceteris philosophorum generibus valde exagitatum est. Primum quidem si Carneades, ut aliqui tradiderunt, epochen, quam ab omnium simul in illam conjuratorum philosophorum incursu tueri non sustineret, ignave dereliquit et subverti est passus, indecore nimis, nec pro Academiæ antiqua dignitate et fortitudinis gloria fecisse fuerit dicendus, ipsa Academiæ arce hostibus tradita. Certe tamen Clitomachi discipulus Philo Larissæus, ac Carneadis ipsius quasi nepos, et Metrodorus Carneadem probasse dixerunt, uti liceret opinari Sapienti, id est, ei quod probasset, assentiri, licet non percepto. Eusebius dissensisse Carneadem ab Arcesila de Epoche scribit, ac significare quidem videtur illam Carneadis fuisse sententiam, ut diceret, non esse in omnibus assensum retinendum, sed in incertis. Hoc autem ex Philonis fortasse auctoritate Eusebius retulit : mirum enim nisi hæc est Philonis sententia, quam ipse Carneadi affingeret. Eusebii verba sunt (1) : «De sola epoche ab illo dissensit [Carneades ab Arcesila]; dicebat enim impossibile esse ei qui homo sit, in omnibus rebus assensum retinere : differre autem incertum et incomprehensibile, et omnia quidem esse incomprehensibilia, sed non omnia incerta».

53. Verum ego quidem, cum Cicerone, Clitomacho plus

(1) Præp. Evang. lib. XIV, cap. 7, pag. 736, d.

quam Philoni aut Metrodoro credens, hoc magis ab illo disputatum quam probatum puto. Quæ enim necessitas adegit Carneadem, ut, quum liceret, aut assentientem, aut retento assensu, probabili uti, assentiri impercepto, id est, opinari, potius vellet? At is, qui numquam opinari sibi proposuerit, qua possit meliori cautione, quam epoche uti, nulla est. « Nobis (ait Cicero (1)) primum etiam si quid percipi possit, tamen ipsa consuetudo assentiendi periculosa esse videtur et lubrica ». Ut autem ei, qui a perjurio tutus esse cupiat, nec jurare omnino optima cautio est; sic qui impercepto assentiri nolit, nulli assentiri tutissimum fuerit. Quid? quod nec Stoicorum jurgia effugerit, qui quum nihil percipi posse statuerit, epochen deserat: potius enim Stoici Epochen, quam opinari Sapienti concesserint. « Opinatione vero et perceptione sublata (inquit idem Cicero (2)) sequitur omnium assensionum retentio : ut si ostendero, nihil posse percipi, tu [Stoice] concedas numquam assensurum esse ». Galenus (3) : « Equidem secundum Academicos et Pyrrhonios, qui de iis de quibus quærimus, demonstrationem, quæ scientiam efficiat, habere nos non concedunt, assensiones universæ temerariæ sunt et præcipites ». Illud vero animadversione dignum, quod Cicero adnotat, quum opinatio interdicitur, non alii quam Sapienti interdictam putare oportere : « Namque non de me, ait (4) [id est, de vulgari hominum conditione] sed de Sapiente quæritur : visa enim ista, quum acriter mentem sensumve pepulerunt, accipio, hisque interdum etiam assentior, nec percipio tamen ». Sed hoc, ut mihi quidem videtur, cedentis est : ut enim ab eo qui sapiens non sit, proficiat tamen ad virtutem, Stoici quum κατορθώματα, id est, *recte facta*,

(1) In Lucullo, cap. 21.

(2) In Lucullo, cap. 25.

(3) De dignotione vitiorum quæ in animo cujusque sunt, pag. 538, a et b, tom. VI.

(4) In Lucullo, cap. 20.

præstari non posse dicant, officia exigunt, id est, ad Sapientis exemplum philosophum sese componere jubent : sic etiam in hoc studiosus sapientiæ quilibet, Sapientem imitatus, a temeritate cavere et approbationem temperare debuerit.

54. Quo autem moderamine Epoche uti expedierit, ut Pyrrhoniarum illarum rigidarum responsionum invidia vitetur, nemo melius aut dilucidius Cicerone ipso docet, qui, in libro jam sæpius citato (1), hæc ex Clitomacho refert : « Quæ quum exposuisset [Clitomachus] adjungit : Dupliciter dici assensus sustinere Sapientem. Uno modo, quum hoc intelligatur, omnino eum rei nulli assentiri : altero, quum se a respondendo [ut, aut approbet quid, aut improbet], sustineat, ut neque neget aliquid, neque aiat. Id quum ita sit; alterum placere, ut numquam assentiatur : alterum tenere, ut sequens probabilitatem, ubicumque hæc aut occurrat, aut deficiat, aut *Etiam* aut *Non* respondere possit ». [Quæ quidem numquam Pyrrhoniorum Aphasia respondere sustineret : sed illa, *Nihilo magis*, *Nihil definio*, etc.] Subjungit ipse Cicero (2) : « Quum id placeat, eum, qui de omnibus rebus contineat se ab assentiendo, moveri tamen et agere aliquid; reliquit [Carneades] ejusmodi visa, quibus ad actionem excitemur : item ea, quæ interrogati in utramque partem respondere possimus, sequentes tantummodo quod ita visum sit, dum sine assensu : neque tamen omnia ejusmodi visa approbari, sed ea quæ nulla re impediantur »; id est, non omnes phantasias, sed quæ sint aperispasti.

55. Quum autem visa ea *relicta* dicit, nec sublata a Carneade, quæ interrogati in utramque partem respondere possimus, Carneadeam quamdam phantasiarum divisionem a Numenio indicatam significare illum voluisse existimarim. *Phantasiæ* aliæ θετικαὶ, id est, *affirmantes*, quasi dicas posi-

(1) In Lucullo, cap. 32.
(2) Ibid.

tivæ, quæ affirmantem responsionem eliciant; alteræ ἀρνητικαὶ, id est, *negantes*, sive negativæ, quæ ad negandum impellunt. Numenii verba (1) : « Malum igitur malo accesserat, Arcesilæ Carneades, nec minimum quippiam quod [adversariis] non inutile esset futurum, remittens; illarum phantasiarum exemplo quas probabilitatis ratione *Aientes* et *Negantes* dixit, ut, esset ne hoc animal, vel non esset [respondere liceret] ». Atque hac divisione ab *Aphasia*, id est, altero Stoico terriculamento, liberabantur.

56. Illæ autem aliæ phantasiæ, quibus ad actionem excitemur, ideo relictæ sunt, ut *Apraxia* (2), id est, actionis universæ privatio, quo maximo altero terriculamento Stoici ab Epoche absterrere volebant, evanesceret. Ut enim quis ad actionem moveatur, ac vel appetat quid, vel declinet, probabilis visio rei, ad naturam accommodatæ vel naturæ incommodæ, satis est, etiam si assensus retineatur. Nec verum est, quod Stoici maxime propugnant atque prætendunt, ὁρμὴν, id est, appetitionem omnem, immo et sensus ipsos, cum approbatione conjuncta necessario esse, nec divelli posse (3). Hoc enim etiam ipsi sibi, ut solent, contrarii tollunt, quum et Sapienti suo in quibusdam epoche et probabili (4) uti permittunt. Verum universa ratio hæc a Plutarcho, in libro *adversus Colotem*, ex Academica, quam ipse profitetur, disciplina, commodissime explicatur. Ipsum Plutarchum (5) audi, sed ex versione nostra : « At Colotæ, uti existimo, ea quæ de appetitione et assensione [disputari solent] commemorare, perinde fuerit ac lyram coram asino pulsare. Verum iis qui assequi hæc et audire valent,

(1) Apud Euseb. Præp. Evang. lib. XIV, cap. 8, pag. 737, d.

(2) Vide D. August. contra Academ. lib. II, cap. 5, § 12, et cap. 11, § 26, tom. I.

(3) Plutarch. de Stoic. contrarietatib. pag. 1057, a et b.

(4) Vide Sphæri distinctionem inter τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, et τὸ εὔλογον, id est, probabile, quo sibi uti permittit, apud Athenæum, lib. VIII, pag. 135, Græc. edit. Aldinæ. Valent.

(5) Adversus Colotem, pag. 1122, b, c et d.

sic dicta sunto. Quum triplici animus affectione moveatur, aut enim visione afficitur, aut appetitione movetur, aut assentitur : priorem quidem motionem, nec si velit quis, prohibere possit : necesse enim est, ut rerum incurrentium effigies nobis imprimantur atque ab illis afficiamur. At vero appetitionis [affectio aut facultas] a phantasia excitata ad ea quæ accommodata ad naturam sunt capienda, hominem impellit, quadam in principe animi parte [quasi in lance] propensione et nutu exsistente. Nec hanc vero affectionem tollunt, qui in omnibus assensionem retinent : sed appetitione utuntur, quæ naturali propensione ad id, quod accommodatum naturæ apparet, impellit ac ducit. Quid igitur solum fugiunt? Id nimirum in quo solo mendacium errorque innasci atque inhærere solet, opinationem et præcipitem assensionem; ne erumpat, cohibent, quæ animi apparentibus succumbentis ac præ infirmitate cedentis est, nullumque præterea usum præstat. Operatio enim duobus indiget, phantasia rei ad naturam accommodatæ, et ad id, quod accommodatum apparuit, appetitione : quorum neutrum cum epoche pugnat; ab opinione enim, non ab appetitione, nec a phantasia, ratio hæc deterret».

57. Igitur ex Academica doctrina, quum tria sint κινήματα, id est, momenta, sive affectiones animi, τὸ φανταστικὸν, τὸ ὁρμητικὸν, τὸ συγκαταθετικὸν, id est, phantasticum, appetens, et assentiens; prioribus duabus affectionibus, ii etiam qui epoche utuntur, necessario moventur, aut nihil agerent; tertia nihil illis est opus, nec se umquan ab illa auferri patiuntur, ne in barathrum, id est, opinationem delabantur. Vides autem interim quam hæc ab Stoica ratione dissideant, quum illi nec sentire, nec appetere quemquam sine assensione posse ad ravim clament. Sed de hoc agimus jam plus bis.

58. Alia quædam de Epoche apud Plutarchum, illo eodem loco (1), legere potes, ad quorum finem quasi Epochen

(1) Plutarch. adversus Colotem, pag. 1124, b.

ipsam describens, certe commendans, subjungit: « Non est, ergo fabula doctrina de Epoche, neque procacium ac temerariorum adolescentium aucupium, ut arbitratur Colotes; sed habitus et affectio virorum, quæ constantem mentis statum a lapsu liberat atque conservat, neque diffamatis adeo sensibus et inconstantibus judicium permittit ».

59. Qualem vero corporis gestum aut actionem Epoche in animo imitetur, explicaverat Cicero aliquo *Academicarum quæstionum*, qui non exstat, libro, illis verbis quæ ipse in quadam ad Atticum epistola (1) refert : « Nec est melius quidquam, quam, ut Lucilius,

Sustineat currum, ut bonu' sæpe agitator, equosque;

semperque Carneades προβολὴν pugilis, et retentionem aurigæ, similem facit ἐποχῇ ». Significabat ergo eo se modo animum in retinendo assensu habere, quo pugil, quum pugnum quasi feriturus intentat, nec ferit tamen; aut quo auriga, quum erumpentes equos habenis retinet, nec præcipites ferri sinit.

60. Verum enimvero, non quod assensionem in omnibus, quæ in disputationem veniunt, Academici continerent, ideo desides illos atque otiosos accipere quisquam debet : qui quidem philosophorum omnium laboriosissimi, verique inveniendi studiosissimi fuerunt, cujus assequendi causa arduum nimis et difficile opus sibi proposuere. « Omnium qui umquam fuerunt philosophorum, in omni philosophiæ parte, sententias perquirere, ediscere et memoria tenere, quæque alia nondum inventa circa eamdem quæstionem comminisci dogmata possent, ingenio pervestigata in medium adducere et proponere; atque pro omnibus iis sententiis contraque omnes dicere ». Hoc autem optimum docendi genus existimabant : sic enim omnibus omnium sententiis examinatis et rationum momentis libratis atque pensitatis, quum quidem

(1) Epist. ad Atticum, lib. XIII, ep. 21.

quod ad comprehensionem perceptionemque attinet, paria contrariis in rebus rationum pondera invenirentur, assensus, velut a nondum perceptis, sustineretur, probabilia utenda seligerentur : probabilitatis namque ratione, non æqua sunt pro contrariis rationum momenta; arrident enim et placent rationes aliæ aliis magis.

61. Quo autem modo Academici erga decreta quæ probaverint et utenda selegerint, affecti sint, quantumque hæc ipsorum affectio a Dogmaticorum erga propria placita, affectione et animo differat, ex Varronis libro de *Philosophia* D. Augustinus (1) indicavit. « Quum, inquit, quæritur de Academicis novis, quibus incerta sunt omnia, utrum ita sint res habendæ, in quibus philosophandum est, an, sicut aliis philosophis placuit, certas eas habere debeamus, non quæritur, quid in boni fine sectandum sit, sed de ipsius boni veritate, quod videtur sectandum, utrum sit, necne, dubitandum : hoc est, ut id planius eloquar, utrum ita sectandum sit, ut qui sectatur, dicat esse verum; an ita, ut qui sectatur, dicat verum sibi videri, etiam si forte sit falsum; tamen uterque sectetur unum atque idem bonum. [In illa etiam (2) differentia quæ adhibetur ex habitu et consuetudine Cynicorum, non quæritur quisnam sit finis boni, sed utrum in illo habitu et consuetudine sit vivendum ei, qui verum sectatur bonum] ».

62. Illam igitur disputandi in utramque partem rationem, quæ ἡ εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησις Græcis dicitur, Arcesilam tenuisse Cicero (3) scribit. « Huic rationi (inquit) quod erat consentaneum, faciebat [Arcesilas], ut contra omnium sententias dies jam plerosque diduceret (4) : ut, quum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assensio sustineretur.

(1) De Civit. Dei, lib. IX, cap. 1, pag. 410, d et e, tom. VII.

(2) Omnia hæc, omissa a Valentia, subjungit Durandus.

(3) Academ. ad Varron. lib. I, cap. 13.

(4) Valentia legebat *dissereret*.

[(1) Hanc Academiam novam appellant, quæ mihi vetus videtur, si quidem Platonem ex illa vetere numeramus; cujus in libris nihil affirmatur, et in utramque partem multa disseruntur; de omnibus quæritur, nihil certi dicitur]». Hanc eamdem rationem sequutus est Carneades, ut statim post hæc Cicero dicit, et Eusebius (2) : « Ea disserendi forma usus est, qua et Arcesilas : etenim et ipse disputationi in utramque partem operam dabat». Idem docendi genus optimum existimatum et ab omnibus Academicis retentum Galenus tradidit, libello adversus hanc doctrinæ rationem scripto, cujus index est, Περὶ ἀρίστης διδασκαλίας, id est, *De optimo docendi Genere* (pag. 497); illiusque finem veteres Academicos Epochen dixisse commemorat. In Phavorino autem, qui rationem hanc vehementer commendavit, reprehendit Galenus, quod, omni judicio sublato, discipulis sententiam, quæ optima videatur, eligendam reliquerit. Non caret tamen excusatione Phavorinus : nam probandi species est, ut explicabamus, qua quisque usus probabilius dignoscet atque sumet. Non enim decretis carebant Academici, sed quæ decreta selegerant, *probabilia*, non *percepta* putabant. Atque hanc Academicorum libertatem respexisse potius Horatium (3) crediderim, quum scriberet :

Ac ne forte roges, quo me duce, quo Lare tuter?
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes :

quam illorum philosophorum institutum, qui ἐκλεκτικοὶ, id est, *selectores*, sunt cognominati : alia enim, ut dicemus, nec ita libera istorum ratio; et, ut existimo, post Horatii ætatem primum inventa.

63. Exemplum vero hujus in Disciplina tradenda formæ multi Plutarchi, omnesque M. Tullii philosophici libri con-

(1) Omnia hæc, omissa a Valentia, subjungit Durandus.
(2) De Præp. Evang. lib. XIV, cap. 7, pag. 736, d.
(3) Epist. 1, lib. I, vss. 13, 14, 15.

tinent : de quo sic in ipsius vita Plutarchus (1) : « Scripta philosophica reliquit non pauca ad Academicam consuetudinem et disserendi formam accommodata ». Istum tamen docendi morem Stoici, ut et Academica omnia, exagitant, quum eodem et ipsi genere plerumque uti comperiantur, ac maxime Chrysippus, ut Plutarchus (2) adnotavit, et ejus rei exemplum nos, quum de Chrysippo ageremus, ex eodem Plutarcho descripsimus. Romanus ipse Zeno (3) libros suos sic legi vult, tamquam ejus, qui quærat adhuc, non sciat. *Non enim*, inquit, *me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero*, etc. Cicero (4) primum in philosophia locum Academicos tenere ex eo putabat, quod secundæ illis partes a ceteris philosophantium sectis, sibi primas vindicantibus, concederentur. Sic Themistocles primus in Salaminia navali pugna habetur, quod ceterorum Græcorum calculis secundus fuerit pronunciatus. Atque hæc de *nova*, id est, Carneadis *Academia* habuisse quæ diceremus, pro nostri ingenii modulo, non exiguum ducimus.

§ VI. *De iis qui Carneadi successerunt.*

64. Carneadi autem successit Clitomachus Pœnus, patrio nomine Asdrubas (5) antea vocatus, non quidem ipse primus inter Carneadis discipulos : namque illum locum Mentor Bithynus tenuit (6) : verum hunc Carneades cum pellice deprehensum (*comprehendentem phantasiam* fuisse illam, non *probabilem* modo, Carneades fateatur oportet) ex schola primum ejectum, quasi exhæredem fecit et successione privavit. Clitomachus ergo magistri, qui nihil in

(1) In compar. Demosth. cum Cicerone, pag. 886, d.

(2) De Stoic. contrar.

(3) Seneca, epist. 45.

(4) Apud D. August. contra Acad. lib. III, cap. 7, § 16.

(5) Alii *Asdrubal.*

(6) Laert. in Carneade, sect. 63, lib. IV, et Numenius apud Euseb. Præp. Evang. lib. XIV, cap. 8, pag. 738, d.

scriptis reliquerat, sententiam scriptis mandavit et docuit. Clarissimus vero, inter Clitomachi familiares, Philo (1) quidam fuit Larissæus : hoc enim cognomento apud Stobæum (2) cognominatum reperi, apud quem et moralis Philosophiæ exquisita partitio ex Philone hoc refertur. Quum autem plures eodem nomine urbes fuerint, ex qua Larissa sit, nondum compertum habeo. Atque omnia quidem de Philone hoc in obscuro sunt : nec enim post satis diligentem indagationem quæ qualisve ipsius sententia fuerit, et in Academiam inducta novatio (namque novasse eum plerique, non quidem ipsi Academici scripserunt) satis possum subodorari. Ac initio statim hujus historiæ, præcipuum mihi laborem de Philone futurum prædixi. Verum despondere animum minime oportet, sed omnis lapis movendus, ut ipsius sententiam, si fieri possit, eruamus.

65. Primum descivisse illum a Carneadis Clitomachique sententia, quam aliquando tenuerat, ipsius auditor Antiochus apud Ciceronem (3) testatur; cui et apud Eusebium (4) Numenius attestatur : « Philo ergo hic nuper quidem scholæ successione ad eum delata, lætitia perculsus et gestiens efferebatur, gratiasque de hoc reddens, et Clitomachi decreta tuebatur et ornabat, et sese adversus Stoicos lucentiære armabat ». Sed deferbuisse (5) eum postea Numenius ait, nec in eodem sensu permansisse. Sextus (6) Philonis Academiam, quartam a quibusdam vocatam scriptum reliquit. Eusebius (7) etiam Philonis et Charmidæ Academiam, *quartam* numerat. Denique nova quædam commovisse quod ea

(1) D. Hieron. adversus Jovinian. lib. I, tom. IV, p. 186, Philonem nescio quem, Carneadis magistrum, dicit. VALENT.

(2) Eclog. Ethic. pag. 160, lin. 12 et seq.

(3) In Lucullo, cap. 4.

(4) Præp. Evang. lib. XIV, pag. 739, b, cap. 9.

(5) Valentia et Durandus *efferbuisse*, sed male, ut nobis videtur.

(6) Hypotyp. lib. I, cap. 33, sect. 220, pag. 56.

(7) Præp. Evang. lib. XIV, cap. 4, pag. 726, d.

sustinere vix poterat, quæ contra Academicorum pertinaciam dicerentur, Ciceronis Lucullus (1) affirmat. Teneamus ergo hoc, novasse Philonem, nec eamdem illi cum Clitomacho et Carneade fuisse sententiam. Atque quæ illorum quidem fuit, tribus, uti explicuimus, continebatur capitibus, Acatalepsia, Probabili, et Epoche, sive opinandi prohibitione. Ac Epochen ab ipso non conservatam, quum opinari Sapientem non prohiberet, manifestum est, et a Numenio aperte scribitur. Verum non solum hoc novi in Academiam intulisse Philo accusabatur (2). Nam et Catulus pater (3) « in eadem sententia erat, et Carneadem esse dicebat, ut percipi nihil posse putaret; assensurum autem non percepto, id est, opinaturum Sapientem existimaret : sed ita ut intelligat se opinari, sciatque nihil esse quod comprehendi et percipi possit ». Qui tamen Catulus (4) Philonem reprehendisse, mendaciique insimulasse commemoratur : quod utique non faceret, si Philo ab eo de Carneadis sententia non dissentiret. Verum quid nos de Philonis sententia sentiamus, proferendum summatim est ; tum et veterum testimonia, unde illam elicere nobis videmur, producemus.

66. Natura ita comparatas esse res omnes, ut cognosci et comprehendi possent, Philo aiebat, atque adeo multa percipi : verum hoc non eo modo quo Stoici dicebant, id est, non ita ut quum quis quippiam cognoscit et perceptum habet, certus ac securus sit, aut esse possit, ejusmodi illam phantasiam, qua id comprehensum est, exstitisse, ut nulla ipsi similis alia et quæ discerni ab illa nequeat, ab eo quod non est, objici possit. Ita ut, si Stoici ab illa sua definitione ultima illa verba, *Qualis offerri non potest ab eo quod non est*, auferri patiantur, Philo amplius cum eis non

(1) Apud Cicer. Lucull. cap. 6.
(2) In Cicer. Lucull. cap. 4 et 6.
(3) In Lucullo, cap. 48.
(4) In Lucullo, non multo post principium, cap. 4 et 6.

contendat. Cognita ergo quædam Philo concedit, quæ comprehensiva phantasia percipiantur. Hæc autem secundum ipsum ea est, *quæ offertur ab eo quod est*. Videatur igitur Philo jam Peripateticus potius quam Academicus, quum et assensum non retineat, et percepta concedat, cognitaque ab incognitis secernat atque discriminet, licet non illa certisssima, et quæ errare numquam possit, Stoicorum nota.

67. Hæc quum Academica et Carneadea, immo et Platonica, ut qui non plures una Academia fuisse fateri vellet, esse diceret; præterquam quod mendacii ab Antiocho et Stoicis accusatus convinci putabatur, qui commenta sua a nullo antea Academicorum dicta exponeret et pro Academicis venditaret; nec isto quidem modo Stoicorum jurgia et rixas effugiebat. Qui partem illam definitionis mordicus tenentes, Nihil esse cognitum et comprehensum clamabant, cui illa potissimum pars non conveniret, atque ita Philonem, qui illam conditionem nulli umquam rei convenire posse affirmaret, nullam rem percipi dicere, discrimenque incogniti et cogniti tollere. Cicero (1) : « Philo autem, dum nova quædam commovet, quod ea sustinere vix poterat quæ contra Academicorum pertinaciam dicebantur, et aperte mentitur, ut est reprehensus a patre Catulo, et, ut docuit Antiochus, in id ipsum se induit quod timebat. Quum enim ita negaret quidquam esse quod comprehendi posset, si esset, sicut Zeno definiret, *visum impressum effictumque ex eo quod esset*, *quale esse non posset ex eo quod non esset*, id nos a Zenone definitum rectissime dicimus. Qui enim potest quidquam comprehendi, ut plane confidas id perceptum cognitumque esse, quod est tale, quale vel falsum esse possit? Hoc quum infirmat tollitque Philo, judicium tollit incogniti et cogniti. Ex quo efficitur, Nihil posse comprehendi. Ita imprudens eo, quo minime vult, revolvitur ».

(1) In Lucullo, cap. 6.

68. Illa etiam omnia, quæ ex ipsius Ciceronis persona, in Lucullo recitantur, Philonem magistrum sapiunt: « Si enim, inquit (1), mihi cum Peripatetico res esset, qui id percipi posse diceret, quod impressum esset a vero, neque adhiberet illam magnam accessionem, *quomodo imprimi non posset a falso* : cum simplici homine simpliciter agerem, nec magnopere contenderem. Atque etiam, si, quum ego nihil dicerem posse comprehendi, diceret ille Sapientem interdum opinari, non repugnarem, præsertim nec Carneade quidem huic loco valde repugnante. Nunc quid facere possunt? quæro enim, quid sit quod comprehendi possit? Respondet mihi non Aristoteles, aut Theophrastus, ne Xenocrates quidem, aut Polemo, sed nihilo minor [id est, Zeno] : *Quod est tale verum, quale falsum esse non possit*. Nihil ejusmodi invenio : itaque incognito nimirum assentiar, id est, opinabor? Hoc mihi et Peripatetici et vetus Academia concedit, vos [*Stoici*] negatis, Antiochus in primis, etc. » Sextus (2) : « Philo autem ait, quantum ad Stoicum criterium, id est, *phantasiam comprehensivam*, res esse incomprehensibiles ; quantum autem ad naturam rerum, comprehensibiles ». Numenius (3) statim, post illa verba quæ superius ex ipso adscribebamus : « Quum vero et tempus lapsum esset, ipsaque illorum epoche usu detrita obsolevisset, non jam amplius sibi constabat [Philo], neque simile quid [prioribus suis decretis] sapiebat. Torquebat autem eum nec quiescere sinebat affectionum evidentia et concordia. Ergo sua ipse jam apud se conscientia convictus atque edoctus, vehementer, sat scio, cupiebat, qui se convincerent, invenire, ne videretur libens ipse terga vertere et fugere ».

69. In primo *Academicarum* ad Varronem libro Cicero Philonis partes egerat, sicut Varro Antiochinas, ut si inte-

(1) Cicero in Lucullo, cap. 35.
(2) Hypotypos. lib. I, cap. 33, sect. 235, pag. 62.
(3) Apud Euseb. Præp. Evang. lib. XIV, cap. 9, pag. 739, c.

ger liber ad nos pervenisset, non esset quod de Philonis sententia dubitaremus. Verum ex Ciceronis oratione omnia fere interciderunt. Adhuc tamen etiam in Lucullo non multum a Philonis sensu Ciceronem recedere crediderim, præter id quod opinari non probat, quod probasse Philonem citra controversiam est. Namque quod ad comprehensionem attinet, parum aut nihil Philonis sententia a Carneade discedit, cui etiam, immo et Arcesilæ Academicisque omnibus, de prostrema illa definitionis parte tota adversus Stoicos controversia fuit. Immerito autem illi mendacium objici, Cicero, istis ex *Lucullo* (1) verbis, subindicare fortasse videatur : « Sed ut omnes, inquit, istos aculeos, et hoc totum tortuosum genus disputandi relinquamus, ostendamusque qui simus ; jam explicata tota Carneadis sententia, Antiochi ista corruent universa. Nec vero quidquam ita dicam, ut quisquam id fingi suspicetur : a Clitomacho sumam [qui usque ad senectutem cum Carneade fuit, homo et acutus, ut Pœnus, et valde studiosus et diligens] ».

70. Igitur, ut videtur, in verbis solum Philo a Carneade dissentiebat, siquidem *percepta* et *cognita* vocabat illa, quæ Carneades δῆλα, id est, *certa*, et ἐναργῆ, id est, *perspicua*; quæ ratio ad posteriores etiam Academicos permanasse videtur. Namque Galenus (2) scribit, Phavorinum Academicum in quodam libro, cui *Alcibiadi* nomen fecerit, scripsisse, Probabile sibi videri, *Nihil comprehendi :* in alio vero ejusdem volumine, *Plutarchus* inscripto, concessisse videri, *Esse aliquid quod comprehendatur.* Quod, qua exposuimus ratione a Phavorino concessum, est intelligendum. Philonem enim Phavorinus omnimodo sequutus videtur. Accusatur namque in eodem Galeni libro, quod quum Academicus haberi velit, antiquorum Epochen deseruerit. Est vero hæc universa Philonis ratio : Epoche non uti, nec ab

(1) Academ. lib. II, cap. 31.

(2) De optimo docendi Genere (initio tractatus), pag. 497, 498.

opinione cavere; quædamque percepta et cognita putare, sed non ea, qua Stoici, ratione.

71. Philonis auditor Antiochus Ascalonita, quum multo tempore Academiam incoluisset et defendisset (1), demum iis castris desertis, sive evidentiæ et perspicuitatis sensuumque testimonio adductus ac flexus, seu ambitionis potius studio et contentione adversus Clitomachi et Philonis familiares actus, ad Stoam sese transtulit : non qui Stoæ nomen dederit (namque id indecorum forte putavit); semper enim Academici cognomentum retinuit. Verum in decretis placitisque omnibus *erat* (uti Cicero (2) ait) *si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus.* A Philone quidem, et Carneade Arcesilaque, novæque Academiæ universa disciplina apertam discessionem facit; nec id ipse dissimulabat : verum ad antiquam Platonis et Xenocratis, ceterorumque veterum quæ ad Polemonem, quem ipse maxime probabat, perdurasset, migrasse dicebat, quasi e nova in veterem domum : veterisque Academicæ disciplinæ restitutor, quasi tunc postliminio redeuntis, audire volebat. Hæc et quædam alia de Antiocho a Cicerone, in iis libris Academicarum qui reliqui sunt, commemorantur, ipsiusque universæ doctrinæ ratio sub Varronis persona, in primo libro, luculenter exponitur. In Lucullo quoque omnia ea Stoica, quæ de veritatis judicio dicuntur, ex Antiochi sententia sumpta sunt : namque quod ad Criterium attinet, Stoicus omnino erat. In naturali autem et morali philosophia, etiam quum Platonica placita explicare profitetur, plerumque Stoam sapit : ut, si hic esset locus, ostendere possemus. Quum vero Stoica refert, mire erga illa afficitur, ipsamque adeo Stoam correctionem quamdam, non mutationem, antiquæ Platonis doctrinæ dicit. Namque, ut tradit Sextus (3), in id maxime incubuit, ut ostenderet, Stoica

(1) Plut. in Cicerone, et Cic. in Lucullo, cap. 22.

(2) In Lucullo, cap. 43.

(3) Hypotyp. lib. I, cap. 33, sect. 235, pag. 62.

decreta e Socrate Platoneque petita. Non est ergo quod de ejus explicanda sententia anxii simus : quod enim hujus commentationis fuisset, id est, quid de Criterio senserit Antiochus in medium afferre, dum Stoica (1) proponebamus, una est peractum, ut iterum agendum non sit. Ipsius vero placita universa in morum atque in naturæ philosophia, quæ partim Platonica, majori autem ex parte Stoica sunt, huc explicanda congerere supervacaneum duximus : præterquam quod immensæ molis est Stoicorum moralis disciplina, et fortasse justo aliquando volumine a nobis, si Deus annuat, tractanda.

72. Illud autem quod de Antiocho Cicero (2) scripsit, Non discessisse eum a Philone, nec ad Stoicum magistrum aliquem, quales erant tunc Athenis Mnesarchus et Dardanus principes Stoicorum, se contulisse ; quod, si Stoica illi placebant, facere debuisset : cum istis Numenii (3) non concordat : « Philonis vero auditor fuit Antiochus, qui alii Academiæ initium dedit. Mnesarcho igitur Stoico opera navata, Philoni magistro contraria sensit, innumeraque aliena Academiæ affinxit ». Sed et vide etiam de Antiocho quædam apud D. Augustinum (4).

73. Ipse Cicero et Philonis et Antiochi scholas frequentavit, Antiochumque amasse, et ab illo Dialectica didicisse scribit (5). Verum in Philosophicis, Philonis potius placita amplexus est, ut ipsius scripta aperte demonstrant, et Plutarchus (6) tradidit. Fatetur interim in aliqua ad Atticum epistola (7) Cicero, Antiochia illa decreta vehementer esse πιθανά, id est, *probabilia*. Varro autem, ille Romanorum

(1) Vide D. August. contra Acad. lib. II, cap. 6, § 15, tom. I.
(2) In Lucullo, cap. 22.
(3) Apud Euseb. Pr. Ev. lib. XIV, cap. 9, pag. 739, c et d.
(4) Contra Academ. lib. III, cap. 18, § 41, tom. I.
(5) In Lucullo.
(6) In Cicerone.
(7) Lib. XIII, epist. 19.

doctissimus, Antiochum magis probabat, ut et Cicero Varroni ipsi scripsit (1), et ex iis quæ ex ejusdem libro *de Philosophia* D. Augustinus affert, manifeste comperitur. Ecce enim universam Antiochi rationem ex Varronis sententia ab Augustino descriptam : Namque sic ait (2) : « Quomodo Varro in eo libro [quem de *Philosophia* scripsit], enumeratis ac confutatis ceteris omnium Philosophorum sectis unam eligat, quam vult esse Academicorum veterum, quos a Platone institutos usque ad Polemonem, qui ab illo quartus ejus scholam tenuit, quæ Academia dicta est, habuisse certa dogmata vult videri; et ob hoc distinguit ab Academicis novis, quibus incerta sunt omnia, quod philosophiæ genus ab Arcesila cœpit successore Polemonis; eamque sectam, id est, veterum Academicorum, sicut dubitatione ita errore omni carere arbitretur [Varro], longum est per omnia demonstrare, etc. »

74. Et hæc quidem symbola collata a nobis esto in *Academicarum* M. Tullii *Quæstionum* elucidationem : quæ quidem si ad nos integræ pervenissent, nulla a nobis luce indigerent. *Absolverat* enim Cicero, ut ipse Attico scribit (3), *Academicam omnem quæstionem libris quatuor*, *ita accurate* (namque sic ait), *ut nihil posset supra*. In iis, quæ erant contra ἀκαταληψίαν præclare collecta ab Antiocho, Varroni dederat; ad ea ipse respondebat, Philonis partes agens. Tertius in sermone erat Atticus. Atquæ hæ quidem in secunda editione illorum librorum (duas enim fecit) personæ fuerant : in priore alii colloquebantur. Id quare mutaverit, Attico etiam indicat (4). Is liber *Academicarum ad Varronem*, qui nec integer restat, secundæ editionis primus habetur : *Lucullus* prioris editionis est, in qua quarti libri locum tenebat, uti ex iis quæ ex illo producit Nonius, con-

(1) Lib. XIII, epist. 12.
(2) De Civit. Dei, lib. XIX, cap. 1, pag. 410, b, tom. VII.
(3) Lib. XIII, epist. 19.
(4) Epist. ad Attic. lib. XIII, epist. 12, 13, 16, 19.

ficitur. Atque huc usque commentationem hanc deducere decreveramus. Nunc vero quoniam ita omnem fere de Criterio historiam absolutum iri existimamus, Cyrenaicorum et Epicuri de eadem quæstione sententias, auctarii nomine, adjungere placet.

§ VII. *De Cyrenaicis.*

75. Aristippus, Cyrenæus, Socratis familiaris, ejus factionis caput fuit, quæ ab illo *Cyrenaica* nuncupatur. Hic, ipsiusque sectatores, Criterium veritatis τὰ πάθη dixerunt, id est, *interiores affectiones* et *permotiones*; de quibus solis, QUOD SINT, liceat pronuntiare : de iis vero, quæ extra sunt, rebus, etsi affectiones ipsas nobis immittunt, nosque permovent, tamen statuere non posse, præterquam QUOD ITA VIDEANTUR. Quum enim alio modo eædem res alios atque alios afficiant, nec commune quid sit, quo judicentur : omnia quidem exteriora esse ἀκατάληπτα, id est, *incomprehensibilia*; interiora, id est, affectiones, comprehendi. Ita quum quis voluptate aut dolore afficiatur, delectari se, aut dolere, haud dubie possit affirmare : sitne illa res quæ voluptatem conciliavit, suavis; aut, quæ dolorem peperit, molesta, statuere nequeat. Similiter quum albi species, dulcisve, aut odori, ceterorumve aliqua sensum ferit, is qui illa commotione percellitur, albi, dulcis, ac odori sensu affici se affirmet, licet : id enim verum est, et illi compertum. Verum albumne, dulceque, et odorum sit id, quod ipsum perculit, ne decernat, quum nec comprehendat. Igitur quum affectiones et se et id a quo efficiuntur, ostendant, de se quidem ipsis non mentiuntur, rerum extra positarum non veraces nuntii sunt. Cicero (1) : « Aliud [judicium] Cyrenaicorum, qui præter permotiones intimas nihil putant esse judicii ». Et alio in loco (2) : « Quid Cyrenæi ?

(1) In Lucullo, cap. 46.
(2) Ibid. cap. 24.

Videntur minime contempti philosophi. Hi negant esse quidquam, quod percipi possit extrinsecus : ea se sola percipere, quæ tactu intimo sentiant, ut dolorem et voluptatem: neque se, quo quid colore, aut quo sono sit, scire, sed tantum sentire, affici se quodam modo ».

76. Idem etiam de hac Cyrenaicorum sententia scribit Laertius in Aristippo : sed multa Sextus (1), quem consulas licet. Plutarchus (2) optime illam explicat, et a Colotæ calumnia defendit : « Illi vero quum affectiones et phantasias intra seipsos posuissent, non existimarunt horum testimonia satis idonea ad sententiam de rebus ipsis ferendam : sed, veluti in obsidione ab iis quæ extra mœnia sunt, recedentes, intra affectiones se ipsos concluserunt, de iis quæ extra sunt, VIDETUR dicentes; EST vero, de iis quæ sunt intra, affirmantes ».

77. Et paullo post (3) : « Namque dulci gustu et amaro affici, et lumine et tenebris percelli se aiunt, quum videlicet harum affectionum singulæ sua propria evidentia (4), nullaque re impedita constent. Verum dulce esse mel, et olivæ termitem amarum, et grandinem frigidam, et calidum temetum, et obscurum nocturnum aerem, multorum tam animalium quam rerum atque hominum testimoniis impugnari ac refelli : quum quidam mel aversentur, quidam oleagineum ramum cupide gustent, alii grandine urantur, refrigerentur vino, in sole cæcutiant, noctu videant. Quapropter opinio dum intra affectiones manet, a lapsu et errore sese tutam conservat; si vero exeat et curiose rebus quæ extra sunt, se immisceat, illas judicatura, aut de ipsis pronuntiatura, et sese ipsa multoties perturbat ac a tranquillitate excidit; et cum aliis certamina et contentiones init,

(1) Lib. VII adv. Mathem. (1. adv. Log.), sect. 191, pag. 409.

(2) Plutarch. contra Colotem, pag. 1120, d.

(3) Plut. contra Colotem, pag. 1120, e et f.

(4) Vel *efficientia*. VALENT.

qui ab iisdem rebus contrarias affectiones et phantasias accipiunt».

78. Vides quæ horum fuerit sententia. Quæ mihi quidem non probanda, nec ridenda tamen ullo modo videtur, quum et D. Augustinus (1) probasse magis illam, quam rejecisse videatur. At aliarum Sectarum professores eo modo aliena dogmata, quibus impugnandis sese accingunt, proferre et interpretari morem habent, ita turpibus coloribus depingere ac repræsentare solent, ut nihil hac ipsa opinione ridendum magis, uti ab illis prolata est, inveniri posse videatur. Quali cachinno a Colote explosa sit, Plutarchus (2) scripsit. Aristocles (3) Peripateticus sic nobis ridendam propinat: « Consequantur (inquit) hos, ii qui affectiones solas comprehendi posse dicunt; dixerunt vero hoc quidem ex Cyrene. Hi autem, velut ii qui lethargo sunt oppressi, nihil omnino uspiam esse existimabant, nisi quis adsit, qui ipsos feriat, aut pungat. Namque si aut urerentur, aut secarentur, cognoscere se quidpiam pati dicebant. Utrum vero quo urerentur, ignis, aut quo secarentur, ferrum esset, statuere non posse. Eos autem qui ista dicunt, roget protinus aliquis: An hoc saltem sciant, pati nempe se ac sentire? namque si nesciant, nec illud possint dicere, solam se affectionem cognoscere. Si vero sciunt, non solæ affectiones comprehensibiles fuerint dicendæ: si quidem istud, *Ego uror*, effatum est, non affectio. Verum enimvero, tria hæc simul subsistere est necesse, ipsam affectionem, et quod illam infert, atque id quod affectionem excipit ac patitur. Is igitur cui affectio accidit, illam sentiet utique: non etenim se (exempli causa) calefieri cognoscet; utrum autem ipse, an ipsius vicinus id patiatur, ignorabit? ac, an nunc id contingat, an heri? Athenisne, an in Ægypto?

(1) Contra Acad. lib. III, cap. 11, § 26, 27, tom. I.

(2) Contra Colotem, pag. 1120, 1121.

(3) Apud Euseb. Pr. Evang. lib. XIV, cap. 19, pag. 764, c et d, et pag. 765, a, b, c.

vivusne uratur, an mortuus? homone ipse, qui uratur, sit, an lapis? Ergo et a quo id patiatur sciet; namque alii alios homines cognoscunt ac sciunt, vias quoque et urbes, et cibum. Artifices etiam sua instrumenta cognoscunt: medici quoque et ii qui nauticæ rei sunt periti, futura adnotant ac prænuntiant; canesque ferarum tramites et vestigia adinveniunt. Præterea, qui quidpiam patitur, necessario uti accommodatum id suæ naturæ, aut uti incommodum percipit: aut, undenam affirmare poterit, voluptasne id sit, an dolor? aut quod illo, dum gustat, aut dum videt, aut dum audit, afficitur? atque dum gustat lingua, ac videt oculis, et auribus audit? aut quomodo sciunt hoc quidem capere oportere, fugere illud? Quod si horum nihil sciant, nec appetitione agi, ne conari quidquam poterunt; eaque ratione neque animantes quidem erunt: ridiculum enim fuerit, si dicant, hæc quidem illis contingere, quomodo vero accidant, nescire. Hujusmodi enim nec an homines quidem sint, nec an vivant, dicere licebit. Ergo nec an aliquid dicant, ac statuant. Cum his ergo quis disputationem instituat? Ac mirabitur fortasse quispiam, si nesciant, utrum in terra sint, an in cælo? Verum multo magis mirandum est, nescire illos, tribusne quatuor plura sint? quotque sint unum et duo? idque, quum philosophari profiteantur. Nec enim hi dicere possunt, quot in manibus digitos habeant? aut numquid ipsorum quilibet unus sit, an plures? ut nec proprium nomen noverint, nec patriam, nec Aristippum; igitur nec quos ament aut oderint, quæque cupiant. Quod si rideant aut fleant, dicere non poterunt, illud esse ridiculum, alterum molestum. Perspicuum igitur est etiam nec quid modo dicamus ab ipsis intelligi. Hujusmodi igitur nihil a culicibus muscisque differant oportet: quin potius etiam ista, quæ naturæ suæ conveniunt, agnoscunt. Atque ad eos qui isthoc modo affecti sunt, etsi multa dici possent, hæc tamen sufficiunt». Hæc Aristocles ex versione nostra: nam græca adscribere piguit. Quæ ideo exscripsimus, ut exemplo sint,

quam non sint antiquorum philosophorum dogmata ex adversariorum dictis æstimanda. Atque ego quidem quum illustrium quondam virorum absurda quædam decreta, ac præter communem omnium hominum sensum narrari et exsibilari audio, adduci non possum, ut credam, fideliter et uti ab illis sentiebantur et docebantur, relata et interpretata : qui enim ego, nullius ingenii homo, illorum absurditatem e vestigio pervideam ; illi multo ingenio meditata ridicula tandem protulerint! Sed Thucydidæum illud (1) verissimum semper comperias : Πολύ τε διαφέρειν οὐ δεῖ νομίζειν ἄνθρωπον ἀνθρώπου, id est, *Multum hominem homini præstare, existimare non oportet :* et, Νομίζειν δὲ τάς τε διανοίας τῶν πέλας παραπλησίους εἶναι, id est, *Existimare oportet, quæ nos cogitamus, aliis etiam in mentem venire.*

§ VIII. *De Criterio Epicuri.*

79. Epicurum quidam nullius auditorem fuisse, sed antiquorum librorum lectione profecisse scripserunt : alii Xenocratem et Nausiphanem magistros illi tribuunt. Hic, licet rationalem omnem philosophiæ partem contempserit, noxiamque potius esse putaverit, quæstionem de Criterio non intactam reliquit, sed de illo inter naturalia egit. Statuit vero : *Veritatis judicia sensus et notitias, sive prolepses et affectiones esse*, id est, ut Laertius (2) scribit : Κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις, καὶ τὰς προλήψεις, καὶ τὰ πάθη. Cicero (3) : « Aliud [judicium] Epicuri, qui omne judicium in sensibus, et in rerum notitiis, et in voluptate constituit ». Omnes enim sensus veros esse aiebat, omniaque visa : si aliqua falsa sint, aut esse possint, nullum judicium relinqui. Huic rei sic Epicurus ipse, apud Laertium (4), fidem facere stu-

(1) Lib. I in oratione Archidami, pag. 56 et 57, sect. 84, tom. I.
(2) In Epicuro, lib. X, sect. 31.
(3) In Lucullo, cap. 46.
(4) In Epicuro, lib. X, sect. 31.

det : « Sentiant enim, aut non sentiant sensus, necessarium esse. Ac siquidem sentiunt, fallere minime possunt, quum ratione omni careant, nec addere quidquam, aut detrahere iis, quas exceperint, phantasiis sciant : quare fideliter illas repræsentare. Atque quum nullam præteritarum phantasiarum ipsi apud se sensus memoriam conservent (namque et hac etiam facultate destituuntur), non valent phantasias permutare, aliamque pro alia offerre. Immoti igitur constant sensus, nec ab alio ut detrahant quid, aut addant, moveri possunt ». Idem (1) confirmare tendit : « Etiam (inquit) si mentiri sensus atque fallere nos possent, non est quo illos arguamus ac falsi convincamus. Neque enim ejusdem generis sensum ejusdem generis alio judicare est ; æqualem enim vim habent et eamdem merentur fidem. Nec qui diversi est generis eum qui diversi a se generis sensus est, examinare valet ; quum diversæ rei quilibet sensus sit judex : non enim odorem judicabit visus, neque ratio ; omnis enim ratio ex phantasiis pendet. Nec phantasia una aliam convincet ; æque enim omnibus attendimus. Confirmatur etiam sensuum veritas et fides ex eo, quod sensuum ipsorum affectiones manifesto sint atque subsistant. Sicut enim non potest ipsum *dolere* esse, et non esse id quod dolorem infert ; sed necessario ambo simul sunt ; ita quum videre nos et audire perspicuum sit, erit etiam et id quod videtur et quod auditur ».

80. Sunt igitur Epicuro omnes sensus veri et omnes phantasiæ veræ, opiniones non item : aliæ enim veræ sunt, aliæ falsæ. Ait enim, unicuique phantasiæ adjungi statim, eamque e vestigio consequi opinionem, quam δόξαν et ὑπόληψιν vocant, qua videlicet visum ipsum ab illa vel illa re immissum apud nos statuimus. Opinionem ergo hanc atque existimationem esse eam, quæ fallatur ; quam quum ab evidentia ac illata vera phantasia distinguere nesciamus, ipsius

(1) In Epicuro, lib. X, sect. 31 et 32.

errorem phantasiæ tribuere (solemus). Quare sapientis esse, opinionem a perspicuitate sejungere, nec illa inter se confundere; si confundantur, non habituros nos quo judicemus: sic enim ipse in κυρίαις δόξαις, id est, in *præcipuis* vel *maxime ratis sententiis*, scripsit. Eo enim rem demittebat Epicurus, « Si unus sensus (1) semel in vita mentitus sit, nulli umquam amplius esse credendum ». Namque sic scriptum est apud Ciceronem, cui ipsa Epicuri de hac re apud Laertium verba, et plus uno loco Plutarchus et Sextus adstipulantur. Aristocles etiam (2) timuisse Epicurum ait, ne si sensus aliquos falsos diceret, criterio regulaque omni destitueretur. Tertullianus (3): « Epicurei (inquit) constantius [quam Stoici] parem omnibus [sensibus] atque perpetuam defendunt veritatem: sed alia via. Non enim sensum mentiri, sed opinionem: sensum enim pati, non opinari; animam enim opinari. Absciderunt et opinionem a sensu, et sensum ab anima ».

81. Quum autem visa furentium et somniantium Epicureis objiciuntur; quum, qua ratione simul parva et magna, rotunda et quadrata, turris aliqua sit, si ex intervallo conspiciatur, et si quis prope eam conspecturus accedat; qua etiam ratione una res aliis calida, frigida aliis videatur, ut si visa omnia vera futura sint, res eadem et calida et frigida simul dicenda veniat, rogantur: universam illam suam de natura disciplinam docere nos atque persuadere opus habent, idque adeo satagunt. Per infinitum inquiunt vacuum innumera corpuscula (ἀτόμους vocant) diversis prædita facultatibus, ut frigida quædam, alia calida sint, perambulare: hæc, alia aliis incurrentia atque impacta, densari et coalescere; illorum compages corpora ipsa esse, quæ στερέμνια, id est, *solida*, dici volunt: ex corporibus ac rebus omnibus tenuiora alia atque leviora corpora, quæ rerum ipsarum

(1) Cicero in Lucullo, cap. 25.

(2) Apud Euseb. Præp. Evang. lib. XIV, cap. 20, pag. 767, c.

(3) Lib. de anima, cap. 17, pag. 275, c.

imagines sint, effluere, atque hac illac pervagari. Εἴδωλα hæc vocant, id est, spectra et effigies, sive, ut Lucretius, *effigies*, sive *species* : namque et has corporeas ab ipsis inductas, Galenus scripsit. Odores etiam saporesque et voces e rebus deferri, quæ omnia sensuum instrumenta feriant et sensus efficiant, id est, sentiantur. Igitur idola hæc per varia loca delata tenuiora minoraque fieri deterique et evanescere tandem, ac vario etiam modo inter se misceri et permutari : quæ et a furentibus et a somniantibus intra corpus irrumpentia cernantur : errare ergo illos, non sensu (namque vere ejusmodi visis afficiuntur), sed opinione, dum credunt a solidis, quæ adsint, corporibus spectra illa sibi offerri. Atque hoc quidem, ut et physica Epicuri universa, Democriti est; quem Cicero (1) dicit scripsisse, « si nunc, aut si etiam dormientes, aliquid animo videre videamur, imagines extrinsecus in animos nostros per corpus irrumpere ». Laertius (2) ex Epicuri sententia : « Furentiumque et somniantium visa vera esse; movent enim : quod vero non est, non movet ». Plutarchus (3) de Epicureis : « Quam vero speciem, aut naturam monstrosam atque peregrinam non una compingunt, ex insomniis et deliriis eas desumentes? quorum nihil vanam visionem, aut falsum, aut inconveniens, et quod esse non possit dicunt; sed veras phantasias et corpora et formas, quæ ex circumfuso aere nobis immittantur ».

82. Similiter (4) et de procul visa turri, quæ parva et rotunda, quum magna et quadrata sit, videatur, respondent : ita videlicet deformatam turris effigiem ad nos pervenire, vereque illa, quam animo offert, specie sensum percelli, nec mentiri. Quod si quis ipsam solidam turrim ejus-

(1) In Lucullo, cap. 40.

(2) In Epicuro, lib. X, sect. 32.

(3) Contra Colotem, pag. 1123, b.

(4) Plut. contra Colotem, et Sextus adv. Discip. cap. de Criterio. (Forsan lib. VII adv. Mathem. (1. advers. Log.))

dem formæ, cum longo itinere defesso atque languido et jamjam evanescente spectro suo esse existimet, opinione, non sensu decipiatur. Namque et validam quis vocem e longinquo ad se delatam, si, uti sensu percipit, exilem putet; ipse, non sensus, aberret: namque sensus, uti ad se delata est, illam excepit, et fideliter repræsentavit. Atque hac eadem responsione in solis astrorumque magnitudine, Epicurus uti potuit, nec risum sui Mathematicis et Philosophis omnibus facere. Tamen, præterquam quod a compluribus cum Cicerone est traditum, ipsius Epicuri verba ex epistola ad Pythoclem, et ex undecimo de *Natura* a Diogene Laertio Epicureo relata, interpretationem non admittunt. Diserte enim affirmat, tanta esse astra omnia quanta videantur, aut majora paullo; adjicitque ridiculam rationem, non amissam illis intervallo magnitudinem quandoquidem nec colorem. Verum sententia hæc innumeris perspicuitatis evidentissimis testimoniis convicta damnatur, et exsibilata exploditur a Cleomede (1) Stoico (Stoicus enim is est, ut apparet).

83. Causam vero, cur eadem aliis frigida, aliis calida sentiantur, hanc illos assignare solitos Plutarchus (2) refert: Singula diversis ac contrariis qualitatibus constare, multaque ac sibi pugnantia in unaquaque re commixta et colligata teneri. Hominum quoque sensus varia ratione temperatos, vario etiam modo ad res accommodari atque applicari, ita ut quum alius eamdem rem tangat, aut quovis sensu apprehendat, non eadem illius, quas alius, partes attingat. Sed prout sensus ad rem temperaturæ habeat, ita alias et alias ejusdem rei partes et facultates tangat et excipiat: veluti si ex fonte aliquo, in quo multorum generum res permixtæ contineantur, accedens alius aliud hauriat. Non esse igitur quod quis aliorum sensus damnet, aut mendaces dicat, quod non eo, quo ipse modo, ab eadem re afficiantur;

(1) Lib. II Contemplationis orbium cælestium.

(2) Contra Colotem.

quum omnes omnium sensus veraces sint, nec mentiri possint. Sic vinum (1) alios quidem calidum, alios frigidum experiri, neutros sensu decipi.

84. Esse ergo omnia visa vera καὶ δῆλα καὶ ἐναργῆ, id est, *certa* et *perspicua;* opiniones sive sententias nostras, quæ ex evidentibus ipsis ortum habeant, sensusque statim consequantur, non omnes veras esse : sed alias veras, alias falsas. Solere enim nos aliquando sensui, qui nihil aliud quam id quod sentit, denuntiat, opinione et arbitrio nostro detrahere quid, aut addere, ita ut decipiamur. Sunt igitur veræ sententiæ, quibus ipsa rei et sensus evidentia testimonium reddit, nec refragatur, id est, uti Epicurus (2) ipse aiebat, ἂν μὲν γὰρ ἐπιμαρτυρῆται ἢ μὴ ἀντιμαρτυρῆται, ἀληθῆ εἶναι. *Falsæ autem, quæ evidentiæ testimonio non confirmantur, vel adversus quas evidentia testimonium dixerit :* ἐὰν δὲ μὴ ἐπιμαρτυρῆται ἢ ἀντιμαρτυρῆται, ψευδῆ τυγχάνειν. Exempli causa : Cernit quis procul hominem ad se venientem, et Socratem putat. Si is postquam accesserit, Socrates ex evidentiæ testimonio esse comperiatur, ablato intervallo quod impediebat, quo minus illius spectrum plane integrum exciperetur; opinio vera fuerat : sin contra, falsa. Quare ad opinionum explorationem et probationem exspectare jubent Epicurei evidentiam : ut, de turri procul visa nihil statuere, sed, uti dicebant, προσμεῖναι καὶ ἐγγὺς γενέσθαι τῷ πύργῳ, καὶ μαθεῖν ὁποῖος ἐγγὺς φαίνεται, id est, *Exspectare, accedereque ad turrim, et cognoscere qualis ei, qui prope sit, appareat.* Hæc exspectatio, sive exspectatione facta exploratio, peculiari vocabulo τὸ προσμένον Epicureis dicebatur.

85. Prolepses (3) etiam perspicuæ et certæ sunt, nec de illis dubitari solet. Sunt enim Prolepses, sive *notitiæ anticipatæ*, quædam rerum notiones, quæ verbis significantur,

(1) Plutarch. Sympos. lib. III, Quæst. 5, pag. 652.

(2) Apud Laertium in Epicuro, sect. 34.

(3) Laertius in Epicuro, lib. X, sect. 33, et Sextus adversus Mathemat. lib. I, cap. 3, sect. 57, pag. 228.

et veluti veræ certæque de unaquaque re opiniones ac universales cognitiones mente repositæ, memoriæque rerum sensibus perceptarum. Sensuum enim comprehensio præcedit, ut puta rei visæ, ut hominis et equi et bovis aliquando conspectorum : tum formæ ipsæ ac typi rerum apud mentem adnotati et conditi servantur, quos rebus dein in posterum visis accommodamus. Non enim de re, quæ apparet, quæreremus equusne sit, an bos, nisi equi bovisque typum mente teneremus, una cum vocibus, quibus hæc significantur. Principio enim res ipsa sensibus capitur, tum ejus nomen ediscitur : quod etiam evidens et extra controversiam est. Non enim controvertitur de bove viso, sitne ejus latinum nomen *bos?* Videor hæc facile explicare, si dicam, Epicurum, dum sensus certos dicit, de re indicata, ac quasi de subjecto dubium non esse, dicere. Quum autem prolepses certas appellat, de prædicato etiam non dubitari, affirmare, sed de opinione, id est, de connexo, sive propositione. Clemens Alexandrinus (1) de Epicuro : « Prolepsin vero definit annotationem sive animadversionem [*ad verbum*, adjectionem] animi de evidenti aliquo, et de evidenti rei notione : non posse autem quemquam neque quærere, nec dubitare, nec opinari quidem, ac neque arguere sive convincere, sine prolepsi ».

86. Affectiones autem, id est, τὰ πάθη (namque et has criteria censeri ab Epicuro adnotabamus), duo ipsis sunt, *voluptas* et *dolor*, quæ animantibus omnibus obveniant. Voluptas quidem, uti naturæ accommodatum; dolor vero, ut incommodum et a natura alienum. Horum igitur duorum ductu, quæ capere oporteat, et quæ declinare expediat, judicare Epicurus jussit. Nam, quæ voluptatem afferunt, eligenda; quæ dolorem, fugienda esse. Tria igitur hæc, sensus, prolepses, et affectiones, perspicua esse aiebat, nec de illis dubitare oportere, sed ducibus uti ad ea, quæ per-

(1) Stromat. lib. II, cap. 4, pag. 437, init. tom. I.

spicua non sint, pervestiganda : omnes enim, quæ in animo sint opiniones atque sententias, ex evidentia ortum habuisse. Sic ipsi Epicurei ex motus evidentia comperire sibi videntur vacuum esse, quod evidens non est : si enim omnia corporibus plena essent, nullum corpus moveretur. Hæc de Epicuri judicio.

§ IX. *De Potamonis Criterio.*

87. Verum accessio adhuc alia reliqua est. Scribit enim Laertius (1), qui mihi haud antiquus scriptor videtur, non multo ante suam ætatem tempore exortam novam quamdam philosophorum sectam, Potamone quodam Alexandrino auctore, quæ ἐκλεκτικὴ, id est, *selectrix*, fuerit nuncupata. Hic enim Potamo nullum se novum decretum statuere velle profitebatur, sed inter antiqua veterum philosophorum placita, quæ satis multa jam essent, optima quæque tenenda seligere. Hunc igitur in libro, cui ϛοιχείωσιν, id est, *elementarem traditionem*, nomen fecerit, scripsisse Laertius refert : *Criterium*, quod judicet, esse τὸ ἡγεμονικὸν, id est, principem in animo partem; quo autem hoc in judicando utatur, τὴν ἀκριβεϛάτην φαντασίαν, id est, exactissimum et maxime examinatum visum. Sunt ergo, ut videtur, philosophi Dogmatici, non Sceptici. Selecta enim illa dogmata approbant, et comprehensa, non probabilia solum, putant. Differunt etiam ab Academicis, quod isti, semel a Potamone selecta decreta, tenuisse omnes videantur : Academici, quisque sibi eligebant, aut inveniebant quæ placerent, nec quæ Carneadi, omnibus deinceps probabilia videbantur.

88. Hæ fere sunt omnium post Socratem philosophorum de veritatis judicio, quod unum ex duobus in philosophia maximum (2) esse Cicero (3) scribit, sententiæ. Atque hæc

(1) Eclectici ad finem prooemii, lib. I, sect. 21.

(2) Editio prima, *maximus;* editio Oliveti, *maximis.*

(3) In Lucullo.

nunc nos, pro temporis angustia, librorumque non quantam optaremus copia, præstare potuimus : plura quidem daturi, si Sexti auctoritate uti plerumque non temperassemus; quod minime factum oportuisset (is enim multus maximusque in hac quæstione est) si græcum Sexti librum, quem nondum editum scimus, nacti essemus. Latinorum vero interpretum fidei non multum fidebamus, iis maxime in libris qui adversus Disciplinarum professores sunt : quum præcipue historia hæc magnam verborum græcorum, quibus quæque scripta sunt, rationem esset habitura. Plurimum enim in hujusmodi hoc refert, quum quæque philosophorum secta propriis a se confictis verbis utatur. Ego quidem diligentiam meam desiderari nolim : quamquam illorum reprehensionem feram, qui multum me operæ studiique in exigui momenti rebus posuisse dicent. Sint sane illis hæc nullo in pretio : scimus, quam non multis operam navemus ac probemus; iis volumus potius placere, quam plurimis. Verum, itane parvi est, etiam si quæstio resque ipsa vilipendenda judicetur, antiquorum ac gravissimorum, Ciceronis, Plutarchi, Galeni, D. Augustini, aliorumque complurium, libros quum legas, intelligere? At multa apud illos, nisi hæc de non percipiendo percipias, impercepta te fugiant necesse est; quæ si scire non magnum, at certe non ingratum. Quum præcipue nos, dum his vacaremus, nulli aut publico aut privato negotio defuerimus; iique simus, qui, præ ingenii nostri tenuitate, cujus conscii sumus, vel minimis his inepti nobis videamur, tantum abest ut majora docere alios aggrediamur!

M. T. CICERONIS
ACADEMICORUM
POSTERIORUM
LIBER I

ARGUMENTUM

LIBRI PRIMI QUOAD RESTAT ACADEMICORUM.

Procemium ipsam sermonis nati occasionem fingit. Varronis in Cumano suo adventus, et excusatio, quod non statim Ciceronem (qui vel ipse tum forte cum Attico in villa sua itidem Cumana se tenebat) salutatum venisset, hos commoverat, ut recta illum adirent, ne ab ipso occuparentur. Quem quum jam in via, satis magno ab ejus villa spatio, deprehensum reducerent, varia ex ipso, quum de rebus publicis (pridie enim Roma venerat), tum de ipsius studiis sciscitati: Cicero, sermonem ad philosophiam declinans, in qua literis latinis explicanda eo tempore pæne totus versabatur, ex Varrone causam quærit, cur, tam multa et varia quum scribat, hujus studium, omnium gravissimum, ipsa latine tradenda, promovere inter populares nolit, cap. 1-3. Varro contra, rem istam a se sæpe cogitatam, ideoque prætermissam, quod ea non esset multitudinis. Cultiores autem philosophiam a græcis literis, quibus accuratissime sit exposita, quarumque ipsi gnari sint, repetere facile et posse, et solere : nec latine scriptam curare, 4. Neque ipsam eam rem tam facilis esse operæ, si ratione Academia haud indigna tractetur, quum nova adeo verba invenienda sint, 5. Epicurea quidem et Democritea, in primis dicendi ornatu non adhibito, nullo negotio explicari : secus id esse in Academicorum quum physicis, tum maxime ethicis, in quibus tanta sit subtilitas, 6. Sibi igitur philosophiam tractare, non aliis : et si qui ejus studium appetant, hos a se ad Græcos, ut ad fontes, mitti. At tractare se ea, quæ aliunde peti non possint : quamquam in nonnullis, quæ scripserit, philosophica quoque admiscuerit, 7, 8. Cicero contra, collaudata multiplici scriptorum Varronis utilitate, philosophiam sperat, vel latinis literis traditam, probari popularibus posse, quippe quibus vel latini poetæ, et oratores, si qui pressius sese ad Græci alicujus exemplum accommodarint, probentur, 9, 10. Ipsum autem se, dum in republica versaretur, philosophiam sibi seorsim habuisse, dato otio ad eam recurrentem : sed hoc jam, in dolore et pleno

otio, ejusdem studio unum sibi et solatium quæri, et oblectamentum. Esse autem sane hoc ipsius studium quum senectuti aptissimum, tum rebus gestis accommodatissimum, erudiendisque civibus utilissimum. Exemplo etiam in ea re Brutum præisse, 11, 12.

Qua de re quum se Varro amplius deliberaturum dixisset, causamque quæsisset, unde Cic. Academiam veterem cum nova permutarit; hic autem se et Antiochi Ascalonitæ exemplo defendisset, et quod recentiora etiam correctiora esse solerent, Philonisque auctoritate, duplicem Academiam esse negasset; commotus ille hujus precibus, et de Antiochi contra hanc Philonis sententiam rationibus, et de universa vetere Academia disserendum suscepit. Ex quo igitur consedissent, Varro Academicæ philosophiæ quasi historiam ita ingreditur, 13, 14.

Orsus a Socrate, qui primus philosophiam, antehac in solis Physicis occupatam, ad vitam moresque hominum accommodarit, licet ipse pro certo nihil statueret, 15, 16; pergit ad Platonem, ex cujus ubertate duplex philosophorum familia coorta sit, quæ non tam rebus, quam nominibus differat, Academici et Peripatetici : quorum utraque philosophiam in certam quamdam formam redegerit, relicta illa Socratis assensus retentione; sed eodem ex fonte, eademque in ethicis descriptione, 17, 18. Triplicem autem utrorumque esse philosophiam, a Platone acceptam,

I. De vita et moribus (moralem doctrinam);
II. De natura et rebus occultis (physicam);
III. De disserendo (dialecticam).

I. Quæ primæ partis essent, hæc eos unice a natura repetivisse, sic ut finem bonorum in corporis, animi, vitæque bonis junctim ponerent, eaque *corporis* quum ad totum, tum ad partes ejus referentes, 19; *animi*, partim naturæ, partim morum dicerent : reliqua denique *vitæ* bona, virtutis usum juvantia, *adjuncta* vocarent, 20, 21. Ut autem utrique in eodem bonorum fine consentiant, ita ab iisdem etiam sola in virtute beatam vitam statui : sic tamen, ut corporis et vitæ bona adjuncta velint, quibus illa beatissima evadat. Inde derivatam quoque officii rationem, morumque institutionem, 22, 23.

II. Physica utrorumque duas partes complecti, 1° de causa efficiente, et 2° de materia. Quibus junctis *qualitates* enasci, easque quum primas et simplices, tum ex primis ortas et varias. In primis illis quatuor elementa poni, quibus ab Aristotele quintum addatur, 24-26. Materiam autem, his elementis subjectam, omni et specie et qualitate carere : sed induere eam facillime formas omnes, et exuere : esse æternam, infiniteque secabilem; quæque ex ea moveantur, ea item intervallis infinite dividuis moveri, 27. A qualitatis autem universa vi materiam totam penitus pendere atque ita singulas qualitates (τὰ ποιὰ, v. c. formam, magnitudinem, extensionem, etc.) oriri. Inde corpora, et totum ipsum mundum, qui dei sempiterni et omnipotentis sapientia ac providentia gubernetur; sic quidem, ut illa res cælestes præ ceteris, deinde humanas in terris, curet, atque tum etiam vel *necessitas*, vel *fortuna* appelletur, 28, 29.

III. Dialecticorum quoque communem esse rationem apud utrosque. Veritatis criterium a sensibus quidem proficisci, sed mente rerum in sensus cadentium judice, quippe quæ ob simplicem naturam, cujus causa ἰδέας voce appelletur, in his sola fide digna sit. Sensus per se hebetiores esse, quam ut res sibi subjectas, tam subtiles fluxasque, perciperent. Ita cognitionem ad sensus spectantem rerum esse opinabilium (τῶν δοξαστῶν), 30, 31. Scientiam in iis notionibus rationibusque poni, quæ ipse ex sese animus hauserit. Inde probatas ipsis maxime definitiones; non neglecta tamen verborum explicatione, i. e. etymologia. Argumentis denique eos esse velut usos, quibus probando concludendoque, quod vellent, enuclearent. Huic parti (disserendi) alteram oratoriam, quasi comitem, additam esse, 31, 32.

Discessisse eos autem inter se in his maxime. Primum debilitasse Aristotelem Academiæ veteris auctoritatem, rejectis ideis, quibus nimium faverit Plato. Illud magis etiam fecisse Theophrastum, quum virtutem ad beatam vitam haud sufficientem declararet, 33, 34. Stratonem autem huc non pertinere, quum tantum physica tractarit. Veteris autem Academiæ, proprie dictæ, philosophos, a Speusippo ad Crantorem, accurate in iis perstitisse, quæ ab antecessoribus tradita acceperint. At Zenonem, licet idem ex eadem prodierit, corrigendæ hujus philoso-

phiæ causa operam navasse. Cujus rationem Varro, eodem Antiocho auctore, sic exponit.

Zenonem in virtute posuisse omnia, quippe in qua una et sola summum bonum statueret, honestique id nomine appellaret, 35. Neque præter ipsam bonum quidquam esse, neque malum: distingui tamen reliqua sic, ut partim *secundum naturam* sint, partim *contra*, partim his interjecta, *media* dicantur. Illa cum aliqua æstimatione *sumenda;* ista contraria ratione; hæc, *media*, omni momento carere, 35, 36. *Sumendorum* alia pluris esse, alia minoris æstimanda; illaque *præposita*, hæc *rejecta* dici. Inter recte factum autem, quod solum in bonis actionibus cernatur, et peccatum, quod item solum in malis, medium interponi officium, et quod contra hoc sit, 37. Virtutem autem non esse simul naturæ et moris, sed rationis solius; neque eam ullo modo generibus distingui debere; nec in usu, sed in ipso habitu præclaro consistere: neque denique apud quemquam deprehendi, nisi qui se totum ei in omne tempus tradiderit. Tolli porro omnes animi perturbationes, sapienti morborum instar fugiendas, quippe quæ non naturales, sed voluntariæ, et per pravam opinionem, intemperantia velutì matre, nascantur, 38, 39.

Sic Zenonem de moribus sensisse. In Physicis, quatuor modo elementis admissis, rejectoque illo Aristotelis quinto, ignem esse, qui omnia contineret et gigneret; mentem etiam, et sensus. Omne deinde, quod quid aut efficeret, aut efficeretur, corpus esse debere, 40. In dialecticis denique eumdem mutasse plurima, in primis in sensibus: pelli eos extrinsecus visis (φαντασία), quibus acceptis animo pari *assensionem* (συγκατάθεσιν); quæ in nostra sit potestate voluntateque posita. Neque tamen visa omnia fidem mereri, sed ea modo, quæ clare eas res referrent (repræsentarent), quæ sensibus offerrentur: tale visum *comprehensibile* (καταληπτὸν) esse: idemque approbatum *comprehensionem* (κατάληψιν) dici, quippe quod simile esset iis, quæ manu *prehenderentur.* Id ipsum autem, quod sensu comprehensum esset, *sensus* (αἰσθήσεως) quoque voce, quodque certissima ratione comprehensum esset, ea *scientiæ*, si secus, ea *inscientiæ*, exprimi. Ex inscientia nasci *opinionem*, i. e. imbecillam rei notitiam, atque inde cum falso communem, 41. Inter hanc autem, et scientiam, *comprehensionem* esse; huic *credendum* esse, quum

neque in recte, nec in prave perceptis poni possit. Inde fidem tribuendam esse sensibus, quum comprehensio sensibus facta, vera sit et fidem mereatur, quod omnia contineret, quæ in eam cadere possent, quodque ea quasi norma scientiæ a natura data sit, ex qua deinde notiones communes in animo formarentur. Errorem contra omnis generis, in quem stabilis assensio non caderet, a virtute et sapientia esse alienum. Hæc esse, in quibus Zeno ab Academicis Peripateticisque discedat, 42.

Jam Varro vices enarrantis suas ad Ciceronem defert, quippe quum ab Arcesila inde novæ Academiæ, quam hic nunc profiteatur, φιλοσοφούμενα exponenda sint, 43. Tum Cicero, omnem Arcesilæ controversiam unice cum Zenone fuisse : et quidem ex eo, quod ille res omnes obscuritate premi videret, quæ vel Socratem ad illam inscientiæ confessionem adegerit; et pæne omnibus ante hunc philosophis tot querelarum causa fuerit, 44. Inde statuisse Arcesilam, nihil sciri posse, ne hoc quidem, quod nihil sciat, licet id Socrates excepisset. Ita esse obscura omnia, ut nihil plane sensibus animoque percipi possit. Nihil esse igitur ut verum profitendum, nihil, ut tale, affirmandum, assensioneque approbandum : coercendam potius, ut immunem te a lapsu omni contineas, omnem judicii temeritatem : quæ eo tempore soleat esse maxima, ubi falsa, et parum recte cognita approbentur. Hoc autem esse turpissimum, si quis quid assensione prius approbet, quam id ipsum cognoverit atque perceperit. Cui philosophandi rationi convenienter disputasse Arcesilam semper et ubique fere contra sententias philosophorum omnium (qui scire sibi viderentur), eo consilio, ut facilius assensio ab utraque parte cohiberetur, si in eadem ubique re rationes pro ea, et contra eam, sibi pares deprehenderentur.

Hanc esse sententiam, quæ Academiæ novæ nomine appelletur : sed si Plato ad veterem illam referatur, rectius veteris nomine insigniendam. In hujus enim scriptis æque nihil affirmari; æque multa in utramque partem disseri, neque pro certo statui quidquam. Sed per se licere illam novam dici, quæ ad Carneadem usque eamdem rationem tenuerit. Hunc vere philosophiæ ab omni parte bene gnarum, planeque eximia disputandi facultate præditum fuisse, Zenonis, Epicurei, testimonio firmari : qui licet, ut Epicureus, sententiam vehementer discre-

pantem sequeretur, hunc tamen præ reliquis philosophis omnibus esse admiratum.

In his deficit libri I fragmentum. Desiderantur omnia, quibus, eodem Cicerone disserente, Carneadis Philonisque rationes, uberius et subtilius eadem ista fulcientes, explicabantur. Addita forte etiam brevis per Varronem erat Antiocheæ sententiæ delineatio (1): ita certe hoc in libro plena totius Academiæ quasi historia pertexta foret; quod auctorem voluisse, verba § 14, *totam veterem Academiam, a qua absum tam diu, renovari*, subnuere videntur. De reliquorum, qui desiderantur, librorum argumento sententiam qualemcumque nostram in Introductione (parte I huj. edit.) aperuimus. Goer.

(1) Omnia quæ ad Carneadem, Philonem, Antiochum, et alios Academicos pertinent, satis fuse tractata reperies supra, in Introductionis parte secunda, P. Valentiæ Academ. § V et VI, p. 58, 86, etc.

M. T. CICERONIS
ACADEMICORUM
POSTERIORUM
LIBER PRIMUS,
AD M. TERENTIUM VARRONEM.

I. In Cumano[1] nuper quum mecum Atticus noster 1
esset, nuntiatum est nobis a M. Varrone[2], venisse eum Roma pridie vesperi, et, nisi de via fessus esset, continuo ad nos venturum fuisse. Quod quum audissemus[3], nullam moram interponendam putavimus, quin videremus hominem, nobiscum et studiis eisdem[4], et vetustate amicitiæ conjunctum. Itaque confestim ad

I. 1. *In Cumano.* Subintellige *agro*, in Cumana villa. Ciceronem hac villa multum delectatum esse ipse testatur ep. ad Quint. II, 14 : « ego me in Cumano et Pompeiano, præterquam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam ». De villa Cumana iterum loquitur Acad. lib. II, § 20, et in epistola ad Varronem, qua suos Academicos ei misit et dicavit (ad Div. lib. IX, 8, § 3).

2. *A M. Varrone.* Non ab ipso, sed a nuntio quem miserat. Gallice : *de la part de Varron.* M. Terentius Varro, Romanorum doctissimus ab ipsis coævis appellatus, omnibus notior est, quam ut quidquam de illo addamus.

3. *Audissemus.* Dr. Vin. et cum Turn. ac P. Manut. editiones vett. pleræque omnes, *audivissemus.* Sed contracta forma verissima est. Cf. Verr. IV, 58, 131 ; Off. III, 11, 12. Scribæ *audiissemus* mutassent, quod bene latinis inauditum est ; quippe qui in præteritis *i* duplex vitent. G.

4. *Studiis eisdem*, pro vulgari *iisdem*, probante Turnebo et Fabro. Utrumque tamen dici potest; nam Priscianus dat hanc regulam : « Usus lo-

eum ire perreximus; paullumque[5] quum ejus villa abessemus, ipsum ad nos venientem vidimus; atque illum complexi, ut mos amicorum est, satis eum
2 longo intervallo ad suam villam reduximus. Hic pauca primo, atque ea percunctantibus[6] nobis, ecquid forte Roma novi[7]; Atticus, Omitte ista[8], quæ nec percun-

quendi exigit per duas *i*, vel per *e* et *i*, tam nominativum pluralem masculinum, quam dativos et ablativos omnium pluralium scribi, i. e. *iidem*, vel *eidem*, etc. Solent autem auctores etiam per synæresin unam *i* ponere pro duabus ». H.

5. *Paullumque... longo intervallo.* Hæc verba *paullum abessemus* cum istis *satis longo interv.* pugnare viris doctis visa sunt. Bene tamen hæc conciliabuntur, si maximam viæ partem, ad Varronis villam tendentes, absolvisse putaris, ut paullum modo restaret, quod satis tamen longum spatium fatigato esset. Sed quæris, cur ita auctor scripserit. Voluit hic quidem utriusque partis cupiditatem se invicem visendi pingere. Ut igitur hanc Varronis ostenderet, eum in via ad Ciceronis villam ipsis obvium fecit; quippe qui se excusatum misisset, non quod hoc die non venturus esset, sed quod non *continuo* venisset. *Satis longo* autem *intervallo* a villa eum sibi obvium facit, ne forte, cognito ipsorum adventu, obviam modo processisse videretur. Inde nihil est, cur nobis cum Ern. aliisque, Venetæ 1494 lectio, *paullum abissemus via*, præplaceat. Neque ingeniosa movemur Davisii conjectura, qui pro *satis eum*, commendat *se visentium*, quæ Rathio minus placeret, si ad frequentem auctoris usum attendisset, quo, post *ille*, *is*, et vice versa, ex abundantia quadam ad eumdem relatum, ponitur. G. — J. V. *Leclerc* totam difficultatem ex hoc ortam esse censet, quod *paullum* (*un peu*) et *parum* (*peu*) non satis distinxissent viri docti. — *Satis eum longo intervallo.* Davisius de tempore accipit, quod de loco intelligendum esse satis probat totius loci sensus.

6. *Atque ea percunctantibus nobis.* Ern. delevit *ea*, quod scriptorum omnium est, sola Venetæ illius auctoritate. Nos quidem hanc vocem non scribarum ingenio deberi, sed auctoris esse, putamus, cui « et id, atque id » pro, « et id quidem, et id maxime », satis familiare est. Vid. Att. ep. 12. Sensus est igitur, « Initio quidem pauca inter nos colloquuti sumus, et ea maxime percunctando, quid ille Roma novi attulerit ». G.

7. *Ecquid forte Roma novi.* Verissime *ecquid* editur, licet scripti ad unum omnes, *et si quid.* Nec audiendus videtur esse Davis. qui putat, *et* deleto, scriptum esse potuisse, *siquid.* Nos certe nullibi, *percunctor*, *siquid*, deprehendimus; sæpe vero *percunctor*, *quid.* Agr. II, 35, 93, etc. *Ecquid* autem *numquid* notare, in vulgus cognitum est. Rectius sic etiam, quæ sequuntur, respondent, « quære potius, ecquid ipse novi? » Peccatur denique eodem plane modo sæpius; cf. Oudend. ad Rhetor. II Cic. cap. 13, pag. 666; ibid. 38, pag. 681. G.

8. *Omitte ista.* Alludit ad infausta

ctari, nec audire sine molestia possumus, quæso, inquit; et quære potius, ecquid ipse novi[9]. Silent enim diutius Musæ Varronis, quam solebant: nec tamen istum[10] cessare, sed celare[11] quæ scribat, existimo. — Minime vero, inquit ille: intemperantis enim arbitror esse[12], scribere, quod occultari velit. Sed habeo opus[13] magnum in manibus, quod[14] jam

reipublicæ tempora, bellis civilibus perturbatæ. — Iisdem prorsus dialogi coloribus, et in eadem persona, utitur Cic. Brut. 3, 11. — In horum autem verborum collocatione, ne, *quæso, inquit*, altius rejecta offendant: noluit Cic. relativum ab *ista* sejunctum. Infra Cratandria *possimus* exhibet pro *possumus*: qua auctoritate, nescio. G.

9. *Ecquid ipse novi.* Int. quid ipse Varro novi proferat. J. V. *Leclerc* vertit: *j'aimerais mieux apprendre des nouvelles de ses ouvrages.* Ludicre ipsa verba, *ecquid Roma novi*, rursus adhibet Atticus, Varroni applicans.

10. *Nec tamen istum cessare.* Ita scripti plerique omnes. Ernestius, Veneta duce, *istum* expulit, ita tamen, ut ejus loco *ipsum* poni malit. Quod, licet Oxon. E. præbeat, tamen multo vulgata deterius statuo. Nam ex vera Frontonis auctoritate, *iste* de tertio aliquo dicitur; cf. Brut. 33, 125. Hæc autem h. l. Atticus ad Ciceronem de Varrone; vere igitur *iste* suo loco. Videtur autem his Varronis in scribendo sedulitas innui, unde Att. XIII, ep. 32, πολυγραφώτατος audit. Quid? ipse Varro apud Gell. Noct. Attic. III, 10, annos 84 se natum, libros 490 composuisse, dicit. G.

11. *Cessare* et *celare* lusus verborum hoc loco esse videntur; nam amicus Varro non tam studia intermittere, quam amicis suis ea invidere dicitur. H.

12. *Intemperantis enim arbitror esse. Esse*, quod a quibusdam edd. abest, scripti habent et mei, et reliqui haud dubie omnes; et quidem eo loco, in quo nos cum Davis. et Ern. posuimus. Editi, maxime recentiores, ex Hieronymi auctoritate, «esse arbitror», transponunt: ut falsum sit, si Ern. se *esse* cum Davisio addidisse, scribit; reddiderat hoc ille modo suo loco. G. — *Intemperantis.* Stulti et prope insani. Est enim intemperantia a tota mente et a ratione defectio. Plautus: «Nescio quæ illunc hominem intemperantiæ tenent». TURN. — Pro qua interpretatione, aliam proponit P. Faber, minime lucidam.

13. *Opus*, libros qui de *L. Lat.* inscribuntur; quorum partes, ut tres primos libros privatim Septimio, aliquot alios Ciceroni, alios Marcello nuncupaverat; *opus* tamen *totum* Ciceroni dicarat, quod in multos excreverat libros. Citatur enim a Charisio Varro ad Ciceronem, l. XXII. H.

14. *Quod jam pridem.* Lambini, Gruteri Davisiique codd. *quæ j. p.* nec aliter duo Oxonn. cum tribus meis. Bas. et E. *quo* referunt, quod verum puto. *Quo*, scil. *opere*, pro *in quo*. Non enim totum de Lingua Lat. opus Varro Ciceroni inscripsit, sed partem modo: idque tum ille forte huic ipsum

pridem ad hunc ipsum[15] (me autem dicebat) quædam institui, quæ et sunt magna sane, et limantur a
3 me politius. — Et ego, Ista quidem, inquam, Varro, jam diu exspectans[16], non audeo tamen flagitare: audivi enim e Libone nostro[17], cujus nosti studium (nihil enim ejusmodi celare possumus), non te ea intermittere[18], sed accuratius tractare, nec de manibus umquam deponere. Illud autem mihi ante hoc tempus numquam in mentem venit a te requirere: sed nunc, posteaquam sum ingressus res eas, quas tecum simul didici[19], mandare monumentis, philo-

indicarat, quum προσφώνησιν istam Ciceroni promitteret. Conf. Att. XIII, ep. 12. Vulgatum *quod* forte conjecturæ modo debetur; certe haud valde inter hæc contexta placet. G. — Si nihil mutaveris, *quod* interpretandum est *quia*.

15. *Ad h. i.* Scripti plane omnes *ad h. eum i.* Sed si VV. DD. sequimur, inquit Gœr. qui servavit *eum, eum* ex vitio additum erit, quippe quod P. Man. Davis. Ern. aliique delerint, probante Rathio. Sed opportune, præter ea, quæ Wopkens, p. 3, notat, succurrit nobis locus Offic. II, 3, 9: « Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile app. » Inde non modo nihil corrigendum, sed etiam hanc linguæ regulam ponendam esse putamus, conduplicari auctori pronomina solere in locis, quæ δεικτικῶς dicuntur. Conf. Tusc. V, 9, 26. Attic. II, ep. 1 extr. G.

16. *Jam diu exspectans.* Biennio ante Varronem Ciceroni *magnam et gravem* προσφώνησιν denuntiasse (Att. XIII, ep. 12), recte monet Turnebus. Ceterum debet *exspectans* pro « quamquam exspectabam » accipi, ut sæpe participia, sequente *tamen*, constructione Græcis frequentissima. Goer.

17. *E Libone nostro.* Notus suo tempore historicus fuit L. Scribonius Libo, Sexti Pompeii socer, vir doctus, Varronisque amicus; dux in bello civili nautarum Liburnorum et Achæorum; consul ann. U. C. 719. Vide ad Attic. lib. XIII, ep. 30: « In Libonis annali ..... prætor est factus Tuditanus ». Et epist. 32: « eum video in Libonis (scil. Annalium libro) prætorem ». De eo vide Flor. IV, 2; Lucan. II, 461. H.

18. *Non te ea intermittere, sed accuratius tractare, nec de manibus umquam deponere.* Sunt hæc tria enuntiata, primum maxime et ultimum sic eadem, ut mirer, quod VV. DD. hoc in loco non hæserint, quum vel alias in glossis investigandis nimis sint sagaces. Sed solet auctor, quum in augendo, tum in explicando, eamdem rem variatis verbis bis terve repetitam proponere; unde oratorem facile agnoveris. Cf. Orat. I, 23, 108, ubi quater idem. G.

19. *Quas tecum simul didici.* Disciplinam philosophiæ græcæ, quam mox ipse memorat. Nam ad educationem nobilium Romanorum perti-

sophiamque veterem illam, a Socrate ortam, latinis literis illustrare; quæro, quid sit, cur, quum multa scribas, genus hoc prætermittas, præsertim quum et ipse in eo excellas, et id studium, totaque ea res longe ceteris et studiis, et artibus antecedat[20].

II. Tum ille, Rem a me sæpe deliberatam et mul- 4
tum agitatam requiris. Itaque non hæsitans[1] respondebo : sed ea dicam, quæ mihi sunt in[2] promptu; quod ista ipsa de re multum, ut dixi, et diu cogitavi. Nam quum philosophiam viderem diligentissime græcis literis explicatam, existimavi, si qui[3] de nostris ejus studio tenerentur, si essent græcis doctrinis eruditi, græca potius, quam nostra lecturos; sin a

nebat lectio Socraticorum, et Stoicorum librorum, ut apud Græcos Homeri; qui libri instar omnium æstimabantur. H.

20. *Et artibus antecedat.* Lambin. edidit *antecellat*, ut etiam Bas. præbet. Sed ex certo glossemate : nam Off. I, 30, 1 : « quantum natura hominis pecudibus reliquisque belluis antecedat », ubi, æque intempestive, codices nonnulli *antecellat* præbent. Bentleius *rebus* pro *artibus* scribi jubet, quod contemnendum non est; *res* enim *artis* loco sæpius ponitur, Orat. I, 2, 6, ubi loco *rebus* in quibusdam codd. *artibus*, ex mero glossemate, legitur. G.

II. 1. *Non hæsitans.* His inseritur in quibusdam *multum*, sed incongrue, ut recte vidit Davis. nec meorum scriptorum aliquis, neque Oxonensium, cum reliquis plerisque, vocem, ex proxime antecedd. a torpente librario repetitam, agnoscit. G.

2. *Quæ mihi sunt in promptu.* Hæc et quæ sequuntur, usque ad « cogitavi », Gœrenz uncis inclusit, ut spuria. De illis, inquit, Ciceronis περισσολογίαις, quas vulgo vocant, modo egimus: at num hunc, quæso, miserum pannum in his quoque referemus? Quæ enim misera variatio : « sæpe multum ..... multum et diu; deliberatam et agitatam ... cogitavi; non hæsitans...in promptu; respondebo... dicam ». Viden' auctorem, ornate dicentem, et glossatorem, per singula verba explicando euntem, juxta sepositum! G.

3. *Si qui de nostris ejus studio tenerentur, si essent.* Ernestius sine justa causa in duplici *si* offendit, posteriorem insititiam statuens, quum prius Grut. vv. « si essent », in glossemate judicasset. Sed recte docet Wetzel, « si qui », ex græco εἴ τινες, positum esse. Adde Div. I, epist. 9 : « si accusandi sunt, si qui pertimuerunt ». Ubi æque prave Scheller, Obss. 146, posterius deletum malit. Posse tamen etiam *si*, quum quædam interponantur, repetitum vere poni, plura auctoris loca testantur. Cf. Fin. III, 13, 44; V, 15, 41. Orat. 42, 144. G.

Græcorum artibus et disciplinis abhorrerent[4], ne hæc quidem curaturos, quæ sine eruditione græca intelligi non possunt[5]: itaque ea nolui scribere, quæ nec indocti intelligere possent, nec docti legere curarent. Vides autem eadem ipse[6]: didicisti enim non posse nos Amafinii[7], aut Rabirii similes esse, qui, nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis vulgari sermone[8] disputant; nihil definiunt[9], nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nul-

4. *Abhorrerent.* Revocavit Hülsem. scriptorum omnium lectionem *abhorrent:* sed satis inconsulte, quum h. l. præsens stare nullo modo possit. G.

5. *Non possunt.* Ita mei, Oxonn. Vin. nec quidquam est, quo altera lectio *possent* se defendat. G.

6. *Vides autem eadem ipse: didicisti enim... putant. Nos autem.* Viri docti hoc in loco offenderunt, quum non viderent, quomodo hæc apte cohærerent. Sed corrigendi locus nullus datur. Nam, « didicisti enim », ἔμαθες γὰρ, notat, « discendo cognovisti », i. e. « nosti enim ». Sic « discere causam » dicitur Orat. 12, 51, et centena alia. Jam posterior *autem* oppositionis est, et *contra* notat, ut sæpissime. Relinquitur leve anacoluthon, quo apud Cic. nihil frequentius est. Quod autem Rathius ita loco medeatur, ut, si ita fieri liceat, verba, « eadem ipse didicisti enim » (prout Hülsem. edidit), junctim parenthesi comprehendantur, in eo aliquid ponit, quod ipsa linguæ natura respuit, quum, quarto loco *enim* dici, ne poetis quidem liceat. G.

7. *Amafinii, aut Rabirii.* Mirum est, quod horum scriptorum præter Cicer. nullus veterum meminerit: sed vel hoc ipsum parvi eorum pretii signum putabis. Ad eosdem, eorumque similes (v. gr. Catium; conf. epist. ad Div. XV, 16, coll. ibid. epist. 19, et Quintil. X, 1) tacite Cicero respicit, Tusc. I, 3, 6, et ibid. II, 3, 7. Expresse priorem bis *Amafinium* nominat, ibid. IV, 3, 6. Conf. lib. XV ad Divers. epist. 19. — Hoc nomen alii aliter scribunt: Bas. « Aul. Afranius », E. « Amafranius » bis præbent: alii « Vannius, T. Vannius, etc. » ut edd. vett. plures. At Tusc. IV, 3, 6, alii quidam codd. etiam « Amafanius » exhibent: ut pronuntiandum sit, rem non liquere. G.

8. *Vulgari sermone.* Nostrates *populari* dicunt, h. e. vel plebi intellectu facili. H.

9. *Nihil definiunt.* Nullam rationem et viam tradendarum artium sequuntur. Epicurei autem nec Rhetoricam, nec Dialecticam probabant. Turn.—*Nihil apta interrog. concludunt.* Conf. de iisdem Tusc. II, 3, 7. Bentl. pro *interrogatione* mavult *argumentatione;* cujus looo Hülsem. « apta in ratione » suadet, *folgerecht* vertens. Sed ut in hoc ignoro, quid sit « in ratione concludere », ita illud potius receptæ glossema judicabis. Dudum enim P. Faber ad h. l. recte vidit, *interrogationem* (ἐρώτησιν; conf. Suid. h. v.) de argumentationis ratione quacumque dici; quem ipse conferes. Adde Fin. IV, 3, 7: « pungunt (Stoi-

lam denique artem esse nec dicendi, nec disserendi putant. Nos autem præceptis dialecticorum, et oratorum etiam[10] (quoniam utramque vim, virtutem esse nostri putant[11]) sic parentes, ut legibus, verbis quamquam novis[12] cogimur uti; quæ docti (ut dixi)

ei), quasi aculeis, interrogatiunculis angustis ». Parad. Præf. « Cato... minutis interrogatiunculis quasi punctis, quod proposuit, efficit ». G.—Vocem *interrogatio* pro *argumentatio* poni patet ex his Senec. Ep. 83, § 8 : « Quemadmodum opposita *interrogatione* derideatur attende..... Dormienti nemo sermonem secretum committit : viro bono autem committit; ergo vir bonus non dormit ».

10. *Præceptis dialecticorum et oratorum etiam.* Grut. part. *etiam* (quam ex meis solus Dr. ignorat), ex Palatt. omnibus, binis Bentleii, uno Ursini recepit. Recte. Notat enim *adeo*, et ad hanc part. maxime parenthesis spectat. E. V. et Uff. *et*, ex compendii vitio, præbent. Sed quid *oratorum*, quum, Pearcio jubente (cf. eumdem ad Orat. III, 21), *rhetorum* sit scribendum? De hoc monemus : Ciceron. græcæ linguæ rationem sequutum esse, ubi ῥήτωρ, æque *orator* ac *rhetor* audit, atque ita « rhetores, oratores » appellasse, ne græcum verbum sine necessitate ubique intruderetur. Si amplius quæris, forte etiam hac de causa sic scripsit, ne vel in ipsum etiam rhetoris nomen aptaretur. Quid? rhetores adeo *eloquentes* dicit Orat. 21, 72, ubi ab ingeniosissimo Schützio nollem etiam *rhetores* correctum. Ceterum E. et Bas. post « dialecticorum » inepte « imbuti » inserunt. G.

11. *Quoniam utr. vim, virt. esse nostri putant.* Pro *virtutem* P. Manut. et Lamb. *unam* corrigunt. Sed quum omnes, qui innotuerunt scripti, *virtutem* referant, ex mera id conjectura puto, quamquam utraque vox ex compendio facile permutari potuit. Davis. multis locis docere connititur « scientias virtutes esse, post Academicos, docuisse Stoicos ». De Stoicis recte : at Academici nuspiam tale quid statuerunt. G.

12. *Verbis quamq. novis cogimur uti.* Sic in scriptis et edd. ubique legitur : sed, ut interpp. erectioris ingenii omnes viderunt, pessime. Quare undequaque medicina congesta est, « quandoque, aliquando, quam, nonnumquam, quamvis, etc. » quæ singula quæque causam in sese suam continent, cur jure displiceant. Omnium correctionum optima, judice Gœrenz, est *quoque*, quam in aliis Grucchius protulit, repetiitque Ern. — Ita sane, inquit Gœr. eleganti illa, et Græcis adamata, constructione, πρεσβύτατος δὲ ὢν, μεγίστων ἀγαθῶν αἴτιός ἐστι, apte ad diversa transitur : « Nos autem... parentes... verbis quoque novis cogimur uti », i. e. Nobis non solum parendum... sed etiam cogimur, etc. G. — Si tamen nihil mutaveris, sensus est : Quamvis Dialecticorum et Rhetorum præceptis pareamus, quæ jubent nos et perspicuos et elegantes esse, verbis tamen novis (proinde parum elegantibus nec per se claris) uti cogimur. — *Verbis novis uti.* Verba novare cogimur, quod non est Epicureis perinde necesse, quum de rebus ante oculos positis disserant, et in eo

a Græcis petere malent[13], indocti ne a nobis quidem
6 accipient[14] : ut frustra omnis suscipiatur labor. Jam vero physica, si Epicurum[15], id est, si Democritum probarem, possem scribere ita plane, ut Amafinius. Quid est enim magnum, quum causas rerum efficientium[16] sustuleris, de corpusculorum[17] (ita enim appellat atomos) concursione fortuita loqui? Nostra tu physica nosti, quæ contineantur[18] ex effectione,

vulgari sermone utantur. Turnebus.

13. *Malent*. Ita verissime vulgatum *malunt* correxere Davis. et Ern. Nam, præter alios, Bas. Dresd. Uff. et E. *mallent* : atque sic locis pæne infinitis in hoc futuro, ab utraque parte, scribæ peccant. G.

14. *Indocti ne a nobis quidem accipient*. Gœrenz dat « ind. a nobis ne accipient quidem ». Sic, inquit, dedimus, quum in cod. Bas. et in Crat. legatur, « a ne nobis accipiunt quidem ». Vulgo « indocti ne a nobis quidem accipiunt » : in quo Ernestius recte *accipient* dedit, ut suaserat Davisius : sæpe enim futura sic corrumpuntur.

15. *Si Epicurum, id est, si Democritum probarem*. Epicurus enim in philosophia naturali Democritum sequitur ducem. Noster, de Fin. IV, 5, « Epicurum in physicis Democritum puto ». — *Id est*, haud raro pro, « nihil aliud est, quam », ponitur. Orat. 34, 121 : « Nescire autem, quid antea, quam natus sit, acciderit, id est, semper esse puerum », coll. Tuscul. III, 13, 27. G.

16. *Causas rerum efficientium sustuleris*. Male has voces tentant viri docti (quæ per ἓν διὰ δυοῖν dicuntur, pro, « res efficientes, quæ causæ appellantur ») ; quippe quæ « fortuitæ atomorum concursioni » apte sane opponantur. Cf. Top. 14, 58 : « Proximus locus est rerum efficientium, quæ causæ appellantur ». G.

17. *De corpusculorum (ita enim appellat atomos) conc.* Deerat vox *atomos* in Ursini codice : inde hic male eam superfluam judicabat. Sed pejus etiam fecit Hüls. qui eamdem, ex suo sensu, ut dicit, tamquam glossema, expunxit. At hic iste sensus corruptor est depravatorque veterum. Nam Cicero dicit, Amafinium græcam vocem *atomos* latine, *corpuscula*, esse interpretatum. Nemo igitur non videt, abesse illam non posse. G.

18. *Quæ contineantur ex effectione et ex materia ea*. Male primo Davis. post *quæ*, *quum* inserit : nam *quæ* est « quum hæ », ut recte vidit Wetzel : atque inde subjunctivum tempus. Ad verba enim, « nostra tu physica nosti », cogitari debet, « quam sint tractatu difficilia ». Rathius h. l. in corruptis judicat, quod nemo umquam « contineri ex » scripserit. Frustra quidem hanc structuram quæres; et tamen eam h. l. defendendam putem. Videtur enim *ex* esse *materiæ*, ut « constitutus ex marmore », et talia multa. Lambinus proponit *continuantur*, Gœr. *concinnentur*, si quid sit mutandum. — Ceterum *effectio*, *vis* est *efficiendi* : quam Plato passim αἰτίαν γενέσεως appellat : Cic. alibi « causam rerum efficientem ».

et ex materia ea, quam fingit et format effectio; adhibenda enim geometria est[19]: quoniam quibusnam quisquam[20] enuntiare verbis, aut quem ad intelligendum poterit adducere hæc ipsa[21], de vita et moribus, de expetendis, fugiendisque rebus? Illi enim simpliciter pecudis et hominis idem bonum[22] esse

19. *Adhibenda enim geometria est.* His in verbis equidem nihil offendor. Recte refert Ernest. *enim* ad præcedd. «nostra tu physica nosti»; sic tamen referri debet, ut simul sit transeuntis, ut alias sæpe ponitur. Conf. nos ad Legg. II, 16, 45. *Geometriam* autem, cujus loco Lambin. «ea materia», ex codd. ut dicit, vestigiis correxit (de Allio inepte ῥεομετρία), vere ad Physica Academicos adhibuisse, testatur Platonis Timæus, pag. 353-358 Bip. qui totus locus Geometrica continet, coll. Arist. Met. II, c. 2 et 3, etc. G.

20. *Quoniam quibusnam quisquam.* Gœrenz dat «quamquam quib. quisq.» quod probare videtur J. V. *Leclerc*, dicens: forte *quamquam*. Scripti, inquit Gœr. editique omnes «quoniam quibusnam, etc.» Quod quum ferri non posset, VV. DD. varimode loco affecto succurrerunt. Sed eorum conjecturæ «quam jam, quin etiam», vel *jam* simplex, ad plena contexta æque incongruæ sunt, atque Lambini ratio, verba «quoniam..... adducere», post illa, «quanta subtilitas», transferendi. Neque magis nuperrima Rathii probabitur, «quam jam» admittentis, et post *adducere* rogandi signum ponentis; quippe qua seqq. hæreant. Quod denique Castillon et Hülsemann ante *quoniam* lacunam statuunt, id ultimum, et commune in locis vexatis refugium, necesse minime videtur. Intt. fere omnes hæc verba ad *geometriam* referunt, parumque inde memorem faciunt Ciceronem exempli in Platonis Menone propositi, quo hæc disciplina ad communem intelligentiam facili via revocatur. Equidem eadem rectius ad Ethica, quæ sequuntur, retulerim. Quod optime fiet, si auctorem se ipsum in recensendis physicorum difficultatibus cohibentem statueris, quum in Ethicis haud minores offerantur. Id sane tum poteris, si pro *quoniam*, *quamquam*, ut fecimus, correxeris. Infinitis enim locis hæc, ex iisdem pæne compendiis, scribæ permutant. *Quamquam* autem se ipsum corrigentis esse, innumera loca testantur, v. c. Catil. I, 9, 24: «sed invitatus ad tuos esse videaris. Quamquam quid ego te invitem?» Cato Maj. 19, 67: «Quamquam quis est, etc.» G. — Nobis valde placeret conjectura: *quin etiam*, quasi diceret, non tantummodo Dialecticam, Physicam, sed ipsam Ethicam propriis et technicis verbis indigere; quem sensum protulit J. V. *Leclerc* in gallica versione.

21. *Aut quem ad intelligendum poterit adducere hæc ipsa.* In his, nisi accuratius attenderis, facile de constructionis veritate dubitaris. Proprius ordo foret, «aut quem ad int. hæc ipsa, etc.» sed tum «hæc ipsa» nimis distracta fuissent a sequentibus, ad quæ proxime pertinent. G.

22. *Idem bonum.* Sc. voluptatem.

censent: apud nostros enim[23], non ignoras, quæ sit
7 et quanta subtilitas. Sive enim Zenonem[24] sequare:
magnum est efficere, ut quis intelligat, quid sit illud
verum et simplex bonum[25], quod non possit ab ho-
nestate[26] sejungi; quod bonum quale sit[27], negat
omnino Epicurus sine voluptatibus sensum moventi-
bus[28] nec suspicari[29]. Si vero[30] academiam vete-
rem persequamur[31], quam nos, ut scis, probamus:

23. *Apud nostros enim.* Et scripti, et editi plures *autem* corrigunt: sed referes *enim* ad verba « quoniam quibusnam, etc. » G.

24. *Zenonem.* Zeno verbis tantum ab Academicis veteribus differebat, re vero consensit. Quod multis locis testatur Cicero, in primis infra, cap. 12, init. « Verum esse arbitror... correctionem veteris Academiæ potius quam aliquam novam disciplinam putandam » (Stoicorum doctrinam). Plura docebit Tiedem. loco citato vol. II, sect. 12, pag. 427 seqq. Historiam ejus literariam congessit Brucker. Hist. crit. philos. tom. I, pag. 895 seqq. et *Bayle* in lexico historico. H.

25. *Simplex bonum.* Non e tribus conflatum generibus animi, corporis et fortunæ, sed in sola virtute positum. Turn.—Vide Plat. Phæd. § 31, Fisch. et omnino Tennemann *Syst. der Plat. Philos.* vol. IV. H.

26. *Ab honestate.* Nam ab honestate corporis commoda et fortunæ emolumenta sejungi possunt. Turn.

27. *Quale sit, negat omnino Ep.* Gœrenz dat « q. sit, se neg. omn. Ep. » *Se*, inquit, addidimus ex Bas. quod excidisse ob compendii *sit* similitudinem probabile est, quodque haud recte abesse, Lambinus vidit, quum idem ex ingenio ante *sine* insereret.

28. *Sensum mov.* Sunt enim etiam Epicuro aliæ voluptates in stabilitate positæ, quæ sensum non movent, sed indolentia quadam constant. Turn.

29. *Nec suspicari.* (I. e. ne suspicari quidem.) Lambinus aliique, qui *nec* in *vel* mutarunt, aut mutandum statuerunt, id se ignorare prodiderunt, quod non debebant: sexcenties enim Cic. post *negare* et *nescire*, « non, nec, neque, ne... quidem » ponit. Neque Wetzel audiendus est, qui *nec* superfluum judicat: nam necessario stare debebit, pro *ne...quidem*, *nec* autem et *ne* ubique permutantur. G.

30. *Si vero.* Præcessit *sive enim;* unde etiam h. l. Lamb. *sive* correxit, Turnebo auctore. Sed recte defendunt hanc structuram paullo insolentiorem Ern. Wetzel et Rath. Conf. Schwartz ad Tursell. pag. 820. Adde Tuscul. I, 41, 97: « Sive sensus exstinguitur... Sin vera sunt, etc. » Causa bene ex Græcorum εἴτε... εἰ repetitur, quippe quum illa ipsa part. ex græca εἰ nata sit, et Latini vett. simpliciter *si* pro *sive* dixerint; ut ex illa inscriptione apud Gell. II, 28, « si deo, si deæ », aliisque multis, cernitur. G.

31. *Academiam ... quam erit illa acute explicanda nobis?* Ern. *erunt* suadet, quum « Academiam explicare » durior dictio sit; idque probat Wetzel. At ita in auctorem ipsum duriores erimus, apud quem talia infinita, v. c. Orat. III, 18, 68: « Hinc (ab

quam erit illa acute explicanda nobis? quam[32] argute, quam obscure etiam contra stoicos disserendum? Totum igitur illud philosophiæ studium mihi quidem ipse sumo, et ad vitæ constantiam[33], quantum possum, et ad delectationem animi; nec ullum arbitror, 8
ut apud Platonem est[34], majus aut melius a diis datum munus homini: sed meos amicos, in quibus est studium[35], in Græciam mitto, id est, ad Græcos ire jubeo[36], ut ea[37] a fontibus potius hauriant, quam ri-

Arcesila) hæc recentior Academia emanavit, etc.» In usum abierat, ut *Academia* de decretis hujus philosophorum familiæ poneretur. G.

32. *Quam argute... disserendum?* Ut diversitas sentiendi inter Stoicos et Academicos appareat, et alterutri sententia sua vincant. Nam Varro se applicabat ad Acadd. vett. H.

33. *Et ad vitæ constantiam quantum possum.* Vett. editi quidam ante «constantiam», «consuetudinem et» addunt. Sed potiores, in quibus Cameraria et Crat. hæc nesciunt, una cum scriptis, qui innotuerunt, omnibus. Neque aliud, nisi glossema ad v. *constantiam* adscriptum, putanda sunt. Itaque ista dudum a VV. DD. damnata sunt. — *Quantum possum*, recte a Turnebo, Gulielmio, editisque vett. pluribus (quibus se addit Crat.), acceptum, editur, comprobaturque Uff. Bas. et Dresd. auctoritate. Reliqui scripti editique *quantam*. Si auctor adjectivum voluisset, scripsisset, «quanta possum» v. *possim*. G. — *Constantiam.* Gravitatem inconstantiæ et levitati contrariam, quod a romanis hominibus maximum vitium putabatur. Turn.

34. *Ut apud Platonem est.* Recte laudant intt. Plat. Timæum, p. 338 Bip. οὔ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ' ἦλθεν, οὔθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν. Quam sententiam Cic. sæpe in rem suam transtulit. Accuratius eam expressit de Univers. cap. 14. Brevius tangit Tusc. I, 26, 64; ad Div. XV, ep. 4, § 42, etc. G.

35. *In quibus est studium.* Durandus post *est* de suo *id* adjecit, tamquam ex dictantis voce male exceptum: sed sine justa causa, quum sæpe *id* cogitandum omittatur. G.

36. *In Græciam mitto, id est, ad Græcos ire jubeo.* Wetzel neminem interpretum in verbis «id est ... jubeo» hæsisse miratus, cancellos iis admovit, ut de aperto glossemate suspectis. Eamdem quidem rationem jam olim Lambin. iniit, ex. c. Brut. 46, 172: «Sed domum redeamus, id est, ad nostros revertamur». At hujus generis exemplorum infinitus est in Cicerone numerus, omniaque eamdem faciem præ se ferunt. Et pleraque ejus generis sunt, ut demptis iis, quæ per *id est* adduntur, sensus vagus relinquatur, et hiulcus. Denique tot locorum interpretamenta, si a scribis sint, quarenam in codd. omnibus leguntur? G.

37. *Ut ea a fontibus.* Offendit Lamb. in vocc. *ea a.* Et sane nostræ quoque aures dudum in talibus locis hærent: sed quum isti haud ita rari sint, fe-

vulos consectentur. Quæ autem nemo adhuc docuerat[38], nec erat, unde studiosi scire possent; ea, quantum potui (nihil enim magnopere meorum miror), feci, ut essent nota nostris. A Græcis enim peti non poterant, ac, post L. Ælii nostri[39] occasum, ne a Latinis quidem. Et tamen in illis veteribus[40] nostris, quæ, Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice; quæ quo[41] facilius minus docti intelligerent, jucunditate quadam ad legendum invitati, in laudationibus[42], in iis ipsis antiquitatum procemiis[43], philosophiæ scribere[44] voluimus, si modo consequuti sumus.

runt, quod Ciceronianæ ferebant. Cf. Catil. III, 9, 21: «et ea a perditis». Legg. III, 6, 13: «et postea a magno homine, etc.» G.

38. *Quæ autem nemo adhuc docuerat.* Ern. qui L. Ælium Stilonem, invitum, philosophum fecerat, recte a Wetzelio docetur. *Quæ* ad antiquitatum studium referri, in quo ille excelluerat, locus sua sponte clamat. G.

39. *Ælii nostri.* Cicero laudat L. Ælium in Bruto, cap. 56. Vide et Aul. Gell. I, 18, et XVI, 8, ubi nos docet hunc L. Ælium fuisse Varronis magistrum. Sed edd. vett. Aul. Gell. omnes exhibent *Lælius*, aut *L. Lælius.* Hic L. Ælius Stilo, Varronis magister, cognomen habebat *Præconinus* inde ductum, quod a patre præcone ortus erat, ut docet Plin. Hist. Nat. lib. XXXIII, cap. 1, in fine. J. V. L.

40. *In illis veteribus. Illa* vocat Varro Menippeas suas, quippe quas olim adolescens scripsisset. Verba, «quadam hilaritate conspersimus», ad præcedd. «Menippum imitati», spectant: de Menippi enim Sat. Laert. in h. vita, VII, 99: τὰ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει. G.

41. *Quæ quo.* Gœrenz dat «quæque, quo». Ita, inquit, addita *que* transitiva, locum persanasse nobis videmur. Qua in part. quam valde librarii peccent, docuimus ad Legg. I, 11, 32, coll. II, 8, 19. Eoque ea facilius excidere h. l. potuit, quum in scriptis paullo vetustioribus ubique, non *quæ*, sed *que* scribatur.

42. *In laudationibus.* Laudationes Varronis sunt, nobilium Romanorum, morte defunctorum. Qualis vel illa *Porciæ*, cujus mentio fit Att. XIII, ep. 48; cui Cicero quoque et Lollius laudationem scripserant. Tractaverat autem in illis haud dubie locos illos de immortalitate, de vitæ honestate et decore, etc.

43. *In iis ipsis antiq. procem.* I. e. in procemiis illorum librorum nuper editorum de Antiquitatibus romanis. Opponuntur «illis veteribus», de quibus supra. Senior enim Antt. libros scripserat.

44. *Philosophiæ scribere voluimus.*

III. Tum ego, Sunt[1], inquam, ista, Varro: nam 9
nos in nostra urbe peregrinantes, errantesque, tanquam hospites, tui libri[2] quasi domum deduxerunt[3], ut possemus aliquando, qui, et ubi essemus, agnoscere. Tu ætatem patriæ[4], tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sacerdotum; tu domesticam[5], tu bellicam disciplinam; tu sedem[6] regionum, locorum; tu omnium divinarum humanarumque re-

Philosophiæ, præter alios, omnes mei cum Vin. et ψ. Neque satis attenti fuerunt, qui alteram lectionem *philosophice* admiserunt. Nam « philosophice scribere », est « more et ratione scribere philosophorum », quod dicere Varro noluit: at « philosophiæ scribere » voluit, id est, « ad ejus studium commendandum et invitandum ». Huic rationi convenienter interpunximus. G.

III. 1. *Sunt... ista*. Bas. *sint*, male. Nam Læl. 2, 6: « Sunt ista, Læli »: quæ imitantur hæc Platon. ἔστι ταῦτα.

2. *Tui libri*. Scripserat enim de vita populi romani Varro, et rerum divinarum et humanarum XLI libros ad C. Cæsarem pontificem. Turn.

3. *Domum deduxerunt*. Augustin. Civ. Dei, VI, 2, *reduxerunt*. Palat. 4, et Bas. *adduxerunt*, solemni hoc in verbo permutatione. Vulgatum verissimum: nam *hospites* non *reducuntur*, sed « honoris causa deducuntur ». Conf. ad Herenn. IV, 51, 64: « iste hospites domum deducit ». Verr. I, 24, 63: « Deducitur iste ad... hospitem ». Coll. 25, 64. G.

4. *Tu ætatem patriæ, tu descript. temp.* Chronologia Varroniana intelligitur, quæ quum in natalibus Romæ accuratius constituendis (hanc enim « ætatem patriæ » auctor appellat), tum in digerendis rerum romanarum gestis per singulorum annorum consules, sita erat. G.

5. *Domesticam... bellicam discipl.* Augustin. l. l. « publicam discipl. » sed minus bene: tum enim Cic. *privatam* præposuisset. Opponuntur autem hæc sibi adjectiva, ut alias « domi et militiæ ». Cf. Davis. ad h. l. G.— Hülsem. *publicam* recepit.

6. *Tu sedem regionum, locorum*. Gœrenz cum Schützio dat « sedium, regionum, locorum » ex Augustini lectione, quam confirmat etiam Jo. Sarisber. Polycr. VIII, c. 9, ad fin. qui l. h. laudat; vulgata, inquit Gœr. vix ferenda est, quum nullibi « sedes regionis, loci » dicatur: contra vero, Muren. 39, 85, « omni in sede ac loco », et Cluent. 61, 171, « Sceleratorum sedes et regio », jungantur; et « sedes de locis habitatis » sæpe simpliciter dicatur. — Nonne tamen *sedes locorum* facile intelligitur, quum sæpe fiat ut loci alicujus nomen optime innotescat, vera sedes autem minime. Ceterum *sex* libros Antiqq. Varronis, a septimo ad decimum tertium, « de locis » egisse, auctor est Augustin. — *Regionum*. J. V. *Leclerc* vertit *quartiers*. Nam Roma in regiones quatuordecim dividebatur. Tacitus lib. XV, 40.—*Locorum*, ut ædium, verbi gratia sacrarum, locorum religiosorum, locorum publicorum. Turn.

rum[7] nomina, genera, officia, causas aperuisti; plurimumque poetis nostris[8], omninoque latinis et literis luminis attulisti, et verbis[9]: atque ipse varium et elegans, omni fere numero[10], poema fecisti; philosophiamque multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad edocendum parum[11]. Causam autem probabilem tu quidem affers: aut enim Græca legere malent, qui erunt eruditi; aut ne hæc quidem[12], qui illa nesciunt. Sed da mihi nunc[13]: satisne probas? Immo

7. *Tu omnium divinarum humanarumque r. Divinæ* spectant ad præcedd. «sacrorum sacerdotumque jura» (sic enim *jura* ad utrumque referenda: quod quum nec scribæ, neque Lambinus viderent, *munera* post *sacerdotum* addiderunt): *humanæ* complectuntur reliqua. Ex his autem satis clare intelligitur, auctorem ad solos Varronis antiquitatum libros respicere, quippe quos, numero XLI, eo tamen ordine scripserit, ut priores XXV *humanis*, reliquos *divinis rebus* addiceret. Vid. August. Civ. Dei, VI, 3. G.

8. *Plurimumque poetis nostris.* Scripti complures non *plurimumque*, sed *pl. quidem* præbent: in quibus tres Oxonn. totidemque mei. Sed librarios in hanc *que*, continuativam, varimode grassari, notavimus ad Legg. II, 8, 20. Igitur nihil opus est, ut cum Turn. Grut. Davis. aliisque locum tentemus: alias facillima ratio, «plurimumque idem», foret. Sed recte, præter alios, Bas. et Dresd. *que* exhibent. G.

9. *Et literis luminis attulisti, et verbis.* Sic vulgo. Gœrenz dat «et literis luminis, et verbis attulisti». Sic omnes mei, inquit, Oxonn. Davisiique scripti: quam lect. præferendam putamus, quippe sæpius tentatam a scribis, qui nesciebant, duobus substt. regentibus, rectum potiori, præmisso, addi solere. Vid. Cato Maj. 13, 45; Tusc. I, 16, 38. Pro *verbis* P. Man. *rebus* suadet, quod minime probat Gœr.

10. *Omni fere numero.* Omni fere genere versus: nam mixtum erat carminum varietate, ut Quintilianus ait. TURN.

11. *Ad edocendum parum.* Sic recte, loco olim vulgati, *docendum*, editum esse, vel tres meorum probant. Commune enim scribarum vitium est, ut verba composita «emori, elevare, eloqui, edocere» in simplicia mutent. Sic *emonere* pæne prorsus evanuit. G.

12. *Aut ne hæc quidem.* Codd. editique vett. plerique omnes *hoc* referunt; quod, quocumque modo defenderis, nihil erit. G.

13. *Sed da mihi nunc: satisne probas?* Sic vulgo, quod ut intelligatur, admittendum est *dare* hic pro *dicere* poni, ut apud Virg. «Sed tamen iste Deus qui sit, da, Tityre, nobis». Tamen hoc contextu ita accipi posse, jure meritoque dubitabis. Ejus loco Turneb. et Lamb. «sed eam mihi nunc, etc.» Quam lect. Ursin. sic accipit, ut simul, «non satis probas», mutet. P. Manutius proponit «sed da te mihi nunc», quod Gœrenz præ ceteris unice probat. Sic Græci διδόναι ἑαυτόν τινι; sic auctor ipse

vero et hæc[14], qui illa non poterunt; et qui Græca poterunt, non contemnent sua[15]. Quid enim causæ est, cur poetas latinos græcis literis eruditi legant, philosophos non legant? an quia delectat[16] Ennius, Pacuvius, Attius, multi alii[17], qui non verba, sed vim græcorum expresserunt poetarum? Quanto magis philosophi delectabunt, si, ut illi Æschylum, Sophoclem, Euripidem; sic hi Platonem imitentur, Aristotelem, Theophrastum? Oratores quidem laudari video, si qui e nostris Hyperidem sint, aut Demosthenem imitati. Ego autem[18] (dicam enim, ut res est), dum 11
me ambitio, dum honores, dum causæ, dum reipublicæ non solum cura[19], sed quædam etiam procu-

pluribus locis. Conf. Intt. ad Divv. II, ep. 8, maxime P. Manut. et *Kortte*. Facile etiam *te* abjici potuit, quum forte *date*, una voce scriberetur. Ita sensus foret: « Quare committe te mihi, et aperte eloquere ». G.

14. *Immo vero* elliptice dicitur, sic ut, « mea sententia, meo judicio », cogitando sit addendum. Conf. Off. III, 23, 8. G. — *Immo vero et hæc*. Non modo parum probas, sed etiam contra fiet, ut libros tuos legant, qui Græcos legere non possunt: et qui Græcos legere possunt, non contemnent tuos, ut sua lingua scriptos.

15. *Non contemnent sua*. Scripti plerique omnes *contemnant*. Sed vitio sæpissime obvio, et ex communi compendii fonte oriundo.

16. *An quia delectat*. Pessime h. l. *quia*, cum Veneta, Ascens. Hervag. a Durando et Ernest. ejectum est. Adhibet Cic. hanc particulam *an* elliptice, variisque modis. « An, quum » dicit; « an, quod; utrum, quod... an, quod », et denique « an, quia », ut nostro loco. Pro Arch. 12, 30; Tusc. III, 1, 1; ibid. III, 2, 5. Denique hæc nostra ratio *an*, *quia* sic capienda est, ut, « an hoc causæ est, cur poetas l. etc. » plena sententia sit. Quum vero in sqq. « non tanto magis » sequi deberet: scripsit auctor ejus loco repentina inversione « quanto magis ». G.

17. *Multi alii*. Hæc delevit Lamb. Sed equidem causam justam nullam video. Cf. Fin. IV, 17, 49. Facilis etiam opera fuerit, vel decem poetas latt. alios huc addere. G.

18. *Ego autem.... nunc vero*, etc. Jam Cicero de suis rerum philosophicarum studiis ingenue profitetur. Nam philosophiæ, inter suos cives parum æstimatæ, et a nobili loco natis contemptæ, vacabat animi affectuum, v. c. dolorum, causa; et otii bene fallendi gratia. Pompeio enim a Cæsare fuso, Ciceronis publica officia quiescebant. H.

19. *Non solum cura, sed quædam etiam procuratio*. Nunc enim, quamvis mea quædam sit reip. cura, nulla tamen procuratio, administratio est, quum omnia unius ditione et potestate

ratio multis officiis implicatum et constrictum tenebat, hæc inclusa habebam; et, ne obsolescerent, renovabam, quum licebat, legendo. Nunc vero et fortunæ[20] gravissimo perculsus vulnere, et administratione reipublicæ liberatus, doloris medicinam a philosophia peto, et otii oblectationem hanc, honestissimam judico. Aut enim huic ætati hoc maxime aptum est; aut iis rebus[21], si quas dignas laude gessimus, hoc in primis consentaneum; aut etiam ad nostros cives erudiendos nihil utilius; aut, si hæc ita non sunt, nihil aliud video, quod agere possimus.
12 Brutus[22] quidem noster, excellens omni genere laudis, sic philosophiam latinis literis persequitur, nihil ut iisdem de rebus Græcia desideret[23]; et eamdem

teneantur. Sic procurationem dicit lib. III de Legibus : « Sed quæro quid reapse sit turpius quam sine procuratione senator ». Turneb.

20. *Fortunæ gravissimo perculsus vulnere.* Ita Uff. et Bas. ut dudum ad h. l. Pet. Faber scribendum esse docuit. Vulgo *percussus*. Bene de horum verborum discrimine èxponit Bremi ad Nepotis Dion. V, 3. *Percelli* autem *vulnere* quid sit, auctor ipse prodit Tusc. III, 29, 72. *Percelli* videtur is, qui *vulnere* ita tactus est, ut de gradu statuque suo plane dejiciatur. G. — Turnebus conjicit mentionem fieri de mortua Tullia, quæ in matrimonio Dolabellæ ex partu decesserat. Sæpius sic infinite Cicero casus hujus, ipsi tam acerbi, mentionem injicit. Conf. Att. XII, ep. 45.

21. *Aut iis rebus. His* ex Uff. Bas. E, pro *iis* edit Gœr. longe potiori, inquit, lèctione, quum « huic ætati » præcesserit. Ponitur autem pronomen utroque loco δεικτικῶς, i. e. ratione ex contextu ubique explicanda. Arch. 9, 22 : « in cælum hujus proavus Cato tollitur ». *Hujus*, i. e. qui nunc vivit. Att. X, ep. 11 : « quid enim dicam hac juventute »; h. e. qualis nunc quidem est. Sic *huic ætati*, id est, *senili*, et *his rebus*, quales equidem gessi. G.

22. *Brutus quidem noster.* Laude veterum eximia floruit Brutus, cui Cicero librum nobilissimum dicavit, et epistolas scripsit notissimas. De eo nuper egit Kindervater ad Cic. de Nat. Deor. v. I, p. 78, seqq. obss. H.

23. *Sic philosoph. lat. lit. persequitur, nihil ut iisdem de rebus Græcia desideret.* Varie tentata hæc sunt. Turnebo placet, « a Græcia desideres ». P. Manut. « Græca desideres », quod idem Ern. suadet. Lamb. « a Græcis desideres », ut olim vulgatum est. Grut. « Græca desideret » : sed quis? Davis. « Græcia desideretur ». Sed nos nihil quidquam mutatum volumus. Sensus enim est, Brutus ita philosophiam latina lingua tractavit, ut vel Græcis plene satisfaciat, licet hi scili-

quidem sententiam[24] sequitur, quam tu[25] : nam Aristum[26] Athenis audivit aliquamdiu, cujus tu fratrem Antiochum. Quamobrem da, quæso, te huic etiam generi literarum.

IV. Tum ille, Istuc quidem considerabo, nec vero 13
sine te. Sed de te ipso quid est, inquit, quod audio? —Quanam, inquam, de re?—Relictam a te veterem jam[1], inquit; tractari autem novam.—Quid[2]? ergo, inquam, Antiocho id magis[3] licuerit, nostro familiari, remigrare in domum[4] veterem e nova, quam nobis in novam e vetere[5]? Certe enim recentissima quæque sunt correcta et emendata maxime : quamquam[6] Antiochi magister Philo, magnus vir, ut tu

cet tot tantosque philosophos, qui egregie scripserunt, numerent. *Græcia* autem pro *Græcis* dicitur. G.

24. *Sententiam*. Veteris Academiæ.

25. *Quam tu*. Hæc equidem verba in librariorum additamentis posuerim; male enim his clausula exit. Cicero, nisi egregie fallor, scripsisset, « atque tu, sententiam sequitur ». Neque sane video, cur addita esse debeant, quum proxime sequentia idem clare loquantur. Hæc autem assuere scribæ quam maxime amant. Cf. Cato M. 14, 47. G.

26. *Aristum*. Plutarchus in Bruto *Aristonem* vocat Antiochi fratrem et Cicero V Tusculana, nisi mendosi codices sunt : hic tamen et in Lucullo *Aristum*. Turn. — Cf. Cic. Brut. c. 97, de Aristo, qui ibi dicitur Academiæ heres, hospes, et familiaris Ciceronis. H.

IV. 1. *Veterem jam, inquit*. Gœrenz delet *jam*, quod sic quinto loco positum nusquam reperitur, suadetque ejus loco Bentl. *Academiam*; quod arripuit, et edidit Hülsem.—Si *jam* servaveris, supple Academiam, quam sequebaris quum Antiochum audiebas. Turn.

2. *Quid? ergo, inquam*. Ita recte distinxere Davis. et Ern. Vulgo *Quid ergo? inquam*, in quod vitium recidit Hülsem. G.

3. *Id magis*. Ern. *id*, ante *magis*, deletum vult, quum *licuerit* referri ad sequens *remigrare* debeat. Sed vel centena loca ipsum, ad latinitatis magis elegantiam, quam auctoris proprietatem attentum, docere potuissent, Ciceronem ad *id* et *quod* sententiam vel indicatam, vel expresse præmissam, repetere solere. Cf. Div. II, 16, 36. G.

4. *In domum*. Nam Antiochus Philonis auditor fuerat, diuque novam Academiam defenderat. Turn.

5. *In novam e vetere*. Ordine mutato, præbet fr. cod. « e vetere in novam », idemque agnoscit Ven. 1494. Perperam. Sic enim enuntiatorum sibi oppositorum inversio perit. G.

6. *Quamquam... negaret in libris... coarguit*. Gœrenz dat : *quamquam.... negat*, etc. Ita, inquit, Davisii et Ern. auctoritate, ipsaque loci natura juben-

existimas ipse, negaret in libris (quod coram etiam ex ipso audiebamus), duas academias esse; errorem-que eorum, qui ita putarunt, coarguit. — Est, inquit, ut dicis; sed ignorare te non arbitror, quæ [7] contra
14 Philonis Antiochus scripserit. — Immo vero [8] et ista, et totam veterem academiam, a qua absum [9] tam diu, renovari a te, nisi molestum est, velim: et simul, assidamus, inquam, si videtur. — Sane istuc quidem, inquit: sum enim admodum infirmus [10]. Sed videamus, idemne Attico placeat [11] fieri a me, quod te velle video. — Mihi vero [12], ille: quid est enim, quod

te, pro vulgato *negaret*, edidimus: haud enim aliter *arguit*, quod sequitur, permittit. P. Manut. *negarit*, editique vett. quidam *negarat*; æque prave. — *Philo*. Philo libros duos scripserat, quibus unam tantum esse Academiam contendebat: Antiochus in magistrum librum edidit nomine Sosum. Conf. Acad. V, 4, 11. Turn.

7. *Quæ contra Philonis Antiochus scripserit. Philonis* scripti et mei et Davisii, Gruteri, aliorumque forte omnium: nam quod plures editi vett. *Philonem* referunt, id ex correctione puto. Intt. hunc genitivum ad *Antiochus* trahunt, ut intelligatur *discipulus*: sed inepte, quum paucis ante, « Antiochi magister Philo », præcesserit. Equidem malim « contra Philonis », sc. *sententiam*, quæ vox ex præcedentibus facile intelligitur. Ita quidem vel alibi genitivus nude ponitur, ut infra 6, 22. G.

8. *Immo vero*. Ciceronis verba sunt, non Varronis. Turn.

9. *Et ista, et totam veterem Academiam, a qua absum tam diu*. Cum Ursini libro consentit Uff. Reliqui scripti cum olim vulgata *istam*, quod nihil est. Hortatur enim Varronem Cic. ut *ista*, quæ Antiochus contra Philonem disputarit, et simul omnia, quæ Academiæ veteris propria sint, enarrando comprehendat. Diu enim esse, ex quo hanc disciplinam reliquerit, atque ita eam sibi renovatam velle. Hunc horum unice verum sensum esse, vidit etiam Rath, in eo modo falsus, quod Antiochum contra Academiam veterem scripsisse putat; quod ille numquam fecit. Inepte igitur vulgo legitur « aqua absumptam tam diu »: idque magis, quum Academia hoc loco, ut supra, § 6, de hujus disciplinæ decretis dicatur; quæ quo modo « aqua absumpta » dici possint, nemo videt. G.

10. *Infirmus*. Hinc illud, « nisi de via fessus esset ». Turn.

11. *Idemne A. placeat fieri a me, quod te velle video*. Sufficiebat « idemne A. placeat ». Sed sunt istæ meræ pleonasmorum, si ita dicere licet, Platonis imitationes, quibus auctor hujus molle auribus dictionis genus æmulatur: εἰ ταυτὸ καὶ Α. ἀρέσκοι γεγονέναι ὑπ' ἐμοῦ, ὅ σε ὁρῶ ἐθέλειν. Sed de his, et talibus alibi, et quidem ex instituto. G.

12. *Mihi vero, ille: quid est enim,*

malim, quam ex Antiocho[13] jam pridem audita recordari? et simul videre, satisne ea commode dici possint latine? Quæ quum essent dicta[14], in conspectu consedimus omnes. Tum Varro ita exorsus est.

Socrates mihi videtur, id quod constat inter 15
omnes, primus a rebus occultis[15], et ab ipsa natura involutis, in quibus omnes[16] ante eum philosophi occupati fuerunt[17], avocavisse philosophiam, et ad vitam communem adduxisse: ut de virtutibus et vitiis, omninoque de bonis rebus et malis quæreret; cælestia autem vel procul esse a nostra cognitione censeret[18], vel, si maxime cognita essent, nihil tamen

quod malim, quam. P. Man. et Lamb. ante *ille, inquit* inserunt. Ex vero quidem sensu abesse hoc verbum h. l. non posse illi jure putant; sed loco inepto ponunt. Equidem post *malim* id excidisse puto, quum ubique fere in codd. curtate *inq.* scribatur. Mihi certe suppressi hoc modo verbi exemplum nusquam innotuit. G.

13. *Ex Antiocho.* Atticus audierat Antiochum, a quo « pæne ex Epicuri convulsus hortulis fuerat », ut libro pr. de Leg. ipse dicit. TURN.

14. *Quæ quum essent dicta... omnes.* Gœrenz delet *essent.* Hæc, inquit, ut plenum versum, e veteri aliquo poeta desumptum, distinximus, causis sat gravibus commoti; licet id quidem Davisius, Gulielmio idem commendante, prorsus improbabile judicarit. Nullus enim scriptus liber, neque *sunt*, ut plures editi vett. neque *essent*, ut ex Turn. et Ascens. Davisius et Ern. repetiverunt. Codd. omnes *sint;* atque ita quidem, ut Bas. et fragm. codicis *sint* post *dicta* exhibeant; unde spuria ejus natura magis etiam appareat. Deinde quis demum putabit, additam vocem *omnes* esse Ciceronis? quum de tribus modo, qui aderant, sermo sit; quumque, ea non addita, versus longi exitus vitaretur. Delevit Durandus hanc vocem. Recte, si hæc verba ipsius Ciceronis sunt; sin minus, plus quam audacter. G.

15. *Primus a rebus occultis, et ab ipsa nat. involutis.* Divin. I, 18, 35: « Non reperio causam: latet fortasse obscuritate involuta naturæ ». Recte autem defenderunt VV. DD. *ab*, quam Ursin. quum in codice suo non reperisset, deletam volebat. His autem *Physica* veterum designari nemo non videt; quæ Socrates, teste Demetrio Byzant. præ doctrina morum contemnebat. Vid. Laert. II, 21. Ceterum conf. Tusc. V, 4, 10. G.

16. *In quibus omnes.* Scripti omnes *omnibus* exhibent; cujus loco, P. Fabro monente, Davis. et Ern. recte *omnes* correxerunt. G.

17. *Fuerunt.* Non recte displicet Ern. *fuerunt*, qui *fuerant* malit: accipienda enim verba, « in quibus.... fuerunt », velut in parenthesi posita.

18. *Censeret.* Davis. non bono

16 ad bene vivendum[19]. Hic in omnibus fere sermonibus, qui ab iis[20], qui illum audierunt, perscripti varie et copiose[21] sunt, ita disputat, ut nihil[22] affirmet ipse, refellat alios[23]; nihil se scire dicat, nisi id ipsum[24]; eoque præstare ceteris, quod illi, quæ nesciant, scire se putent; ipse, se nihil scire, id unum sciat; ob eamque rem se arbitrari ab Apolline[25] omnium sapientissimum esse dictum[26], quod hæc esset una omnis sapientia[27], non arbitrari, sese scire, quod nesciat. Quæ quum diceret constanter, et in ea sen-

exemplo, ex solo Baliol. cum quo Dr. facit, *censet* correxit, quum vulgata *censeret* vel tum verissima foret, si illud omnes codd. occupasset. G.

19. *Nihil tamen ad bene vivendum.* Additur in scriptis quibusdam, ad quos Bas. noster pertinet, *conferre*, quod præter edd. vett. quasdam, in quibus etiam Ascens. utraq. et Crat. admiserunt P. Manut. et Lamb. Sed dicitur sic ex mero græcismo, οὐδὲν πρὸς τὸ καλῶς ζῆν; quem auctor etiam alibi frequenter sequitur. Vid. Gronov. ad h. l. et nos ad Legg. I, 2, 6. G.

20. *Iis, qui.* Inter hos Xenophon et Plato eminent. H.

21. *Varie et copiose sunt.* Copulam addidimus ex Vin. V. Bas. et frag. cod. eamdemque etiam editi plures servant. Sic Orat. I, 56, 240: « Galba autem alludens varie et copiose ». G. — *Varie.* Dialogice, et continua oratione. H.

22. *Nihil affirmet.* Nam in callida dissimulatione melioris intelligentiæ posita erat Socratis ars illa, eliciendi sensa hominum. H.

23. *Refellat alios.* Quum ætas illa (inquit Turnebus ad h. l.), magnum sophistarum proventum tulisset, *omnia se scire* prædicantium, et falsa scientiæ persuasione juventutem imbuentium; contrariam instituit viam Socrates, *se nihil scire* professus; utque errore homines liberaret, nihil affirmavit, sed alios refutavit: ἐλεγκτικὸν λόγον, ut ait Plutarchus, ὥσπερ καθαρτικὸν ἔχων φάρμακον· i. e. oratione refutatrice, tamquam purgante medicamento, utens. Idque erat, quod Socrati a deo (genio, δαίμονι) imperatum fuerat, ut aliis obstetricaretur; vide Theæt. Platonis. Alios locos laudat Davisius, alienos, e Themistio, et Aristide. H.

24. *Nisi id ipsum.* Quod nihil sciat.

25. *Ab Apolline.* Oraculum hoc perhibetur: σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης· ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος. H.

26. *Omnium sapientissimum esse dictum.* Lambin. conjicit *judicatum*, nulla fretus auctoritate. Quod autem Davis. loco « omnium », « hominum » suadet, in eo sese ipse decepit, quum in illo oraculo non ἀνδρῶν σοφώτατος, sed ἀνδρῶν ἁπάντων σοφ. Socrates dicatur. G.

27. *Quod hæc esset una omnis sapientia.* Græci μία πᾶσα. Acad. II, 23, 74, idem hoc exprimitur. Simili ratione dicitur, « quivis unus » Brut.

tentia permaneret, omnis ejus oratio tum[28] in virtute laudanda, et in [omnibus] hominibus[29] ad virtutis studium cohortandis consumebatur, ut e Socraticorum libris, maximeque Platonis[30], intelligi potest. Platonis autem auctoritate, qui varius, et multiplex, 17
et copiosus fuit, una et consentiens duobus vocabulis philosophiæ forma[31] instituta est, academicorum et peripateticorum; qui rebus congruentes, nominibus differebant[32]. Nam, quum Speusippum, sororis filium, Plato philosophiæ[33] quasi heredem

93, 320, coll. Cæcin. 22, 62 : *nullus unus* (εἷς οὐδείς); Tusc. IV, 4, 7 : « in quacumque una » (sc. parte) Brut. 59, 214. Lambin. et qui eum cum Hülsem. sequuti sunt, pro *omnis* conj. *hominis*, auctoris locum corrumpentes. Neque Ern. audiendus, qui « una omnino » malit, probante Wetzelio. G.

28. *Omnis ejus oratio tum in virtute laudanda, et in... cohortandis, consumebatur.* Toties apud Ciceronem « tum... et; tum... que; et... tum » sibi respondent, ut huic vix quidquam usitatius. Cf. Brem. ad Fin. I, 12, p. 63, ad cujus loca ex aliis multis hæc addes. Nat. D. II, 58, 145; Acadd. II, 14, 13; ibid. 1, 1; Brut. 93, 320. Nihil igitur est, quod h. l. cum Lamb. « quum... tum » corrigas, aut Davisii *tantum* cum Ern. probes. G.

29. *Omnibus hominibus.* Gœrenz delet *omnibus.* Glossam, inquit, vel ex eo agnosces, quod idem Uff. et Grat. postponit. Variantem enim lectionem puta, initio superscriptam, deinde in contexta receptam; ut sæpe solet. Inde vero Lambino nullum jus enascebatur, qui, *hom.* deleto, *omnibus* scriberet. Pro *cohortandis* refert Crat. *exhortandis.*

30. *Maximeque Platonis.* Hülsem. delet hæc verba. Davisius malebat *Xenophontis*, sc. quod a Platone etiam physica et mathematica tractentur, quum Xenophon neget ea a Socrate tractata esse, ut int. Ern. Davisioque Durandus assentitur. Sed jure defendit J. V. *Leclerc* lectionem *Platonis*, adhibitis locis, de Orat. III, 16; ibid. III, 4, ubi Cicero non a Xenophonte, sed a Platone dicit ipsum Socratem nobis expressum fuisse.

31. *Una et consentiens duobus vocabulis philosophiæ forma.* Infra § 18 : « duobus nominibus una ». *Philosophiæ* autem *forma* dicitur, ut « provinciæ forma » v. *formula*, i. e. *descriptio*, σύστημα. Haud ita multo post expressius et clarius, « certam quamdam disciplinæ formulam » dixit. Hæc ex Antiochi sententia disputantur, cui etiam Ciceronem se adjunxisse, ut alia multa loca, ita maxime tota posterior pars libri III de Finibus docet. G.

32. *Nomin. differebant.* Primitus nil interfuisse Academiam veterem inter et Peripateticos, vix concedimus Ciceroni, quia rationes probantes non adjunxit. De nomine Peripateticorum exponunt Diog. Laert. l. V, 2; Origen. philos. p. 141, ed. Wolf. Hamb. H.

33: *Philosophiæ quasi heredem.*

reliquisset; duos autem[34] præstantissimos[35] studio atque doctrina, Xenocratem Chalcedonium, et Aristotelem Stagiritem[36]: qui erant cum Aristotele, peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lyceo[37]; illi autem, qui Platonis instituto in Academia, quod est alterum gymnasium, cœtus erant et sermones habere soliti, e loci vocabulo nomen habuerunt. Sed utrique Platonis ubertate completi, certam quamdam disciplinæ[38] formulam composuerunt, et eam quidem plenam ac refertam; illam autem Socraticam dubitationem[39] de omnibus rebus, et nulla affirmatione adhibita consuetudinem disserendi reli-

Lusit ingenio P. Ciaconus, quum « philosoph. ex asse hered. reliquisset, secundos autem, etc. » conjiceret; recteque vidit Ern. Xenocratem et Aristotelem ineptius « secundos heredes » dici. Audacius auctor « philosophiæ heredem » putabat dici, addidit igitur hoc suum *quasi*, quo toties audacius dicta emollire solet. G.

34. *Duos autem.* Ne cum haud paucis VV. DD. orationem mancam imperfectamque putes, hoc tenendum est, verba « duos autem » sic ad *reliquisset* esse referenda, ut *discipulos* simul cogites. G.

35. *Præstantissimos studio.* Gœrenz dat *præstantissimo s.* Dicit *præstantissimos* invectum esse ab iis, quos fugeret, adjectivum ad prius substantivum, soni causa præpositum, tamen etiam ad sequens subst. valere, licet id genere differat. Tuscul. I, 4, 7: « vir summo ingenio, scientia, copia ». Muren. 17, 36; « L. Philippum summo ingenio, opera, gratia, nobilitate ». Pro Rabir. 5, 17: « meo consilio, virtute, auctoritate, etc. »

36. *Stagiritem.* Sic omnes mei, ut vulgo; eamque terminationem his in adjectt. quarto casu auctori unice consuetam judico. Invent. II, 1, 1: « Heracleotem Zeuxin, etc. » Vossius de Analog. II, c. 3, casum in *en* flexum unice præfert. G.

37. *Lyceo.* Gœrenz dat *Lycio.* Sic, inquit, tres mei: ut dubium non sit, recte sic editum esse. Satis autem cognitum est, Ciceronem græcam ει promiscue per *e* et *i* efferre. G. — Lyceum, Cynosarges, Academia, Athenis gymnasia erant extra urbem, ubi juventus corpora exercebat. Turn.

38. *Disciplinæ.* Certam quamdam philosophandi rationem in moribus, oratione, et natura descripserunt, quam mox explicabit. Id autem nec Socrates, nec Plato fecerant. Formulam dixit, a formulis actionum et stipulationum ducta metaphora. Turn.

39. *Illam autem Socraticam dubitationem .... et .... consuetudinem disserendi.* P. Ciaconus etiam h. l. turbat, voces *dubitationem ... et* delens, ut omnia ad « consuetudinem disserendi » referantur. Quam conjecturam ab Ern. probatam, Hülsem. edidit. Perperam. Voluit Cicero per *dubitationem* ἐποχὴν illam expressam;

querunt. Ita facta est [disserendi[40]], quod minime
Socrates probabat[41], ars quædam philosophiæ, et
rerum ordo, et descriptio disciplinæ. Quæ quidem 18
erat primo duobus, ut dixi, nominibus una : nihil enim inter peripateticos, et illam veterem academiam differebat. Abundantia quadam ingenii præstabat, ut mihi videtur quidem[42], Aristoteles[43]; sed idem fons erat utrisque, et eadem rerum expetendarum fugiendarumque partitio. Sed quid ago? inquit; aut sumne sanus, qui hæc vos doceo? nam etsi non sus Minervam[44], ut aiunt; tamen inepte, quisquis Minervam docet.

(Academici enim recentiores Socratem ad suas partes studiose applicabant;) sed quum hæc vox, nude posita, obscurior fuisset, addebat ille explicationem, quæ ἐποχῆς mera definitio est, quippe quam alibi « assensionis retentionem » vertat. *Et* igitur explicativa est, ut sæpissime. Ceterum verba, « nulla affirmatione adhibita consuetudo disserendi », velut una notio cogitanda sunt. G.

40. *Disserendi.* Hoc verbum delet Gœrenz: quod, inquit, ut recte judicat Wetzel, ex proxime prægressis scriba torpens repetiit : nam quocumque id demum modo defenderis, marcebit. Delevimus igitur cum Durando, quod dudum VV. DD. uncis suis damnaverunt.

41. *Quod... probabat.* Ista parenthesi Gœrenz inclusit.

42. *Ut mihi videtur quidem. Quidem* alieno loco esse, certissimus sum. Ubique enim ea part. pronominibus additur, paucis locis exceptis, quæ, alia vocis notione, ad propriam suam regulam adstringuntur. Ideo v. *quidem* delendam judico; quippe quam scribæ addere ament : idque magis nostro loco, quum eam Oxon. E. ignoret. G.

43. *Abundantia quadam... Aristoteles.* Hæc verba, ait Gœrenz, relate ad Academicos Speusippum et Xenocratem capienda sunt. Vide quasi commentarii loco Orat. III, 18, 67. G.

44. *Qui hæc vos doceo... sus Minervam.* Mavult Rath. « qui hæc vos doceam ». Quod nihil opus est; *qui* enim non solum pro *quum is* cum subj. sed etiam pro *quod is* (h. l. *quod ego*), cum indicativo ponitur. Fin. V, 19, 55: « beatus igitur, qui hos interfecit. » G. — *Ut aiunt;... quisquis Minervam docet.* Hæc ab Uffben. absunt; sed ex negligentia : nam h. l. reticentiæ figura locum non habet. P. Manut. et Lamb. recte *quisquis* correxerunt, quum prius *quisque* legeretur. Confirmant tres mei, et plures editi vett. in quibus Crat. est, veram lectionem. G. — Tritissimum apud latinos auctores adagium : ὗς τὴν Ἀθηνᾶν, scilicet *docet*, i. e. *monet*, dici solitum, quoties indoctus quispiam, atque insulsus eum docere conatur, a quo sit ipse magis docendus. Minervæ artium, et ingeniorum tutela tribuitur a poetis. Sue vero nullum aliud animal magis

V. Tum Atticus, Tu vero, inquit, perge, Varro. Valde enim amo nostra atque nostros [1]; meque ista delectant, quum latine dicuntur, et isto modo. — Quid me, inquam, putas [2], qui philosophiam jam professus sim populo nostro exhibiturum? — Pergamus igitur, inquit, quoniam [3] placet.

19 Fuit ergo jam accepta [4] a Platone philosophandi ratio triplex : una, de vita et moribus; altera, de natura et rebus occultis; tertia, de disserendo, et quid verum [5], et quid falsum; quid rectum in oratione, pravumve; quid consentiens, quid repugnet, judi-

sordidum putatur, et indocile. Testis est Plin. Hist. Nat. VIII, 51. Celebratur a multis Demosthenis σκῶμμα, qui quum Demades vociferaretur in eum : Δημοσθένης ἐμὲ βούλεται διορθοῦν, ἡ ὗς τὴν Ἀθηνᾶν respondit, αὕτη μέντοι πέρυσιν ἡ Ἀθηνᾶ μοιχεύουσα εἰλήφθη. Simile proverbium erat, ὗς ποτ' Ἀθηναίαν ἔριν ἤρισε. Vid. Adagia optimor. utriusque linguæ scriptorum omnia; ed. Aldi Manutii, Ursellis, p. 45, sq. H.

V. 1. *Nostra atque nostros.* Latina atque Latinos. Turn.

2. *Quid me, inquam, putas... exhibiturum.* Ne quis in his, accurata constructione positis, vitii nescio quid subodoret. Noluit auctor *me* repetere. Ita ille sæpe. De Nat. Deor. I, 39, 109 : « Puderet me dicere non intelligere, si vos intelligeretis ». Fin. III, 2, 6: « neque, ut ea cognoscas, quæ tibi notissima sunt, ad te mitto ». Conf. Orat. I, 22, 101. G. — *Quid me ... putas*, i. e. quantum me delectari putas. *Professus* autem erat Cicero *philosophiam* Romanis *exhibere*, in Hortensio suo.

3. *Quoniam.* Dresd. pro *quoniam* mero vitio *ipsum*. G.

4. *Accepta.* Hanc quoque vocem otiosam Ciaconus judicat; sed ex errore. Nam *accepta* est pro, « ut Academici et Peripatetici a Platone traditam acceperant ». *Ergo*, quæ præcedit, ignoratur a Venet. 1494, Ascens. Crat. editisque aliis. Offendisse scribas in *ergo* apparet : sed sine causa. Resumit hæc vox e remotiore contextu, qui interloquendo interruptus erat, satis ad concludendum probata; sæpeque sic ponitur, ut sit redeuntis ad propositum. Cf. Acadd. II, 1, 3; Orat. I, 57, 241, etc. G. — *Accepta a Platone.* Nam etsi non est apud Platonem ars philosophiæ, nec rerum ordo, nec descriptio disciplinæ; tamen omnes philosophiæ partes jam apud eum reperiebantur. Turn.

5. *Et quid verum, et quid falsum... quid consentiens, quid repugnet, judicando.* Gœr. dat « et quid verum, quid falsum... quid consentiens sit, q. r. judicando ». Misere, inquit, laborabat hic locus, quem nunc restitutum putamus. Primo non viderunt VV. DD. « et... judicando » cohærere : dialectica enim « disserendi et judicandi » præceptis occupabatur » : virgula igitur post *et* ponenda erat. Deinde recte quidem intt. vide-

cando. Ac primam illam partem bene vivendi[6] a natura[7] petebant, eique parendum esse dicebant; neque ulla alia in re, nisi in natura, quærendum esse illud summum bonum[8], quo omnia referrentur; constituebantque, extremum esse[9] rerum expetendarum, et finem bonorum, adeptum esse omnia e natura[10] et animo, et corpore, et vita. [11] Corporis

runt, «consentiens... repugnet», male sibi opponi : quod alii vel *consentiat*, alii *repugnans* correxerunt; si vero conferas Orat. 32, 115; Tuscul. 24, 68; ex his locis tibi certum erit, hoc etiam loco *consentiens sit* esse legendum. Nihil autem est, ut *repugnet* mutes, quum id recte stare possit. Conf. Acadd. II, 28, 91. Reliquam istorum locorum cum hoc nostro similitudinem nihil urgeo, quippe quæ per se loquatur.

6. *Ac primam illam partem bene vivendi*. Gœr. dat «ac primum partem illam bene viv.» Ita prorsus, inquit, exhibet fragm. cod. Basil. vero et E. *primum* confirmant, quum *partem illam*, eadem serie, permultæ editt. vett. in quibus Venet. 1494, Ascens. utraq. Camerar. Crat. P. Man. etiam et Lamb. numerantur. Hanc lectionem vulgata, « ac primam illam partem », multo potiorem esse, nemo non videbit, qui norit, *ac primum* auctori sæpe poni pro, « et quod ad primum pertinet ». Conf. pro leg. Manil. 13, 36. Neque quidquam movere debet, quod «pars illa bene vivendi» dicitur. Sæpe sic Cic. hoc gerundio utitur, cf. § 17 : maxime vero huc facit, Orat. II, 58, 287 : « id quod quarto loco quærendi posueramus ».

7. *A natura*. Ut omnes fere philosophi, qui a natura summum bonum esse ducendum putant. Turn.

8. *Summum bonum*. In quo intelligendo et consequendo Veteres summum propositum philosophiæ proponebant. Vide Bremium ad Ciceronem, de Fin. p. 273. H.

9. *Constituebantque, extremum esse*. Miro modo Ernest. *esse* deleri suadet : nam tum sensus foret, « statuebant extremum aliquod ». Addito verbo substantivo notant hæc, «id sane extremum esse, etc. » Conf. Offic. II, 3, 9 : « constitueret, honestum esse aliquid, quod utile non esset ».— *Extremum*. I. e. finem bonorum. *Extremum* enim pro *finis*, *summum* adhibetur, quod ipse Cicero declarat, Fin. I, 4; III, 8.

10. *E natura*. Secundum naturam : id enim *e* significat in hoc genere. Turn. — Vocula *e* eodem modo ponitur quo « ex re laudem adipisci », et ἐκ φύσεως εἶναι Græcis pari pæne frequentia dicitur, ac φύσει εἶναι. Nihil igitur est, cur *e* deletum malis. Vide nos ad Legg. I, 13, 35; coll. ibid. II, 29, 59. G. — *Et animo, et corpore, et vita*. In quibusdam scriptis et editis *corpore* præponitur. Inde puta, quod in explicatione idem præmittitur : sed prave : ex auctoris enim arbitrio pendet, quid prius exponi malit. — *Vita*. Fortunæ bonis ad vitam degendam necessariis.

11. *Corporis autem*. Affectiones puta. Præclarus hic locus est, quem

autem alia ponebant esse in toto, alia in partibus. Valitudinem [12], vires, pulchritudinem, in toto; in partibus autem, sensus integros, et præstantiam aliquam partium singularum : ut in pedibus, celeritatem; vim, in manibus; claritatem, in voce; in lingua etiam explanatam vocum impressionem [13]. Animi autem, quæ essent ad comprehendendam ingeniis [14] virtutem idonea : eaque ab iis in naturam [15], et mores

conferant qui ejus vim sentiunt, cum Galeni nobilissimo libro de Usu partium, lib. XII, in opp. Galeni tom. I, ab Hofmanno peculiari libro docte illustrato. Item Xenophon in Memorab. Socrat. lib. I, cap. 4, hæc attigit, quæ admirabilem corporis humani fabricam spectant. H.

12. *Valitudinem*, etc. Hæc a Cicerone explicantur pluribus libro quinto de Finibus. Turn.

13. *Explanatam vocum impressionem*. P. Manut. mavult *expressionem*, quæ etiam binorum meorum est; quæ item Ernestio arridet : quamquam hic quidem vulgatam et ex Orat. III, 48, 185, et inde defendi posse putat, quod bene impressum, bene etiam exprimatur. Audio : sed quomodo h. l. rem mihi cogitem, nescio : nam nude *in* pro *ex* hac in voce dici posse, nego. Malim utroque loco (in altero diversus sensus est) compositum subst. pro simplici positum; vel sic, ut præpositioni *in*, ut sæpe, intensiva modo vis adsit. Conf. Nat. Deor. II, 59 : « lingua sonos vocis distinctos et pressos facit ». Off. I, 37, 4, ubi auctor, « ut clara sit vox, imitatione presse loquentium effici », dicit, etc. Vel, si malis, cum Vin. *pressionem* corrigere, licebit : quod tamen necesse non puto. Ceterum vide Plin. Paneg. cap. 64, ubi de jurante, « expressit explanavitque verba ». G.

14. *Animi autem* (supple *bona*), *quæ essent ad compr. ingeniis virtutem*. Suspectam jam olim VV. DD. vocem *ingeniis* Davis. uncis cohibuit, Ernestio neutram in partem decernente. Aliis aliter corrigentibus, Hülsem. nuper verbum expunxit; qui falso in nonnullis modo scriptis id legi dicit, quum reperiatur in plane omnibus; modo quod in eorum sat multis *ingenii* (prout vetus impressi) legitur, quippe quod scribæ ad *animi* singularem numerum ponendum, ipsumque ad *virtutem* referendum, putarent. Omnes mei *ingeniis*, nec aliter Gruteriani, Lambinianique; idque verissime. G. — Versio gallica dat : « Ils appelaient biens de l'âme les facultés propres à identifier notre intelligence avec la vertu ».

15. *Eaque ab iis in naturam et mores dividebantur. Eaque ab iis* delet Gœr. suadentibus, inquit, Oxon. E. et fragm. cod. qui verba « eaque ab iis » plane nesciunt; addita scilicet ab eo, qui, horum ad Academicos et Peripateticos relationem minus patere, putabat. — *In naturam*. « Quæ suapte natura ingenerantur, nec voluntariæ sunt », ut Cicero lib. V de Fin. ait. — *Mores*. Quæ voluntariæ virtutes sunt. Turn.

dividebantur. Naturæ celeritatem ad discendum[16], et memoriam dabant; quorum utrumque mentis esset proprium, et ingenii. Morum autem putabant studia esse, et quasi consuetudinem[17]: quam partim exercitationis assiduitate, partim ratione[18] formabant; in quibus erat philosophia[19] ipsa, in qua quod inchoatum est, neque absolutum[20], progressio quædam ad virtutem appellatur; quod autem absolutum, id est virtus, quasi perfectio naturæ[21], omniumque rerum, quas in animis ponunt, una res optima. Ergo

16. *Celeritatem ad discendum*, ex græco εὐμάθειαν, dixit. G.

17. *Morum autem putabant studia esse, et quasi consuetudinem.* Vera loci sententia intt. præteriit. Respexit enim Cic. ad græcarum vocum ἔθος et ἦθος discrimen pariter atque similitudinem. Vide Plut. περὶ παίδων ἀγωγ. p. 3. a. Xyl. ἠθικὰς ἀρετὰς ἄν τις λέγῃ, οὐκ ἄν τι πλημμελεῖν δόξειεν. Quod facillime patebit, si græce verteris, ἠθῶν δὲ ἐνόμιζον ἐπιτηδεύματα εἶναι, καὶ ὡσεὶ ἔθος. Inde etiam part. *quasi* intelligetur, quæ h. l. vim eamdem cum *fere* habet. Ἔθος autem, quod vulgo eadem cum ἦθος potestate, sed falso, accipitur, proprie *consuetudinem* notat, ut vel ex locis laudatis cernitur. Sensus est: Mores putabant studio parari, et pæne solo usu adsuesci. G.

18. *Ratione.* Doctrina et disciplina (id enim sæpe *ratio* significat), ut virtus moralis studio et doctrina pariatur. Ea enim fuit, ut ex hoc loco apparet, veteris Academiæ sententia, non tamen Platonis, ut ex Menone perspici potest, ubi censet divino quodam munere hominibus tribui. Turn.

19. *Philosophia.* Sc. moralis; ita enim sæpe nomen philosophiæ usurpatur. Turn.

20. *Inchoatum est, neque absolutum.* In pluribus quidem codd. *absolutum* desideratur, ut in duobus Palatt. Bas. Oxon. E. aliisque: in nonnullis ejus loco *perfectum* legitur, prout in vetus editis legitur, et P. Manut. atque Lamb. dederunt. In paucis denique, in quibus est Dresd. *neque* etiam abest. Sed salva res est. Nam primo sæpius auctor similiter, Offic. III, 7, 3. Deinde *progressio* illa (Græcis προκοπή) locum habebat, si vel parum ex *absoluto* deesset: illud simplex *inchoatum* rei sententiam non plene reddit. Denique nuda conjunct. *neque*, quæ in pluribus scriptis reperitur, verbum excidisse prodit, quo elapso illam ipsam omissam puta. *Perfectum* autem glossema vulgati esse, nemo non videt. G.

21. *Virtus, quasi perfectio naturæ.* Intempestive Lamb. *et* interponi suadet. Sed laudat recte P. Faber Gallen. Decret. Hipp. et Plat. V: ἡ ἀρετὴ τελειότης ἐστὶ τῆς ἑκάστου φύσεως. *Quasi* vero addit, quod proprie *perfectio naturæ* dici non possit, quippe quæ sit *perfecta*; minime vero, ut Guietus vult, mediocritatem illam respiciens,

12 hæc animorum. Vitæ autem (id enim erat tertium[22]) adjuncta esse dicebant, quæ ad virtutis usum valerent. Nam virtus[23] [animi bonis et corporis[24]] cernitur in quibusdam, quæ non tam naturæ, quam beatæ vitæ adjuncta sunt. Hominem esse censebant, quasi partem quamdam civitatis[25], et universi generis humani, eumque esse conjunctum cum hominibus humana quadam societate[26]. Ac de summo quidem atque naturali bono sic agunt; cetera autem pertinere ad id

quam in virtute ponit Aristoteles. G.

22. *Id enim erat tertium.* Gœr. dat «id erat enim tert.» Sic, inquit, Uff. Bass. et fragm. cod. ut edidimus. Conf. Legg. III, 19, 44: «id est enim privilegium»; ibid. 20, 47: «id est enim junctum magistratibus».

23. *Nam virtus.* Sic dedit Gœr. pro vulgato *jam*, J. V. L. assentiente. Aperte enim his ratio additur, cur Academici et Peripatetici *vitæ bona* ab illis *animi* et *corporis* distinxerint: ad hanc autem part. *jam* prorsus nihil facit. Hülsem. qui pag. 592 *Jam* pro *Atqui* accipit, parum contexta consuluit.

24. *Animi bonis et corporis cernitur in q.* Gœr. delet «animi bonis et corp.» Quod facile, inquit, videre licebat, viderunt Guietus, Walkerus et Hülsem. verba ista deberi librariorum sapientiæ. Tantum enim abest, ut *vitæ bona, animi* sint et *corporis*, ut potius propria distinctione τὰ ἐκτὸς ψυχῆς τε καὶ σώματος dicantur. Conf. Sext. Emp. XI, 45, qui in his ponit πλοῦτον, πατρίδα, γονεῖς, τέκνα, φίλους, τὰ παραπλήσια. Eadem illa distinctionis ratione *externa* aliis, auctorique vocantur, quippe quæ extra animum et corpus sint quærenda. Hæc a scribis interpretamenti loco assuta esse, vel misera verborum structura arguit, quæ, his retentis, locum contaminat; cujus medendæ causa Ernest. vv. «in quibusdam» ante *animi* transponi jussit, structuram quidem loci curans, non sententiam. Bentl. conj. «præterquam animi bonis et corporis, cern.» eleganter; sed part. *præterquam* nullo in scripto deprehenditur.

25. *Quasi partem quamdam civitatis, et universi gen. hum. Et* pro *id est* explicative ponitur. Ceterum peccant intt. qui *civitatis* proprio sensu accipiunt: nam secus suadent vv. *quasi* et *quamdam*, totiusque sententiæ nexus. Jam enim Plato, Legg. XI, 108 seqq. et sæpius, hanc rerum universitatem *civitati* comparat, cujus gubernator deus, civesque essent homines. Id quidem Stoici maxime acceperunt, suoque more exornarunt. Cf. Legg. I, 7, 23, coll. Fin. III, 19, 64; Nat. Deor. II, 31, 77, 78. G.

26. *Conjunctum...societate. Homo conjunctus cum hominibus humana quadam societate*, est homo cum iis sui generis propriis *quibusdam* vinculis cohærens: nempe communi rationis usu, quo ille præ ceteris animantibus unice insignitur. *Quadam* additum est ad mitigandum velut audacius

putant, aut adaugendum, aut tuendum[27], ut divitias, ut opes, ut gloriam, ut gratiam. Ita tripartita ab iis inducitur ratio bonorum.

VI. Atque hæc illa[1] sunt tria genera, quæ putant 22 plerique peripateticos dicere. Id quidem non falso; est enim hæc partitio illorum : illud imprudenter, si alios esse academicos, qui tum appellarentur[2], alios peripateticos arbitrantur. Communis hæc ratio[3], et utrisque hic bonorum finis videbatur[4], adipisci quæ[5]

dictum, quum *humana* pro *rationali* poneretur. G.

27. *Aut adaugendum, aut tuendum.* Ita fragm. cod. modo *ad* a verbo sejuncte scribitur. Dresd. et Bas. *tenendum*, rell. « ad aug. aut ad tenend. » Repetitam autem præp. *ad* puta, ex quo, priore loco, separatim scribi cœpit. Prius *ad* servant scripti omnes, præter Memmianum : quem tamen, ut suspectæ fidei, alibi notavimus. Sæpius autem auctori v. hoc compositum simplicis loco ponitur. Invent. II, 18, 56. Vulgatur « aut augendum, etc. » G.

VI. 1. *Hæc illa... plerique.* P. Manut. *illa* delevit : ex cod. puta, quum etiam Bas. hoc pron. ignoret. Perperam. Est hæc pronominum junctura ex Græcis imitata, qui æque οὗτος ἐκεῖνος sociare amant. Pro *plerique* scripti et duo mei, et plures aliorum, *philosophi.* Interpretamentum hoc illius esse, recte judicabis. G.

2. *Qui tum appellarentur.* Duo mei, tres Oxonn. *dum. Tum*, quod in ejusmodi sensu ubique fere in *dum* scribæ mutant, Ciceroni usitatissimum est. *Appellarentur* hoc loco optativi vice accipiendum. Vulgo scripseris, *quales tum appellandi essent.* G.

3. *Communis hæc ratio.* Hæc divisionis bonorum ratio nobis etiam satis constat, ut mirum sit, inventos esse tum, qui *Peripateticorum eam tantum* esse dicerent. Est quidem illa apud Aristotelem prope locis infinitis; sed Academicorum quoque veterum, Xenocratis, et Polemonis eam esse, docet Alexandrinus Clemens, Stromat. lib. II, et Plato ipse, qui fons erat utrisque, ita diviserat in ep. 8, et alibi. Itaque illam divisionem tribuit illi apud Diogenem in ejus historia ipse Aristoteles. P. Faber.

4. *Finis videbatur, adip.* Gœrenz delet *videbatur.* Ut taceam verbum hoc, inquit, isto loco satis marcere (hunc enim *videri* illud, quod alias auctor pro *esse* ponit, plane non pertinet); paucissimi etiam scripti (si quidem ulli; nam has vitiosas codd. lectt. VV. DD. prætermittunt, easdemque editi vett. sua sponte corrigunt) hoc, quod edebatur, tempus servant. Gruteriani, et tres mei, *videantur*, et ita complures edd. vett. fragm. autem cod. et Bas. *videntur.* Duplici igitur quum verbum hoc suspicione laboraret, ejectum id maluimus, ejusque loco *est* intellectum, quod in ejusmodi locis pæne ex regula omittitur.

5. *Quæ... prima* [*in*] *natura.* Gœr. delet *in.* Ita quidem, inquit, nobis veram Ciceronis manum restituisse

essent prima [in] natura, quæque ipsa per sese expetenda, aut omnia [6], aut maxima [7]. Ea sunt autem maxima, quæ in ipso animo, atque in ipsa virtute versantur. Itaque omnis illa antiqua philosophia sensit, in una virtute esse positam beatam vitam; nec tamen beatissimam [8], nisi adjungerentur [9] et corporis, et cetera, quæ supra dicta sunt, ad virtutis usum
23 idonea. Ex hac descriptione, agendi quoque [10] aliquid in vita, et officii ipsius initium reperiebatur; quod erat in conservatione earum rerum, quas natura præscriberet. Hinc gignebatur [11] fuga desidiæ, voluptatumque contemptio: ex quo laborum dolorumque

videmur. Variant et codd. et edd. vett. quorum sat multi, omnesque mei, *in prima natura* exhibent. Expressit autem τὰ πρῶτα φύσει auctor. Hæc ipsi pro varia Græcorum ratione varie dicuntur; v. g. *prima secundum naturam* (πρῶτα κατὰ φύσιν) Fin. V, 7, 18; coll. Gell. N. Att. XII, 5: *prima naturæ* (πρῶτα φύσεως) Fin. III, 6, 21; Tusc. V, 30, 80: denique *prima*, vel *principia*, *naturalia* (πρῶτα φυσικὰ) Fin. II, 11, 35: postremo etiam *prima data* v. *ascita natura.* Hæc auctorem h. l. non *prima in natura* dicere potuisse, certum est. Nullo enim loco Græci πρῶτα ἐν φύσει vocant, quæ hoc loco notantur. Nihil igitur relinquitur, nisi, ut *in*, quæ vel ex vaga sede sua suspecta est, insititiam judices, ut etiam Davis. statuit. Nam cum Bremio ad Fin. II, 11, *prima naturæ* corrigere, nihil necesse est. — J. V. L. vertit: *les premiers vœux de la nature.*

6. *Aut omnia.* Animi, corporis, fortunæ. Turn.

7. *Maxima.* Virtutes. Turn.

8. *Beatissimam.* Illis enim vita beata gradus habet, ut in virtute beata vita sit, in virtute et aliis bonis beatissima. Turn.

9. *Nisi adjungerentur et corporis, et cetera.* Lamb. quidem et Davis. e codd. quibusdam *etiam corp.* dederunt: quod nos quidem nihil necesse putamus. Triplicia nempe antiqui philosophi *bona*, *animi*, *corporis*, *vitæ*, statuebant. *Bona animi* autem proprie ad vitam ex virtute beatam referuntur: sed et corporis, et vitæ bona (quæ h. l. *cetera ad virtutis usum idonea* appellantur), requiri, auctor dicit, ut vita evadat *beatissima.* G.

10. *Ex hac descriptione, agendi quoque.* Oxon. V. et Bas. *quoque* ante *descriptione* transponunt; sed ex certo vitio. Nam *quoque* ad *agendi* proprie pertinet. Vide, quæ de sede hujus part. ad Legg. II, 27, 68, monuimus. Eorum vero, quæ his, et proximis dicuntur, sententia hæc est: « Ad hanc hæc describendi disponendique rationem docuerunt etiam, unde obligatio ad agendum, ipsumque officium, oriretur; idque ponebant in conservandis iis rebus, quas servandas natura juberet ». G.

11. *Hinc gignebatur.* Ut ea conse-

susceptio multorum, magnorum[12], recti honestique causa; et earum rerum, quæ erant congruentes cum descriptione naturæ. Unde et amicitia exsistebat, et justitia[13], atque æquitas; hæque et voluptatibus, et multis[14] vitæ commodis anteponebantur. Hæc quidem fuit apud eos morum institutio, et ejus partis, quam primam posui[15], forma atque descriptio.

24 De natura autem (id enim sequebatur) ita dicebant, ut eam dividerent in res duas: ut altera esset efficiens, altera autem quasi huic se præbens, eaque efficeretur aliquid[16]. In eo, quod efficeret, vim esse

quereremur et conservaremus quæ natura præscribit, et honestum. TURN.

12. *Multorum, magnorum.* Gœrenz *magnorumque.* Vulgo, inquit, scribitur sine *que;* neque id ipsum prave omnino: copulæ enim omissio inter ejusmodi adjectiva haud est infrequens. Sed quum omnes et mei, et Oxonn. et apud alios alii, editt. enim vett. sat multæ, *que* addant: noluimus, quod tot scripti non spernebant, contemnere.

13. *Unde et amicitia exsistebat, et justitia.* Priorem copulam tres mei, totidem Davisii, editique vett. plurimi, servant: recte igitur eam restituerunt Davis. et Ern. Sed Hüls. denuo ejecit; ex suo sc. sensu, auctoris loquendi usus ignaro. Duplex enim *et*, ut infinitis locis, ita h. l. pro *non solum, sed etiam* ponitur. Librarii, quos hæc dicendi ratio fugiebat, priorem *et* abjecerunt. Off. I, 38, 4. Tusc. II, 11, 27. G.

14. *Hæque... multis,* etc. P. Manut. et Lamb. *que* abjecerunt, male. In v. *multis* intt. offendunt, cujus loco Davis. *cunctis* suadet, probante Ern. G.

15. *Et ejus partis, quam primam posui. Partis* cum Davis. et Ern. loco *artis*, quod scriptorum editorumque omnium est, necessario scripsimus. *Ars* quidem *disciplina* dicitur, sed nusquam de parte disciplinæ separatim ponitur. Loco verbi *posui* habet Hülsem. *censui:* quo errore, nescio. Recte autem *posui.* Nam suum Varro, aut Antiochi, ordinem sequitur, non eum Academicorum veterum, qui primo *Physicam*, deinde *Dialecticam*, tertio denique loco *morum doctrinam* ponebant, idque Xenocrate auctore. Cf. Sext. Emp. VII, § 16. G.

16. *Ut altera... eaque efficeretur aliquid.* Hæc plene ex Græcis versa putabis, v. c. τὸ μὲν τὸ ποιοῦν, τὸ δὲ ὡσεὶ τούτῳ αὑτὸ παρέχον, καὶ ποιούμενόν τι. Aristoteles etiam causam efficientem, τὸ ποιοῦν τοῦ ποιουμένου vocat. Cf. Metaph. III, c. 2. Ceterum codicum editorumque omnium lectionem reposuimus, eamque verissimam: cujus vice, sine ulla causa, Turn. et Lamb. *ex qua*, P. Manut. *ea qua*, et post Grut. in cujus ed. *quæ* ex vitio legitur (cf. hujus adnotata), Davis. et Ern. *ea, quæ*, dederunt, Grutero male intellecto. Similiter in proximis, « quod efficeret... quod efficeretur » ponitur. Hæc et proxima Rathius, *aliquid* transposito, sic scribi jubet:

censebant; in eo autem, quod efficeretur, materiam quamdam[17]; in utroque tamen utrumque. Neque enim materiam ipsam cohærere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia[18]: nihil est enim, quod non alicubi esse cogatur[19]. Sed quod ex utroque, id jam corpus, et quasi qualitatem quamdam[20] nominabant. Dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis (quod Græci ipsi faciunt, a quibus hæc jam diu tractantur), utamur verbis interdum inauditis.

25 VII. Nos vero, inquit Atticus. Quin etiam græcis licebit utare, quum voles, si te latina forte deficient. — Bene sane facis; sed enitar, ut[1] latine loquar, nisi

« ea, quæ efficeretur. In eo, quod efficeret aliquid, etc. » *Aliquid* autem ad *efficeretur* additum videtur, ob præcedd. « quasi huic se præbens »; alias rectius abesset. G. — Illustrat hanc doctrinam Achilles interpres Arati: Ζήνων, ὁ Κιττιεὺς, ἀρχὴν εἶναι λέγει τῶν ὅλων θεὸν, καὶ ὕλην. Θεὸν μὲν, τὸ ποιοῦν· Ὕλην δὲ, ποιούμενον. Nuper Tiedemannus Syst. philos. Stoicor. vol. II, p. 8, sqq. hæc attigit. H.

17. *Materiam quamdam. Quamdam* ad *materiam* ideo adjectum est, quod ea apud Academicos non pro elementis dicitur. Elementa enim apud hos formam habent, qua *materia* caret. Vide hæc accurate exposita apud Pseudo-Plutarch. decret. Philoss. I, c. 9. Eodem modo infra, § 28, *materiam quamdam* dicitur. G.

18. *Sine aliqua materia.* Neque forma esse sine materia potest. Turn.

19. *Nihil est enim, quod non alicubi esse cogatur.* Difficillimus sane locus, cujus ego ex nimia brevitate obscuritatem accuso, non corruptionem. Intt. ut Lamb. et alii, hæc plane expungi jubent; Hülsem. *aliqua vi* correxit, licet etiam in spuriis ponat. Turneb. et Guietus notant, « Platoni et Platonicis materiam locum esse », hujusque Timæum laudant. Recte. Vid. p. 349, seq. Bip. coll. Tennemanni *System der Plat. Philos.* tom. III, pag. 45, seqq. Sens. loci igitur hic videtur: « Neque materiam coire in unum et quasi coalescere posse, nisi ei vis adsit, qua juncta teneatur. Omne enim, quod vere sit, debere necessario in loco aliquo esse » (locum igitur, sc. materia cohærente repletum, materiam vi cohærentem continere). G.

20. *Et quasi qualitatem quamdam.* Urs. *quasi* in codd. quibusdam non repererat; hinc P. Manut. abjecit, cum aliis. Sed Davis. et Ern. abjectum revocarunt. Recte, meisque comprobantibus omnibus. Additæ vero sunt vv. *quasi, quamdam* ad verbi *qualitas* novitatem excusandam. Hinc, quæ sequuntur, in eadem excusatione pergunt; in quibus verba, « quod Græci... tractantur », parenthesi, ut oportebat, inclusimus. G.

VII. 1. *Sed enitar, ut.* Durandus ante *ut*, *inquit*, ex ingenio addit;

in hujuscemodi verbis, ut philosophiam, aut rhetoricam[2], aut physicam, aut dialecticam appellem, quibus, ut aliis multis, consuetudo jam utitur[3] pro latinis. Qualitates igitur appellavi, quas ποιότητας[4] Græci vocant : quod ipsum apud Græcos non est vulgi verbum, sed philosophorum, atque id in multis. Dialecticorum vero verba[5] nulla sunt publica : suis utuntur; et id quidem commune omnium fere est artium[6]. Aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda. Quod si Græci faciunt, qui in iis rebus tot jam sæcula versantur, quanto id magis nobis concedendum est, qui hæc nunc primum tractare conamur? — Tu vero, inquam, 26

quod hoc loco necesse non est. Nam sua sponte quodammodo orationem interpellat Atticus. G.

2. *Aut rhet.* Gœr. post Hüls. dat *aut ethicam*. Philosophica, inquit Gœr. verba vult Varro; loquitur enim non universe, sed applicate ad hanc disputationem, quam susceperat. Facile etiam hæc permutatio a scribis committi potuit, quum his *t*, in *aut*, sic scribatur, ut ubique cum *r* misceatur, quumque eos in orthographia ubique peccare videas. Si quis igitur *rethicam* legerat, is, lineolam neglectam judicans, *rhetoricam* data opera scribebat, ut habet frag. cod.

3. *Jam utitur.* Abest *jam* a Dresd. et fragm. cod. et licet quidem ea part. salvo sensu abesse possit, omissa tamen hiulcum locum reddet et male concinnum. G.

4. *Quas ποιότητας Græci vocant.* Ποιότης, i. e. *qualitas*, vulgi non est, inquit Turnebus ad h. l. sed philosophorum verbum; in hac vero significatione Stoicorum proprium, quorum vocabulis Academici usi esse videntur. Jam quum Stoicis qualitates *corporatæ* sint, idcirco *materiam corporatam* vocabant *qualitatem* : quamquam non tam sæpe ποιότητα, quam πεποιωμένην dicere solebant. Alexander Aphrodisieus contra Stoicos disserens : λέγω δὲ περὶ τῶν ἐνεργείᾳ σωμάτων, καὶ ὥς φασιν αὐτοὶ πεποιωμένων, εἴη ἂν καὶ ἡ ψυχὴ αἰσθητή· οὐ γὰρ δὴ ἄποιόν γε σῶμα αὐτὴν ἐροῦσιν· ἔσται γὰρ ὕλη· h. e. de corporibus quæ re ipsa sunt, et, qualitate affecta sunt, animus sensu percipiet; non enim eum corpus esse dicent, *qualitate* vacans; esset enim materia. H.

5. *Dialecticorum vero verba.* Etsi quidem *vero* affirmantis putari possit, Gœr. tamen hac in voce offenditur, præsertim quod eam fragm. cod. non agnoscat, et ejus loco Bas. *quoque* exhibeat, ut P. Manut. et Lamb. ediderunt. Idem conj. scribendum, « Sic dialecticorum verba nulla sunt publica », quum facile *sic* ob præcedentem syll. *is*, ut assolet, excidere potuerit.

6. *Et id quidem commune omnium fere est artium. Quidem* præbent scripti et mei et Oxonn. omnes : neque aliter editi vett. multi. Sed P.

Varro, bene etiam meriturus mihi videris de tuis civibus, si eos non modo copia rerum auxeris, ut effecisti[7], sed etiam verborum. — Audebimus ergo, inquit, novis verbis uti, te auctore, si necesse erit[8]. Earum igitur qualitatum sunt aliæ principes, aliæ ex iis ortæ. Principes sunt uniusmodi, et simplices; ex iis autem ortæ, variæ sunt, et quasi multiformes. Itaque aer quoque[9] (utimur enim pro latino), et ignis, et aqua, et terra, prima sunt. Ex iis autem[10] ortæ animantium formæ, earumque rerum, quæ gignun-

Manut. cum quibusdam ante ipsum, *quoque*. Perperam, et scribarum errore satis pervagato. G.

7. *Ut effecisti*. Offenduntur in his intt. Lamb. *ut fecisti*, probante Guieto. Davis. suadet *ut perfecisti*. Amicus ille Davisii *ut et fecisti*, quod, post Durandum, Hülsem. recepit. Perperam. Sic enim *et* pro *etiam* dictum esset, quod plane a Ciceronis usu abhorret. Vulgatam tueor: nam *efficere* etiam alibi pro *perficere* Legg. I, 5, 16; Philipp. II, 42, 109. G.

8. *Si necesse erit*. Ita unus meus Bas. quod Grut. pro vulg. *est* ex Pal. 4, et cod. Gulielm. dedit, restituendum vel sine codd. Ita enim sæpe librarii, si duo futura se excipiunt, ut in alterutro peccent. V. c. Cato Maj. 11, 38. G.

9. *Itaque aer quoque (utimur... latino), et ignis*. Gœr. delet *quoque*, Vulgo, inquit, legitur « itaque aer quoque »; omittitur etiam copula ante *ignis* posita. Sed *quoque* ignorat, præter Ursini codicem, etiam fragm. mscr. nostrum; atque haud ita raro sane part. inculcatur, ut eam h. l. mordacitus retineas. Vid. Off. II, 19, 8, ibique Heusinger. coll. supra § 23. Ern. pro *quoque*, *quidem* suadet: neque negari licet hæc sæpe permutari solere. Sed post *itaque* raro alia part. additur; quod secus est in *ita* simplici. Copulam vero illam, præter eumdem Ursini libr. frag. cod. et Bas. servant, receperuntque sic Davis. Olivet. et, quæ hunc sequitur, ed. Oxon. Recte.

10. *Primæ sunt. Ex iis autem ortæ*. Vulgatur *prima*, nec aliter scripti. Sed refertur hoc, inquit Gœrenz, qui dat *primæ*, ad *qualitates*, quæ paucis ante bis *principes* dicuntur, et sequitur statim *ortæ*, sc. *qualitates*; quod quum intt. haud dubie ad *formæ* referrent; apertum vitium non viderunt. Mutata autem scripsit voce auctor, *primæ*, pro *principes*, ne ter idem recurreret. Misere contra vulgata *prima* se habet. Interpunximus autem post *ortæ*, ut loco consentaneum erat. Sed unde probari licet Academicos Vett. « elementa primis qualitatibus » adnumerasse? Ex ipso eorum auctore, Platone: qui materiam per se ipsam quidem ἄποιον statuebat; elementa vero illa, quum iis formam tribueret (vid. Tim. p. 351-355), non potuit non, quin ad τὸ ποιὸν referret: (nam apud Platonem est subst. ποιότης uno modo loco obviam Theæt. 134. B.) Erant autem ista simplicis formæ; inde Cic. « ex iis ortas qualitates, multiformes », πο-

tur e terra[11]. Ergo illa initia, et, ut e græco vertam, elementa dicuntur[12]: e quibus aer, et ignis, movendi vim habent, et efficiendi; reliquæ partes, accipiendi, et quasi patiendi: aquam dico, et terram. Quintum genus[13], e quo essent astra mentesque, singulare, eorumque quatuor, quæ supra dixi, dissimile Aristoteles quoddam esse rebatur. Sed subjectam[14] putant 27
omnibus sine ulla specie[15], atque carentem omni illa qualitate (faciamus enim tractando usitatius hoc verbum, et tritius) materiam quamdam, ex qua omnia

λυειδῆ, appellat. Materia contra per se ipsa Platoni ἀόρατος καὶ ἄμορφος erat Timæ. 350, seq. Cf. Pseudo-Plut. de placitis phil. I, c. 9. Beck. Ita demum hic locus restitutus esse videtur. G.

11. *Gignuntur e terra.* Id est, stirpium et herbarum. Sic sæpe loquitur lib. II de Natura Deorum. Turn.

12. *Ergo illa initia, et... elementa dicuntur.* Hæc sic accipienda: « Inde fit, ut illæ principes qualitates initia (ἀρχαὶ) et elementa (ut græcam vocem στοιχεῖα presse vertam) dicantur », Quæ quidem nominum enallage, et quasi traductio, frequentissima est. Cf. Sanctii Minerv. II, p. 392. B. Hinc facile intelligitur, copulam, quæ in quibusdam codd. desideratur, a P. Manut. et Lamb. falso esse deletam. G. — Aristoteles et Plato initia ab elementis distinguunt, ut initia sint materia et forma: elementa, ignis, aqua, terra. Hic nulla distinctio est. Turn.

13. *Quintum genus... rebatur.* Hæc Gœrenz lineis distinxit; παρενθετικῶς enim, inquit, inseruntur. Subjicitur his etiam *sed*, quod sæpissime parentheses excipit. Vide infra II, 41; coll. II, Legg. I, 2; Fin. V, 23, 64; Off. I, 30, 3, et Off. II, 21, 6, ubi æque parenth. neglecta est. *Singulare* recte Davis. Guieto auctore, ex binis Palatt. tribus suis (nostris 4 idem commendantibus), restituit: nam prius vulgatum *singulares* ferri nequit. — Similiter « quiddam », quod omnes mei tenent, editique vett. sat multi, Ern. in *quoddam* mutare non debebat. Nihil est enim facilius, quam videre, pronomen h. l. substantive poni: tum autem numquam *quoddam* scribi debet. Quod autem idem ille dicit, debere id ad *genus* referri, id cave credas; nam constructio est: « Quintum genus... Arist. singulare quiddam, et dissimile (quiddam) eorum... esse rebatur ».

14. *Sed subjectam putant.* Ita potiores quique scripti, et contextis unice convenienter: commune enim hoc Academicis omnibus. Alii quidam, in quibus Vin. *putat*: quod Hülsem. recepit, ut suo Pseudo-Ciceroni tribueret. Ceterum hæc Academici plene ex Platonis sententia. Nec aliter Aristoteles. Cf. de utroque Pseudo-Plut. de decretis philoss. I, c. 9, cll. Plat. Timæo, p. 346. G.

15. *Sine ulla specie.* Nam illis materia prima omni forma et qualitate

expressa atque efficta[16] sint; quæ tota omnia accipere possit[17], omnibusque modis mutari, atque ex omni parte; eoque etiam interire, non in[18] nihilum, sed in suas partes, quæ infinite[19] secari ac dividi

caret : id quod aiunt ὕλη ἄποιός ἐστιν. Turn.

16. *Expressa atque efficta.* Sic P. Manut. Davis. et Ernest. ex nostris omnibus; Turnebo jam sic conjiciente e verbis, quæ supra leguntur, « quam fingit et format effictio ». Neque aliter Vin. E. V. et scripti plerique reliqui. Wetzel *effecta* defendit : sed quo jure nescio. Per se quidem stare h. l. *effecta* posse, nemo negabit : sed nullus umquam locus exstat, ubi *exprimere* et *efficere* juncta reperiantur : contra vero *effingere* tam sæpe illi v. additur, ut magnus exemplorum numerus colligi possit; conf. maxime Nat. Deor. III, 39, 92. Atque si Academicam philosophiam spectes, *efficta* longe aptius videbis, quum, secundum hanc, formæ rerum materiæ imprimerentur, ad æternorum exemplarium normam imitatæ et assimilatæ. Ceterum hæc verba non de arte *pictoria*, ut Strebæus, nec de *statuaria*, ut Schütz. sed de *monetaria* ducta ponuntur. Impresso enim laminæ typo, *expressum* inde et *effictum* (sic ut in eo signum et effigies cernatur) nummus est. Sed transferuntur ista deinde ad statuariam rem et pictoriam. G.

17. *Quæ tota omnia a. possit... mutari.* Materiam puta, de qua paullo post, § 28 : « materiam ipsam totam penitus commutari putant ». Inde primo « tota omnia » defenditur, quæ varie olim VV. DD. tentarunt. Explicatur etiam continuo post *tota*, per « ex omni parte », et « omnia accipere, omnibus modis mutari ». Deinde etiam altera lectio *possint* cadit, quam Ern. ideo reduxit, quod « quæ tota » non ad materiam, sed ad ea referatur, quæ ex materia expressa sint. Sed aperte fatemur, hæc nos prorsus non intelligere. Quomodo enim possunt expressa ex materia tota omnia accipere, et tamen, quæ in iis expressa sunt, retinere? Sin secus, desinunt tum expressa esse, et pars materiæ sunt, quæ novas quascumque alias formas accipit et induit. Necessario igitur P. Manut. Lambin. Davisiique exemplum sequendum erat: et præbent sane *possit*, præter Ursin. cod. duo Oxonn. et ex nostris Uff. frag. cod. et Dresd. Ceterum etiam Platoni materia (τὸ ἄπειρον) πανδεχὴ καὶ πανδεχής dicitur. Conf. Tim. p. 346, etc. G. — *Mutari.* Sic etiam tres mei : rei ratione postulante. Nam P. Faber audiendus prorsus non est, qui *mutare* stare quoque posse dicit. Bas. *mutari* post *parte* ponit, vitio scribis admodum solemni. G. — Turnebus interpretatur : Elementa et materia omnia quæcumque gignuntur accipiunt, omniumque rerum formas induunt : aut quidquid gignitur et elementa et materiam accipit, eaque formis mutat et novat.

18. *Non in nihilum.* Quia *materiam* habent elementa, non possunt *in nihilum* interire; verum in materiam, licet non primam, resolvuntur, sed forma alia novatam, ut in elementa quæ ipsorum partes sunt. Turn.

19. *Quæ infinite.* Id corporibus omnibus convenit, ut in infinita potestate secari possint, ut Academici

possint, quum sit nihil omnino in rerum natura minimum, quod dividi nequeat : quæ autem moveantur, omnia intervallis[20] moveri; quæ intervalla item
infinite dividi possint. Et quum ita moveatur illa vis, 28
quam qualitatem esse diximus[21], et quum sic ultro citroque versetur : et materiam ipsam totam penitus commutari putant, et illa effici[22], quæ appellant qualia[23]; e quibus, in omni natura cohærente et continuata[24] cum omnibus suis partibus, effectum esse

et Peripatetici, adeoque geometræ omnes censent, repugnantibus Epicureis, qui corpuscula quædam individua ponunt rerum primordia. Turn.

20. *Intervallis.* Turneb. de temporis partibus intelligit.

21. *Illa vis, quam qualitatem esse diximus.* Ernestio *vis* h. l. suspecta est, quippe quæ ad *qualitatem*, quum hæc *forma* sit, haud commode aptari possit. *Illa* ad *materiam* refert Hüls. Sed prorsus hic incogitate. Quis enim putabit Cic. scribere potuisse « quum ita moveatur illa (materia) : materiam ipsam ... commutari ». Nec minus Ern. errat, quum *vim*, *qualitati* esse negat. Hæret ille in *formæ* notione, nihil cousiderans, aliam hanc Platoni et Acadd. Vett. esse potuisse, quam sibi ipse informaverat. *Forma* autem apud Plat. τὸ κινούμενόν τε καὶ διασχηματιζόμενον, et ὁ πατὴρ (ex opposita *materia*, quæ apud ipsum μήτηρ audit), appellatur Tim. pag. 345, eademque σύμμετρά τε καὶ σύμφωνα ἐνθεῖσα dicitur Phileb. pag. 236, etc. Est enim *forma* (τὸ πέρας) huic « motus ad certas leges restrictus » ; cf. Tennemanni *Gesch. der Philos.* tom. II, pag. 403, seqq. Atque ita h. l. *vis* recte ponitur. G.

22. *Et illa effici.* Legitur in quibusdam codicibus (quibus se duo Oxonn. et Bas. addunt), « et ita effici ». Nec aliter Lamb. Gruter. Oliv. idque retraxit nuper Hülsem. Sed sine justa causa puta, et contra scriptos omnes nostros. Nam primo marcet oratio, si in tanta vicinitate bis « et ita » legatur. Deinde sic auctor in eadem re pron. hoc adhibet sæpius, ut statim ante « illa vis, quam qualitatem dixit ». § 27 : « omni illa qualitate ». Denique notat h. l. « et...et, non solum, sed etiam »; atque tum minus bene *ita* stabit. Ceterum constructio est : « Et quum...moveatur ...versetur, et materiam...commutari, et illa effici putant, etc. » G.

23. *Quæ appellant qualia*, quasi *efformata*, i. e. *corpora*. *Forma* enim materiæ juncta, corpus exoritur. Hæc, quæ tota sunt Platonis, explicatius modo, et constrictius traduntur. Cf. Tennem. l. l. G. — *Qualia*, τὰ ποιὰ, vel πεποιωμένα, i. e. corpora constantia ex materia et forma, vel a forma finita et determinata. Guietus.

24. *E quibus, in omni natura cohærente et continuata.* Gœr. delet *in* Davisio suadente. Nam quid, inquit, quæso, hoc sibi vult, « in natura cohærente effectum esse e qualibus illis mundum ». Nonne « mundus » et « natura cohærens, etc. » eadem notione comprehenduntur? Sensus est :

mundum; extra quem nulla pars materiæ[25] sit, nullumque corpus. Partes autem esse mundi, omnia quæ insint in eo, quæ natura sentiente[26] teneantur: in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna:
29 nihil enim valentius esse, a quo intereat. Quam vim[27] animum esse dicunt mundi[28], eamdemque esse mentem, sapientiamque perfectam: quem Deum appellant, omniumque rerum, quæ sunt ei subjectæ, quasi prudentiam quamdam[29], procurantem cælestia maxime; deinde in terris ea, quæ pertinent ad homines: quam interdum eamdem[30] necessitatem ap-

« Ex his efformatis corporibus, quum per ea tota natura continuo ordine cohæreat, constare cum singulis suis partibus mundum ». Sine corporibus enim mundus cogitari nequit, atque adeo natura cohærens et continuata. G. — *Natura cohærente.* Mundus enim ex partibus coagmentatus est conjunctis, et continentibus inter se; non disjunctis, nec distractis, ut natura una continuata contineri possit. Vide Cic. de Nat. Deor. lib. II. Turn.

25. *Nulla pars materiæ.* Hoc petitum est ex Platonis Timæo, cujus verba Cicero vertit; vid. frag. Timæi, p. 1109 seq. vol. IV, edit. nov. J. N. Ernesti. H.

26. *Natura sentiente.* Nam aliis quibusdam philosophis esse videtur « vis sensus » et *rationis* expers. *Natura* autem illa *sentiens* fuerit « animus mundi », qui a Platone dicitur. Cic. de Nat. Deor. lib. II, « secunda autem quæ docet res omnes subjectas esse naturæ sentienti ». Hæc sententia etiam Stoicorum fuit, qui *vim divinam* in ratione esse positam, et universæ naturæ animo ac mente censuerunt; legem etiam naturalem vocarunt, et legem perpetuam, et æternam. Turn.

27. *Quam vim.* Dresd. hæc verba sic scribit, ut duplex *m* puncto subnotarit, tamquam spurium. Sed de sua id scriba sapientia fecit. *Quam vim* enim ad *perfectam rationem* refertur, quæ præcesserat, et idem est, ac si auctor scripsisset: quam rationem perfectam animum esse dicunt mundi. Ven. 1494, et Crat. « animum dicunt esse »; qui verborum ordo utique melior. G.

28. *Animum ... mundi ... quem Deum appellant.* Vide Excurs. I.

29. *Quasi prudentiam quamdam.* Fuerunt qui *providentiam* mallent. Sed recte Davis. ex Nat. Deor. II, 22, 58, et 31, 79 (adde ibid. III, 15, 38), illud etiam de Deo poni, docuit. Accedit, quod alias voces « quasi..... quamdam » otiosæ forent: nam *providentia* proprie de Deo. G.

30. *Quam interdum eamdem.* Ultima vox in editionibus pluribus excidit: nam in vett. omnibus reperitur; legitur etiam in Davisianis, Oxonn. meisque scriptis omnibus. *Quam* autem referes ad « prudentiam procurantem », quæ præcessit. Ceterum huc pertinere videtur, quod obscurius de Platone Pseudo-Plut. I. Decreta Philoss. cap. 26: Πλάτων τὰ μὲν εἰς

pellant, quia nihil aliter possit[31], atque ab ea constitutum sit, inter quasi fatalem[32] et immutabilem continuationem ordinis sempiterni : nonnumquam quidem eamdem fortunam, quod efficiat multa improvisa hæc, nec opinata nobis[33], propter obscuritatem ignorationemque causarum[34].

VIII. Tertia deinde philosophiæ pars, quæ erat in ratione, et in disserendo[1], sic tractabatur ab utrisque. Quamquam[2] oriretur a sensibus, tamen non

πρόνοιαν ἄγει, τὰ δὲ εἰς ἀνάγκην. G.

31. *Quia nihil aliter possit..... sempiterni*, sc. *fieri*. Sic recte Ernest. sed idem vagus addit, *aut constitui* e seq. voce *constitutum*. Notissimum sane debet esse, sic *fieri* omitti, quum apud Cic. hæc ellipsis sit frequentatissima. Cf. Tusc. II, 23. Offic. III, 9, 7. Quater *posse* sic legitur. Reliquas VV. DD. conjecturas prætermittimus, quum nullis locus egeat. G.

32. *Inter quasi fatalem*. Interpp. in *inter* hærent, quorumque conjecturas, si quis otio abundabit, apud Davisium videre licebit: qui vel ipse ante *inter*, jejune sane, *ire* poni jubet. Wetzel *inter* pro *in* dici putat, quod licet. Rectius tamen sic h. l. acceptum putabis, ut in his locutionibus: Inter cœnam, viam, initium, etc. Sensus est : Dum obtinet ille ordo, quasi fatalis, immutabilis, continuus ac sempiternus. *Quasi fatalem* autem dixit, fatum, ejusque sævam necessitatem respiciens, quale illud vulgo creditur. G.

33. *Multa improvisa hæc, nec opinata nobis*. *Hæc* omnes Gruteri, Davisii, Oxonn. mei, et forte omnes omnium. Ven. 1494, *hic*, quod Durandus, nimius hujus editionis admirator, recepit. P. Manut. et Lamb. pron. deleront. Sensus est : « Multa illa, quæ quotidie nobis ex improviso et nec opinato accidunt ». G.

34. *Ignorationemque causarum*. In hoc capite legendo, et lecto, in memoriam revocent philosophiæ Veterum amantes locos principes de Ethica Academicorum veterum. Vid. nostri lib. IV, 3, 5, 22; V, 3, de Finibus ; dein Brut. cap. 31; tum de Legg. lib. III, 6. Attamen repetit Cicero, quæ a Platonis libellis noverat. Ciceronem ex Cicerone interpretantes, hæc monemus. In Ethica disciplina veteres Academici paullo recesserant a duce suo Platone. H.

VIII. 1. *In ratione, et in disserendo*. Ernest. pro « in ratione disserendi » dictum putat : quod non verum est. Designari enim his auctor duplicem dialectices partem voluit, cujus altera in concludendi, altera in disserendi arte versabatur. Deinde, si sic ille hæc intelligi voluisset, non repetita præpositione scripsisset. Vide dialecticam ex hac duplici ejus parte accurate descriptam, Fin. III, 22, 72. G.

2. *Quamquam*. Ante *quamquam*, coli loco, rectius maxima distinctione interpunximus. Nam locus sic capi debet : « Quamquam oriretur judicium veritatis a sensibus, tamen idem non esse in sensibus ». Inde perperam egit

esse judicium veritatis in sensibus[3]. Mentem volebant rerum esse judicem[4]; solam censebant idoneam, cui crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset simplex, et uniusmodi, et tale, quale esset. Hanc illi ideam appellabant[5], jam a Platone ita no-
31 minatam; nos recte speciem possumus dicere. Sensus autem omnes hebetes et tardos esse arbitrabantur, nec percipere ullo modo res eas, quæ subjectæ sensibus viderentur; quæ essent[6] aut ita parvæ, ut sub sensum cadere non possent; aut ita mobiles[7] et concitatæ, ut nihil umquam unum[8] esset constans; ne idem quidem[9], quia continenter laberentur et flue-

Lamb. quum ante *oriretur*, adderet *judicium*. G.

3. *Quamquam oriretur a sensibus, tamen non esse judicium veritatis in sensibus.* De Veterum doctrinis circa sensus et notionum originem vide Excurs. II.

4. *Mentem... rerum esse judicem.* Νοῦν τῶν ὄντων εἶναι κριτήν. In proximis, « simplex et unius modi, et tale, quale esset »; ἁπλοῦν καὶ μονοειδὲς καὶ ὂν ὡς ὄν. His autem e regione ponuntur res in sensus cadentes, quæ τὰ πολλὰ et ὄντα καὶ μὴ ὄντα audiunt. Ita multis locis Plato. G.

5. *Hanc illi ideam appellabant.* Gœr. scribit græce ἰδέαν. Græcis, inquit, literis vocem scripsimus, ut oportebat, et ut ante vidit Rath. *Hanc* autem per traductionem ad ἰδέαν accommodatum, ad *simplex* illud, etc. pertinere, recte monuit Ernest.

6. *Quæ essent.* Recte Wetzel pro, « quum hæc essent », ut sæpissime. Vide nos ad Acadd. II, 10, 32. Inaudita contra Hülsem. *quæ* in Cic. esse pro *quia!* Ernest. nempe mon e « quæ essent » ita intelligi posse, ut « quia essent »; quomodo Grut. prob. Davis. conjecerat. G.

7. *Aut ita mobiles.* In Theæteto et Timæo id a Platone pluribus tractatur: atque hac in re, ut Laertius ait, Heracliti sententiam sequebatur, omnia mobilia et fluxa esse profluentis more, censentis. Turn.

8. *Nihil umquam unum.* Hæc verba recte se habent. Græci ἓν οὐδέν. Liv. XLI, 40: « Rhodiis, ut nihil unum, etc. » Tusc. IV, 4, 7: « nullius unius disciplinæ legibus adstrictus ». Brut. 93, 320: « non quivis unus de populo ». G.

9. *Ne idem quidem.* Hæc vix recte se habere videntur. Plerique scripti, in quibus sunt Oxonn. et, præter Dresd. mei omnes, *eidem quidem;* prout etiam editi vett. plerique. Equidem ex iis sum, qui, deleto *quidem*, suadent *et idem. Ne... quidem* vel ideo minus placet quod, qui *inconstans* est, per se non possit esse *idem*. Forte, negatione præcedente, *ne... quidem* pro *nedum* accipiendum est. Tum ferri vulgata recte poterit. G.

rent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem[10] appellabant. Scientiam autem nusquam 32 esse censebant, nisi in animi notionibus[11] atque rationibus: qua de causa definitiones[12] rerum probabant, et has ad omnia, de quibus disceptabatur, adhibebant. Verborum[13] etiam explicatio probabatur, id est[14], qua de causa quæque essent ita nominata; quam etymologiam appellabant. Post argumentis, et

10. *Rerum opinabilem.* Gœrenz dat *rerum opinabilium.* Ita, inquit, multis ante annis ad exemplar meum correxeram. Recte nuper in vulgata offendit etiam Hülsemannus, sed minus recte vitio medetur, quum *partem* in *artem* mutat: licet ita in Nonii editt. legatur. Sæpius quidem auctor *artes opinabiles* dicit: sed si idem h. l. voluisset, non addidisset *omnem.* Quænam deinde est *ars rerum?* Si autem *artem* malis, tum quoque *opinabilium* valebit. Contra vero *pars rerum opinabilium* ea est, quæ in mera opinatione consistit. De hac autem ad verba dicendi breviloquentia vid. Wopk. Lectt. Tull. pag. 91 sq. — *Opinabilem.* Quod enim rationis est expers, quodque in sensu consistit, *opinabile* est, auctore Platone; *opinionem* enim creat, non *firmam scientiam.* Turn.

11. *Notionibus atque rationibus.* Sic necessario edendum erat, quum vulgatum *motionibus* ferri h. l. nullo modo possit. Eo vulgata defendebatur quod *motiones*, ut græce κινήσεις, de animi motionibus dici posse certissimum est, nec necesse videbatur addere *animi* post *notionibus* sicut post *motionibus.* Sed *motiones* nusquam simpliciter de *notionibus* dici, sed ubique etiam *sensa et affectiones* animi comprehendi, quæ prorsus huc nihil pertinent, certum est. (Nam locus ille de Aristotelis ἐντελεχείᾳ, quam Cicer. *continuatam motionem* vocat, Tuscul. I, 10, 22, male prorsus huc trahetur. Conf. Tenn. *Gesch. d. Philosoph.* tom. III, pag. 183). Denique *notiones atque rationes* h. l. per ἓν διὰ δυοῖν *notiones rationibus suis firmatas* notant. Atque ita hæc cum Platonis præceptis de ista re plene conveniunt, quem vid. in Menone, 385. Quæ si recte ponderaris, nulla penitus dubitatio relinquetur, quin recte sic Lamb. e MSS correxerit. Cf. ad hæc Acadd. II, 7, 22. G. — Hanc correctionem probat J. V. L. quamvis in textum non receperit.

12. *Definitiones.* Semper enim Platoni in omni institutione proficisci placet a definitione. Turn.

13. *Verb. et. explicatio...etymol.* Rem ipsam attigit cel. Adelung in instrumento majori grammaticæ Teutonicæ (*Lehrg. d. D. Spr.*); vol. I, pag. 179, et Fischer ad Cratyl. Plat. H.

14. *Id est.* Delevit hæc Hüls. P. Fabri auctoritate. Sed hic *id est* idem valet ac *quod nihil aliud est, quam.* Cf. Tusc. III, 13, 27. Orat. 34, 121. Atque ita paucis post: « omnis dialecticæ disciplina, id est, orationis ratione conclusæ ». Nulla igitur causa est, cur a codicum haud dubie omnium lectione discedas. G.

quasi rerum notis, ducibus utebantur[15] ad probandum[16], et ad concludendum id, quod explanari volebant: in qua[17] tradebatur omnis dialecticæ[18] disciplina, id est, orationis ratione[19] conclusæ. Huic quasi ex altera parte[20], oratoria vis dicendi[21] adhibebatur, explicatrix orationis perpetuæ ad persuadendum accommodatæ[22].

33 IX. Hæc erat illis prima[1] a Platone tradita: cujus quas acceperim disputationes, si vultis, exponam.—

15. *Quasi rerum notis, ducibus utebantur.* Hæc quum vulgo post *ducibus* interpungerentur, « et quasi rer. notis ducibus », vel pravam, vel nullam sententiam præbebant. Nostra ratione plana sunt omnia. « Argumenta, quasi rerum notæ » dicuntur. Eodem modo pro Cœl. 9, 22. Fin. V, 25, 74. Orat. 14, 46. *Innotescunt* autem *res*, *argumentorum* probabilitate ac veritate. Nihil igitur est, ut aut cum Lambin. aliisque *ducibus* deleas, aut cum Hüls. ex Bentl. conjectura, *nodis*, scribas. *Argumenta* enim potius *rerum enodationes* dici merentur. Neque loca illa Somn. Scip. 5, et Orat. 66, 222, recte huc trahuntur. G.

16. *Ad probandum.* In probationibus et conclusionibus, quas ratiocinationes vocant. Turn.

17. *In qua.* Ern. qui cum aliis in his offendit, malebat *in quo*, quum *qua* non haberet, quo referretur, idque recepit Wetzel. Sed facile erat videre ad *qua* cogitandum ex præcedd. esse « parte, quam rerum opinabilium appellabant ». G.

18. *Dialecticæ disciplina.* Non dubito fore, quos interpositus genitivis, *dialecticæ ..... conclusæ*, casus regens *disciplina* offendat. Sed auctor verba *dialecticæ disciplina* disjuncta noluit. Inest autem in verbis additis *dialecticæ* definitio, quam toties Cicero per *id est* adjungere amat. G.

19. *Ratione.* Nam συλλογισμὸν Stoici λόγον vocare solebant, et eorum more alii; dialectica autem posita est in probationibus et conclusionibus: illæ argumenta habent, hæ argumenta in ratiocinationes includunt. Turn.

20. *Quasi ex altera parte.* Vertit sic verbum Aristotelis ἀντίστροφος, statim ab initio rhetorices, non ut Ern. et Gœrenz putant, ἐκ παραλλήλου. J. V. L. — Metaphora a libra ducta est. Altera lanx alteri lanci tum respondere dicitur, quum, ponderibus impositis neutra alteri propendeat, et paria momenta sint utriusque. P. Fab.

21. *Oratoria vis dicendi.* Ob soni vim *oratoria* præmissum est, quod nisi esset, nemo in solita verborum serie, *vis dicendi oratoria*, offendisset. G.

22. *Accommodatæ.* Apte defendit Wetzel *accommodatæ*, cujus loco Ernest. adverbium poni malebat. Oratoriam autem artem vett. Academici, maxime Aristoteles, dialecticæ *vicinam atque finitimam* ponebant. Cf. Orat. 32, init. et sæpius. G.

IX. 1. *Hæc erat illis prima... e. disputationes.* Sc. *pars philosophiæ*, ut statim ante *in qua*. Viderit ergo Ernest. qui, « Hæc erant illa prima »,

Nos vero volumus, inquam, ut pro Attico etiam respondeam. — Et recte, inquit, respondes[2]. Præclare enim explicatur peripateticorum, et academiæ veteris auctoritas[3]. Aristoteles[4] primus species, quas paullo ante dixi, labefactavit: quas mirifice Plato erat amplexatus[5]; ut in his quiddam divinum esse[6] diceret. Theophrastus[7] autem, vir et oratione suavis, et ita moratus[8], ut præ se probitatem quamdam et ingenuitatem ferret[9], vehementius etiam fregit quodam

suadet, et *elementa philosophiæ* intelligi jubet. Nam etiam *illis* verissimum, et, ut Wetzel dudum vidit, ad Academicos Peripateticosque referendum. Eodem prorsus modo § 38, *illi* dicuntur. Hülsem. pro *illis*, *Aristoteli* edidit. Perperam. Nam quæ de Aristotele, Theophr. et Strabone, etc. adduntur, ea ad verba *cujus disputationes* spectant. *Cujus* autem, sc. «partis disputt.» sunt, «quæ de ea parte, a Platone primum tradita, ab his disputata sunt». Hinc intelliges, quam sinistre Davis. *mutationes* vel *immutat.* conjecerit. *Quas acceperim*, intelliges, *ab Antiocho*. G.

2. *Et recte, inquit, respondes.* Ne *Atticum* ad *inquit* intelligas: sunt ista verba Varronis, qui hæc Antiochi, a se proposita, laudat. G.

3. *Auctoritas.* Quarum rerum auctores fuerint, et quæ eorum fuerit sententia. Turn.

4. *Aristoteles.* In his quæ inscripsit μετὰ τὰ φυσικά. Plato autem species induxerat ad disputationum definitiones, ut ait Aristoteles. Itaque ea de causa a Cicerone idea dialecticæ hic attributa est. Turn. — De Aristotelis autem rationibus, quibus Platonis ideæ labefactantur, cf. quæ accurate disseruit Tennemann. *Gesch. der Philosoph.* tom. IV, pag. 48-53. G.

5. *Amplexatus.* Oxon. E. Basil. aliique *amplexus*. Prave, quum hæc frequentativa, quæ Cic. amat, in scriptis ubique obliterentur. G.

6. *Divinum esse.* Bas. *divinum inesse;* quod hoc loco non probo. Nam bene distinguenda sunt, *inesse in aliquo*, et *esse in aliquo*. Posterius dici non potest, nisi *esse* pro «locum habere» accipitur; quod secus est in priori forma. Sæpius autem Plato, ideas θείας εἶναι οὐσίας. G.

7. *Theophrastus.* Qui ante Tyrtamus dicebatur; deinde de orationis divinitate Theophrastus vocatus est. Quod tamen Senecæ non placet, Nat. Quæst. lib. VI, 13: «In hac sententia licet ponas Aristotelem, et Theophrastum ejus discipulum, non ut Græcis visum est divini, tamen et dulcis eloquii virum, et nitidi sine labore». Turn.

8. *Oratione suavis, et ita moratus.* *Moratus* præbent mei et Oxonn. *moderatus* contra, quod habent Turneb. P. Manut. Lamb. ubique fere ex illo corruptum legitur. Placet *ita* in *vita* mutatum, quum fere semper auctor, non simpliciter *moratus*, sed «bene moratus». Nihil tamen mutatum volumus. Cf. Tusc. II, 4, 11. G.

9. *Ferret.* Gœr. defendit suam lectionem *ferat*, quippe quo, inquit,

modo auctoritatem veteris disciplinæ[10]: spoliavit enim virtutem suo decore, imbecillamque reddidit, quod
34 negavit in ea sola positum esse, beate vivere. Nam Strato[11], ejus auditor, quamquam fuit acri ingenio, tamen ab ea disciplina omnino semovendus est: qui quum maxime necessariam partem philosophiæ, quæ posita est in virtute et in moribus[12], reliquisset, totumque se ad investigationem naturæ contulisset, in ea ipsa plurimum discedit a suis[13]. Speusippus[14] autem, et Xenocrates, qui primi Platonis rationem

appareat, auctorem non de homine, sed de scriptore (qui, quousque legitur, vivit) loqui. Hinc etiam Ernest. vituperandus est, qui ex ingenio *ferret* correxit.

10. *Fregit quodam modo auct. veteris disciplinæ*. Plura de hac re vide Fin. V, 5, 12; coll. Tusc. V, 9, 24, etc. Ceterum non probandi sunt P. Manut. et Lamb. qui « veteris disc. auct. » ordine mutato, ediderunt. Certa enim Latinis Græcisque lex est, ut casus recti tum modo præmittantur, si in iis sententiæ vis insit; quæ h. l. in regente quærenda est. G. — *Fregit*. Nimirum (obs. Turn.) in libro de Vita beata, ut Cicero ait Tuscul. lib. V, et in Callisthene, in quo sententiam refert: « vitam regit fortuna, non sapientia »; τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία κρατεῖ. H.

11. *Nam Strato*. Recte *Nam;* quod inconsulte invitisque et scriptis et editis vett. Hüls. in *Jam* mutavit. *Strato* autem hic *Lampsacenus* cognomine *Physicus*, probe dignoscendus est a *Stratone Ceo*, qui, idem Peripateticus, serius floruit. G. — Sen. Nat. Quæst. VI, 13: « Straton ex eadem schola est, qui hanc partem philosophiæ maxime coluit, et rerum naturæ inquisitor fuit ». Turn.

12. *Max. n. p. phil.... quæ... in virt. et in m.* Nam virtutis causa philosophia quæsita est (vide Tusc. I, 1, et lib. III, § 47, fin.); atque hæc quidem quæstio (de honestate vitæ) communis est omnium philosophorum: quis enim est, qui nullis officii præceptis tradendis philosophum se audeat dicere? (de Offic. lib. I, 2); coll. de Finib. lib. II, 13. Conf. Tusc. IV, 15, init. et Kantii *Krit. d. r. Vern.* pag. 868, ed. sec. *Krit. d. pr. Vern.* lib. II, sect. 2. Eichhorn. Biblioth. liter. bibl. *Th. VI*, pag. 57. H.

13. *Discedit a suis*. Vulgatur *dissedit*, quod idem in pluribus codd. reperitur. Sed nos jure sequimur alteram lectionem, quam tres scripti nostri firmant, veraque constructionis ratio probat. Jungenda enim sunt, « Nam Strato... semovendus est: qui ... discedit ». Quod quum et scribæ et VV. DD. non viderent, sic mutarunt. Accedit quod hoc verbum sæpe cum « discendit, dissentit, dissedit » permutatur: et habent etiam h. l. edd. vett. quidam, in quibus est Ven. 1494, *dissentit*. De *Stratonis* hujus in Physicis a reliquis, ante hunc, discrepantia, vid. Tennem. *Gesch. d. Philos.* tom. III, p. 337 seqq. G.

14. *Speusippus*. De Speusippo le-

auctoritatemque susceperant; et post hos[15] Polemo, et Crates, unaque Crantor[16], in Academia congregati[17], diligenter ea, quæ a superioribus acceperant, tuebantur[18]. Jam Polemonem audiverant assidue Zeno[19] et Arcesilas. Sed Zeno quum Arcesilam anteiret ætate, valdeque subtiliter dissereret[20], et peracute moveretur[21], corrigere conatus est disciplinam. Eam

gendus Sext. Emp. adv. Mat. lib. VII (seu adv. Logicos, lib. I), sect. 145, p. m. 401 ed. Fabric.

15. *Et post hos.* Oxonn. E. V. et tres mei probatiores, *eos.* Librarii ubique pro *hos*, *eos*, etc. indifferenter scribunt. G.

16. *Polemo... Crates... Crantor.* Polemo olim juvenis, ebrius ingressus in ludum Xenocratis de continentia cum vi disserentis, tam percitus est mente, ut sua studia addiceret Xenocratis auctoritati. Vid. Horat. Sat. lib. II, 3, 254; Wiel. not. et Diog. Laert. in vita Xenocrat. Valer. Max. VI, 9, 1, ed. Kappii.—De Crate hoc legimus, Thebanum fuisse sapientem, qui omnem suam pecuniam in mare abjecit, ut eo liberius philosopharetur. Sed variant Laert. et Suid. — Crantor autem notus est ex Horat. Epp. lib. I, 24, ubi vide intt. Lamb. et Wiel. H.

17. *In Academia congregati.* Hæc ita me offendunt, ut ea supposita putem. Nam illud *unaque*, quod præcedit, ea plane otiosa facit. Addita igitur ab eo judico, qui, hos eosdem Academicos esse, docere vellet: id autem Ciceronem noluisse in tantis nominibus certissimum est. G.

18. *Diligenter ea... tuebantur.* Ita cum Ernest. aliisque e nostris. Uff. fragm. cod. et Dresd. Nec aliter codd. Oxonn. sic certe, sine diversitate lectionis, ista præbet editio. Eadem quoque ratione editi vett. plerique omnes. Bas. cum aliis, « ea... utebantur ». At Davis. ex Pall. duobus, totidemque Lambinianis suoque Paris. præeuntibus Victor. Turn. et Gruter. « eis... utebantur »; quem sequutus est Hülsem. Sed primo facile via corruptionis cernitur: mutato enim ex scribæ incuria verbo, pronomen deinde huic accommodatum est. Tum nimis vagus sensus est, quem h. l. v. *uti* præbet: nam vel Zeno et Arcesilas « diligenter usi superioribus » dici possunt, si in his, quæ secus statuebant, illos diligenter et accurate refutarunt. Denique minus bene *uti* et *corrigere* opponuntur. Contra vero *tueri* est, non permittere, ut quid mutetur. G.

19. *Zeno.* De Zenone Cittieo, auditore Xenocratis, auctore Stoicæ disciplinæ, vid. Diog. Laert. lib. VII, sect. 5, p. 271; Menag. (Bruck. Hist. crit. Philos. t. I, p. 894); Sext. Emp. adv. Phys. I, p. 615 ed. Fabric. H.

20. *Dissereret.* Quod Bentl. pro *dissereret*, *definiret* malit, in eo quidem verissime monet, Zenonis laudem « in definiendo » cerni: at nos etiam « subtiliter disserentem » non nisi in subtiliter definiendo quærendum esse statuimus. G.

21. *Et peracute moveretur.* Conf. Legg. II, 18, 46; Acadd. II, 15, 47.

quoque, si videtur, correctionem explicabo, sicut solebat Antiochus. — Mihi vero, inquam, videtur: quod vides idem significare Pomponium.

X. Zeno igitur nullo modo is erat, qui, ut Theophrastus, nervos virtutis incideret[1]; sed contra, qui omnia, quæ[2] ad beatam vitam pertinerent, in una virtute poneret, nec quidquam aliud numeraret in bonis; idque appellaret honestum, quod esset sim-
36 plex[3] quoddam, et solum, et unum bonum. Cetera autem[4] etsi nec bona, nec mala essent, tamen alia secundum naturam dicebat, alia naturæ esse contraria. Iis ipsis alia interjecta, et media numerabat.

Aperte ex Græcis ortum traxit hæc dicendi ratio, apud quos κινεῖσθαι, maxime apud Platonem, sæpe simpliciter de animo, quum sentiente, tum cogitante, ponitur. G.

X. 1. *Nervos virtutis incideret.* Gœr. dat *inciderit.* Hoc, inquit, restituimus, quod Davisius et Ernest. in *incideret* mutarunt. Sed est illud optativi loco, et inde necessario restituendum: quod secus est in *poneret*, cujus causa illi id corrigendum putaverunt. Neque aliter scripti nostri et reliquorum. Conf. Catilin. I, 9, 22. Quod autem Lamb. se in vetere cod. aliquo *incideret* reperisse dicit, si verum est, id a scribis mutari potuit. Possit aliquis *virtuti* conjicere, ut est in Bas. sed perperam et contra auctoris, hac in dicendi forma, usum. Cf. Philipp. XII, 3, 8.

2. *Qui omnia, quæ.* Pro *quæ* plures scripti, in quibus tres Oxonn. et Bas. *quæque:* quod Turneb. pro *quæcumque* dictum putat. Sed h. l. neutrum horum convenit. Zeno enim, qui sola in virtute vitam beatam poni statuebat, non poterat dici, « omnia, quæcumque » ad beatam vitam pertinerent, in una virtute posuisse. Si enim ad « omnia, quæcumque » addideris (πάντα ἕκαστα), non poteris non, quin rerum multitudinem cogites, quam ipsum Zenonis decretum rejicit. Recte igitur VV. DD. istud *que* respuerunt. Sensus est, « in una virtute Zenonem posuisse omnia ». G.

3. *Simplex.* Non duplex, aut multiplex, sed unius modi: non enim ex multis conflatum esse putabat; sed in una virtute positum. Turn.

4. *Cetera autem.* Bas. ignorat *autem.* Non male. Sed sæpe excidit post *a* hæc particula: maxime si *contra* notat, ut h. l. Nec movere quemquam debet, quod *autem* quater h. l. ponitur; ita enim auctor sæpissime. Conf. Heusingg. ad Offic. I, 8, 1. *Cetera autem* sunt, quæ non in virtutibus, aut vitiis numerantur: ea quidem Zeno partim κατὰ φύσιν esse, partim παρὰ φύσιν, dicebat: quæ post hunc demum communi ἀδιαφόρων nomine insignita sunt. Ad hæc et seqq. conf. Diog. VII, 101-110. Sed bene dignoscendum apud hunc, quæ Zenoni, quæque aliis Stoicis debentur. G. — Vide Excurs. III.

Quæ autem secundum naturam essent, ea sumenda[5],
et quadam æstimatione dignanda docebat[6]; contra-
que contraria: neutra autem in mediis relinquebat;
in quibus ponebat nihil omnino esse momenti[7]. Sed 37
quæ essent sumenda, ex iis alia pluris esse æsti-
manda, alia minoris. Quæ pluris, ea præposita appel-
labat; rejecta[8] autem, quæ minoris. Atque ut hæc
non tam rebus[9], quam vocabulis commutaverat; sic
inter recte factum[10] atque peccatum, officium[11] et
contra officium, media locabat quædam[12]: recte facta

5. *Sumenda.* Non expetenda, ut superiores, sed sumenda putabat. Turn.

6. *Dignanda docebat.* In verbo *dignanda* hæsit Ern. et *eligenda* corrigi jubet, quia *sumenda* jam præcesserit. At Rath. ejus loco *digna* suadet, ut in Alteri ed. legitur. Quod equidem ipse probo, quum ubique sic auctor, Fin. III, 6, 20; 12, 41; 13, 44; 15, 45, etc. Attamen quum verbum *dignari* probum, auctorique usitatum (qui sæpius *laude, honore, dignari*), græcumque ἀξίαν ἔχοντα expressum sit, nihil video, cur contra omnes scriptos h. l. quidquam mutandum sit. G.

7. *In quibus ponebat nihil omnino esse momenti.* Delent *esse* Hülsem. Ern. Wetz. quippe quod non Ciceronianum esse constet. Sed sæpe sic occurrit. Conf. pro Cœl. 7, 15; Nat. Deor. II, 12, 32. Et supra 5, 19: « Corporis autem alia ponebant esse in toto, etc. » Rem ipsam optime illustrat Fin. IV, 25, 71. G.

8. *Præposita ... rejecta.* Cf. Fin. IV, 26, 72; ibid. III, 4, 15. Ceterum voces *rejecta*, vel *rejectanea*, non spissius cogitandæ sunt, ne in errorem cum Lipsio et Davisio incidas, et vitium quæras, ubi nullum est. Non enim hic capit, quomodo auctor *sumenda*, quæ minoris æstimanda sint, *rejecta* dicere possit; quum *sumenda* et *rejecta* prorsus secum pugnent; atque ita pro *sumenda*, *media* legi jubet. In quo se nimis sequacem Gedickius præbuit in Cicer. Hist. Philos. p. 277. G.

9. *Non tam rebus.* Quia commoda quam bona, incommoda quam mala appellare malebat. Turn.

10. *Inter recte factum.* Κατόρθωμα, quod officium perfectum est. Turn.

11. *Officium.* Quæ inchoata quædam est virtutis actio, et commune officium, ut depositum reddere. Cic. in Offic. lib. I, 3: « Perfectum officium rectum, opinor, vocemus, quod Græci κατόρθωμα; hoc autem commune καθῆκον vocant: atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant: medium autem officium id esse dicant, quod cur factum sit ratio probabilis reddi possit ». Sunt autem perfecta officia sapientis, reliqua aliorum. Vid. et lib. III de Fin. Turn.

12. *Media locabat quædam.* Walk. *quædam* vel delendum suadet, vel in *quidem* mutandum, probante idem Davisio. Perperam. Nam ista *media*,

sola in bonis actionibus ponens; prave, id est, peccata, in malis. Officia autem et servata, prætermissa-
38 que, media putabat[13], ut dixi. Quumque superiores[14] non omnem virtutem in ratione esse dicerent, sed quasdam virtutes natura, aut more[15] perfectas; hic omnes in ratione[16] ponebat: quumque illi ea genera virtutum[17], quæ supra dixi, sejungi posse[18] arbitrarentur; hic nec id ullo modo fieri posse disserebat[19]: nec virtutis usum modo, ut superiores, sed ipsum habitum per se esse præclarum; nec tamen virtutem

scil. *officia*, non proprie inter *recte factum* et peccatum ponuntur, atque ita *quædam* additum est. G.

13. *Officia ..... media putabat.* Lamb. *ponebat* suadet. Sed qui, quæso, Cicero scripserit, *ponens... ponebat!* Immo *putare* haud ita raro sic dicitur, ut *statuere* valeat, velut in illo: « in propinqua parte amicitiæ puto, etc. » G.—Vide Excurs. IV.

14. *Superiores*. Id est, Academici et Peripatt. — Fr. cod. *superi*. G.

15. *Natura, aut more*. Quæ enim natura perfectæ sunt res, ab illis in ratione ponuntur; ut docilitas, memoria: quæ more, fere in ea animi parte, quæ per se rationis est expers, perturbationibusque agitatur, quamquam rationi paret. Turn.

16. *In ratione*. Nam Zenoni *virtus* nihil aliud est, quam *perfecta ratio*, vel *constans* et *perpetua ratio* vitæ. Has definitiones a Stoicis, lib. I Legum Cicero mutuatus est. Quinetiam Zeno *perturbationes* in *opinione* et *judicio* posuit. Turn.

17. *Ea genera virtutum*. Sic vulgo. Recte: quamquam, præter Bas. ex quo expresse *virtutis* enotatur, idem, sed a secunda manu, refert frag. cod. et Cratandria. *Genera* enim *virtutum* h. l. intelliguntur, quæ *natura* et *more perfectæ* sunt, quasi virtutum familiæ, ut statim præcessit. Cf. etiam supra 5, 19, 20, et 6, 22. G.

18. *Sejungi posse*. Est, « non necessario junctas omnes in uno eodemque homine cogitandas esse », ut recte vidit Ernest. Zeno enim negabat, virtute quemquam esse præditum, nisi qui virtutibus prorsus omnibus insigniatur. G. — Neque enim quisquam Academicorum, et Peripateticorum, ut censet Cicero, affirmabit: qui virtutem unam haberet, eum omnes habere. Id adeo vitæ docent exempla. Nam fere *prudentia* timidior est, et *philosophi* libentius in lectulo, quam prælio moriuntur; multosque abstinentissimos et innocentissimos videmus, qui, ut injuriam non faciunt, ita quum infertur aliis, minime propulsant. Stoici non putant sejungi posse. Cf. Arist. de Animo, II, 1-3. Turn.

19. *Hic nec id ullo modo fieri posse disserebat*. Hæc ab Aldinis et Lambinianis aliquot edd. absunt, etiam in Vin. et Bas. non comparent. Sed, ea excidisse, contexta clare docent. Omissum scilic. *hic*, ut fragm. cod. docet, effecit, ut scribæ oculi ad alterum *nec* aberrarent. G.

cuiquam adesse, quin ea semper uteretur[20]. Quumque perturbationem[21] animi illi ex homine non tollerent, naturaque et condolescere[22], et concupiscere, et extimescere, et efferri lætitia dicerent, sed eam contraherent[23], in angustumque deducerent; hic omnibus his quasi morbis[24] voluit carere sapientem. Quumque eas perturbationes[25] antiqui[26] naturales esse dicerent, et rationis expertes[27], aliaque in parte animi cupiditatem, alia rationem[28] collocarent, ne 39

20. *Nec virtutis usum modo..... sed... uteretur*. Gœrenz delet *modo*. Hoc abest, inquit, a frag. codic. neque in pluribus vetus editis, v. c. Ven. 1494, utraque Ascens. et Crat. legitur. Recte. Sic enim haud raro *nec* vel *neque*... *sed* sibi respondent, ut *nec tam... quam*, notent. Cf. Catil. II, 13, 29. Partic. *modo* autem, post *nec* et *non*, a scribis addi solere, in vulgus notum est. Sensus est: « Neque tam in virtute exercenda præclari quid inesse, quam in ipso habitu, ex ejus usu parto, sine omni emolumentorum respectu: neque certe virtutem in quoquam reperiri, nisi in quo semper et ubique operetur ». *Per se*, quod sequitur, idem est, quod *propter se*. Conf. Off. II, 12, 6; et *tamen* pro *certe*, *saltem* ponitur; vide nos ad Legg. I, 2, 10.

21. *Perturbationem*. Debet plurium numerus *perturbationes* rejici, quem Walk. et Davis. commendant: nam sæpius hæc vox sensu collectivo ponitur. Tusc. III, 6, 13, etc. G.

22. *Et condolescere*. Non audiendus Davis. qui, *et* deleta, *eum condol.* conjicit. Sæpe enim pron. demonstr. sic omittitur. Cf. Wopk. p. 53. Recte autem contra Lambin. defendunt paullo post Davis. et Ern. *deducere*, *adducere* suadentem; etsi quidem Davis. exemplis minus idoneis. Adde N. D. II, 64, 164. G. — *Condolescere*. Quatuor attingit generales perturbationes: ægritudinem, cupiditatem, metum, lætitiam. Turn.

23. *Sed eam contraherent*. Gœrenz dat *ea*. Contra, inquit, scriptos editosque libros omnes, suasu Walk. et Davisii, Ern. *eam* correxit. Perperam. Neutrum pronominis refertur ad ea, quæ in perturbatione insunt; idque magis, quum quatuor hujus genera memorentur. Plura ejusdem structuræ loca collegimus ad Legg. III, 8, 19. — *Contraherent*. Nam in perturbationum mediocritate positam esse virtutem censent. Turn.

24. *Quasi morbis*. Vere Zeno perturbationes ἀῤῥωστήματα et νόσους vocavit. Igitur addidit auctor *quasi* modo latinitatis causa, quum durius fuisset, si *morbis* simpliciter dixisset. G.

25. *Eas perturbationes*. Ven. 1494, *eas* ignorat, quod probo; nisi *has* malis, i. e. quas dixi Zenonem a sapiente alienas voluisse. G.

26. *Antiqui*. Academici et Peripatetici, quos etiam de Legg. lib. I, veteres appellat. Turn.

27. *Rationis expertes*. Eas enim collocant in ea animi parte, quæ ratione vacat. Turn.

28. *Alia rationem*. Lamb. *in alia*.

his quidem assentiebatur : nam et perturbationes, voluntarias esse putabat, opinionisque judicio[29] suscipi, et omnium perturbationum arbitrabatur esse matrem[30], immoderatam quamdam intemperantiam. Hæc fere de moribus.

XI. De naturis autem sic sentiebat, primum, ut quatuor initiis rerum illis quintam hanc naturam, ex qua superiores sensus et mentem effici rebantur, non adhiberet[1]. Statuebat enim ignem esse ipsam naturam, quæ quidque gigneret, et mentem, atque sensus[2]. Discrepabat etiam ab iisdem, quod nullo

Per se quidem optime : nam ubique Cicer. præpos. repetit. Sed datur exceptio. Haud enim ille observasse videtur, postposita priore præpositione, omitti alteram auctori solere. Nobis certe, in istam rem attentis, exemplum, quo alia edoceremur, nullum innotuit. G.

29. *Opinionisque judicio.* Olim edebatur *opinionesque :* sed recte jam Pet. Faber suadet, quod præter Palat. utrumque scripti mei omnes, et cum Turn. plures edd. vett. præbent. Cf. Tusc. IV, 38, 81. Orat. I, 23, 108, atque adeo Tusc. V, 26, 73, *judicium ferarum* dicitur. G. — *Opin. judic.* Merito a Galeno (de decretis Hippocr. et Plat.) Stoicorum de perturbationibus sententia exagitatur, et vexatur, existimantium eas rationis et judicii esse, quum *motiones* quædam sint partis *a ratione aversæ.* Sed et eam opinionem ante Galenum Posidonius Stoicus damnarat, et Platonis auctoritatem approbarat. H.

30. *Esse matrem.* Gœr. dat *matrem esse.* Sic, inquit, scripti mei omnes editique plures, idemque præbet sine ulla varietate edit. Oxon. nec aliter magna edd. vett. caterva. G.

XI. 1. *Ut quatuor initiis rerum illis quintam hanc nat.: . . non adhiberet.* Præp. *in*, quam plerique codd. et edd. vett. post *ut* addunt, abest ab Ursini scripto, ab Ascens. utraque et Crat. recte deleta per Ern. jubente Davisio. Nam constructio *alicui aliquid adhibere* proba est, et satis frequens, quum contra *in* h. l. turbet. Sed non pro *addere* h. l. ponitur, quum absolute dicatur pro *adhibere in auxilium*, *in consilium*, ut sæpe. Off. III, 20, 3, etc. *Hanc* opponitur *illis*, quippe quod ad propius referatur. Loquitur enim Cicer. de quinto Aristotelis elemento; vid. supra 7, 26. *Superiores* igitur soli h. l. debent esse Peripatetici. G.

2. *Et mentem atque sensus.* Ponitur *et* pro *adeo*, ut locis pæne innumeris. G. — *Mentem atque sensus.* Mens enim, sensus, animus, Stoicis *spiritus* est *calidus*, qui refrigeratione in animum commutatur, concepta quadam acie et firmitate. Plutarchus, τὴν ψυχὴν, inquit, οἱ Στωϊκοὶ πνεῦμα θερμὸν ἔλεγον· et alibi, γίνεσθαι μὲν γάρ φησι τὴν ψυχὴν, ὅταν τὸ βρέφος ἀποτεχθῇ, καθάπερ στομώσει, τῇ περιψύξει τοῦ πνεύματος μεταβαλόντος. Turn.

modo arbitrabatur quidquam effici posse ab ea[3], quæ expers esset corporis[4]; cujus generis Xenocrates[5] et superiores etiam animum esse dixerunt[6]: nec vero, aut quod efficeret aliquid, aut quod efficeretur, posse esse non corpus.

Plurima autem in illa tertia philosophiæ parte mu- 40
tavit. In qua primum de sensibus ipsis quædam dixit nova[7]; quos junctos[8] esse censuit a quadam[9] quasi

3. *Distrepabat etiam ab iisdem, quod nullo modo arbitrabatur quidquam effici posse ab ea*, etc. Hæc ad disputationem de divina natura referuntur. Hinc illa dei a Zenone definitio, quem ubique Stoici *naturæ* nomine comprehendunt. Nat. D. II, 22, 57; coll. Laert. VII, 156. Plut. de Philoss. decrr. I, cap. 7. G.

4. *Ab ea quæ expers esset corporis.* Scil. natura. Aliis natura, quæ vis est efficiens, corpore vacat, Zenoni corporata est, ignis. Proinde et animus, qui ex ea gignitur; nec solum natura, sed qualitates etiam omnes illis corporatæ sunt, exstatque in Stoicos hac de re libellus Galeno adscriptus; et hi ab Alexandro graviter oppugnantur. Quo autem processerint eorum nugæ, ex Plutarcho discimus. H.

5. *Xenocrates.* Xenocratem præ ceteris Academicorum vett. immaterialitatem, quam schola vocat, animi docuisse, testatur auctor Acadd. II, 39, 124. Coll. Tusc. I, 10, 19. Hæc haud dubie ille in libris περὶ ψυχῆς, quos binos scripsit, Laert. IV, 23. G.

6. *Dixerunt.* Gœrenz dat *dixerant.* Sic, inquit, tres, præter Uffenb. mei, Oxonn. E. V. et Vin. estque hoc unice verum. G.

7. *Quædam dixit nova.* Non sentire licet cum Ernest. qui *nove* malit. *Nove dicere* est rem satis notam nova ratione dicere. Quod h. l. auctoris mens est minime. His enim in rebus vere discedit Zeno a superioribus. G. — In sensibus judicium veri veteres esse nolebant, sed in mente: quum Zeno judicium veri in eorum comprehensionibus posuerit. Turn.

8. *Quos junctos.* Gœrenz dat *quos cunctos.* Ita, inquit, conjecit Ernest. verissime: pro vulgata *junctos*. Reliqui, ut Guiet. qui, *inustos;* Davis. qui *ictos* aut *punctos*, quod Hülsemannus recepit, ad loci contexta Zenonisque sententiam male consone suadent. Zeno enim *sensuum* voce maxime *sensationes*, περιστάσεις, προσηγορίας, intelligebat: quippe qui *quinque sensus* in totidem animi partibus poneret. Plut. decreta Philoss. IV, 4. Jam auctor hoc commune omnibus sensibus, ex Zenonis mente, dicit, quod per visum extrinsecus oblatum, quo quasi impulsio fiat, exsistant. G.—Qui *junctos* legunt, interpretantur *constantes ex*, cum Turn. qui ita exponit: actio sentiendi, quam etiam sensum Stoici dicunt, ex quadam impulsione visorum constat et componitur, auctore Zenone. Alibi Cic. dicit: « junctum ex multis partibus ».

9. *A quadam.* Quidam scripti pro *a* ponunt *e*, in quibus etiam Dresd. et Bas. sed pervagato hac in forma vitio.

impulsione oblata extrinsecus : quam ille φαντασίαν, nos visum[10] appellemus licet; et teneamus hoc verbum quidem : erit enim utendum in reliquo sermone sæpius. Sed ad hæc, quæ visa sunt, et quasi accepta sensibus[11], assensionem adjungit animorum :
41 quam esse vult in nobis positam[12], et voluntariam. Visis non omnibus adjungebat fidem, sed iis solum, quæ propriam quamdam haberent declarationem earum rerum, quæ viderentur[13]; id autem visum, quum ipsum per se cerneretur, comprehensibile[14]. Feretis hæc? — Nos vero, inquit[15]. Quonam enim modo[16] καταληπτὸν diceres? — Sed, quum acceptum jam et approbatum esset, comprehensionem appellabat, similem iis rebus, quæ manu prenderentur[17]; ex quo

A vero causam, per quam quid fiat, notat. G.

10. *Visum.* Hoc nomen imposuit ab acerrimo sensu oculorum: hujus autem visi et comprehensionis Veteres non meminerant. Turn. — J. V. L. vertit *objet.*

11. *Accepta sensibus.* Præbent E. et Bas. *accepta a sensibus :* sed ablat. simplex præferendus; nam *sensibus*, pro *sensuum ope*, ut paullo inferius, *sensu comprehensum*, dicitur. G.

12. *In nobis positam.* Veteres enim nonnulli, ut Cicero docet in libro de Fato, censuerant assensiones vi et necessitate fieri. Turn.

13. *Quæ propriam... quæ viderentur.* Int. Gœr. « Quæ notis certis sensibus se offerrent, clareque distingui possent ». *Viderentur* porro accommodate ad *visum*, quod sequitur, dictum est; ut in his Zenonis definitio ad verbum expressa putari debeat. G.

14. *Comprehensibile. Feretis hæc?... diceres? Sed.* In multis scriptis *comprehendibile* legitur; quod æque probum est, si a *comprehendere* derivaris. *Comprehensibilis* autem a *comprehensare*, ut *offensibilis* ab *offensare*. *Hæc* denique Bentl. in *hoc* quum mutari vellet, et nimis sequacem in ea re Durandum haberet; non intellectum est, *hæc*, ut ταῦτα, pro *talia*, *tale hoc est*, dici. G. — Vide Excursum V.

15. *Inquit.* Ante *inquit* videtur *Atticus* excidisse; idque vel inde probabilitatem aliquam habet, quod fr. cod. *vera inquit* præbet. Sed potest etiam *inquam* scribi, quum hæ verbi personæ ex compendio sæpe permutentur. Hinc corrigere noluimus, licet quidem vulgata ferri non posset. G.

16. *Quonam..... modo.* Sic pro *quonam alio modo*, dicitur. Nam omnino tenendum, has particulas varia ellipsi poni; v. c. Divv. V, epist. 20, et Parad. IV, 15. G.

17. *Similem iis ... prenderentur.* Id est, « ita certam, ut hæc est eorum, quæ manuum comprensione percipimus ». Voluit autem Cic. hoc : Zeno-

etiam nomen hoc duxerat[18], quum eo verbo ante
nemo tali in re usus esset : plurimisque idem novis
verbis (nova enim dicebat) usus est. Quod autem
erat sensu comprehensum, id ipsum sensum appel-
labat[19]; et, si ita erat comprehensum, ut convelli
ratione non posset, scientiam : sin aliter, inscientiam
nominabat; ex qua exsisteret etiam opinio[20], quæ
esset imbecilla, et cum falso[21] incognitoque commu-
nis. Sed inter scientiam et inscientiam, comprehen- 42
sionem illam, quam dixi, collocabat[22], eamque ne-
que in rectis[23], neque in pravis numerabat, sed soli
credendum esse[24] dicebat. E quo sensibus etiam

nem κατάληψιν tam certam rerum comprensionem dixisse, quam ista sit eorum, ἃ χειρὶ καταλαμβάνεται. Id quidem Zeno pugno facto demonstrabat. Conf. Acadd. II, 47, 145. — *Prenderentur* clare offerunt fragm. cod. et Dresdens. alii *prehenderentur*. Vide nos ad Legg. I, 23, 61. G.

18. *Duxerat, quum eo verbo antea nemo...esset*. Ante P. Manut. post *duxerat*, editi libri omnes *at* ponebant, scriptis ubique ita præbentibus. Recte hic illud ex ingenio delevit, quod Lambin. in codd. suis abesse dicit, quodque ex repetita verbi syllaba ultima ortum esse, nemo non videt. *Antea*, præter Lambini codd. Davisii duo, totidem Oxonn. Vinet. trini quoque mei referunt. Neque Ern. h. l. vulgatam *ante* repetere debebat: nam auctor, si *ante* scripsisset, id voci *nemo* postposuisset. Loco *esset* autem duo mei, unusque Oxon. *est;* ex eo, ni fallor, quod statim *usus est* sequitur. G.

19. *Sensum*. Stoicis sensus est spiritus a parte animi, in qua principatus est, ad sensus perveniens, et sensuum comprehensio, quam hic Cicero sensum in neutro genere dicit, est sensuum actio. Auctor Laertius. Turn.—Vide Exc. VI.

20. *Opinio ..... communis*. Conf. Sext. Emp. VII, 151 : Δόξαν δὲ τὴν ἀσθενῆ καὶ ψευδῆ συγκατάθεσιν. G.

21. *Cum falso*. Opinamur enim in falsis et iis quæ non sunt nobis cognita. Itaque sapiens Zenoni non opinatur, et ab eo in rebus malis opinio numeratur. Turn.

22. *Sed inter scient. et insc. comprehens... collocabat*. Paullo aliter de Stoicis Sext. Emp. l. l. qui dicit, inter ἐπιστήμην et δόξαν mediam hos posuisse κατάληψιν. Sed res fere ad idem redit. Hæc quo modo Zeno, ad sensus revocata, manu gestuque docuerit, vide infra, Acadd. II, 47, 145. G.

23. *In rectis*. Scientiam enim Zeno in laude ponit, opinionem et inscientiam in vitio, comprehensionem inter utramque collocat, neque in rebus bonis aut malis numerat. Turn.

24. *Sed soli credendum esse*. Hæc illustrantur ex eodem Sexti Emp. loco,

fidem tribuebat, quod, ut supra dixi, comprehensio facta sensibus et vera esse illi, et fidelis videbatur: non quod omnia, quæ essent in re, comprehenderet[25]; sed quia nihil, quod cadere in eam[26] posset, relinqueret, quodque natura[27] quasi normam scientiæ et principium sui dedisset, unde postea notiones rerum in animis imprimerentur; e quibus[28] non principia solum, sed latiores quædam ad rationem inveniendam viæ reperiuntur. Errorem[29] autem, et temeritatem[30], et ignorantiam, et opinationem, et suspicionem, et uno nomine omnia, quæ essent aliena firmæ et constantis assensionis, a virtute sapientiaque removebat. Atque in his fere[31] commutatio consistit omnis dissensioque Zenonis a superioribus.

καταληπτικὴ δὲ φαντασία, κατὰ τούτους, ἐτύγχανεν ἡ ἀληθὴς, καὶ τοιαύτη, οἵα οὐκ ἂν γένοιτο ψευδής. G.

25. *In re, comprehenderet.* Non enim sensuum comprehensio vim totam rei sine prætermissione complectitur, quum exteriora tantum lineamenta attingat, eaque quæ sub sensum quemque cadunt, ut sub aspectum colores, sub auditum soni. Turn.

26. *Cadere in eam.* Comprehensionem. Turn.

27. *Quodque natura... dedisset.* P. Manut. post *quodque*, *eam* inseruit, idem P. Fabro suadente, Walkeroque probante. Sed cogitari e proximis pronomen debet, non addi, sæpe sic omissum. Dicit autem auctor, a natura datam esse « comprehensionem, velut normam scientiæ », quoniam scientia in comprehensionum multitudine consistit. Una igitur, recte percepta, norma erit reliquis omnibus. Deinde item comprehensio « principium naturæ » dicitur; quippe quum ex una *compr.* facilis via ad quascumque omnes aperiatur. *Unde*, quod sequitur, est *ad quam normam*, et verborum, *in animis imprimerentur*, metaphora a cera desumpta est; cf. Acadd. II, 26, 86, sæpiusque sic auctor de animo. G.

28. *E quibus... reperiuntur.* Hæc παρενθετικῶς inseruntur. Nihil igitur erat, cur suadente Grut. Ern. *reperirentur* ex ingenio corrigeret, vel Davis. *aperirentur* mallet. *Reperiuntur*, sc. a Zenone. Sensus autem est: Ex his Zeno non solum principia systematis sui deducit; sed iisdem latius demonstrandis, pluribus ex partibus viam sibi munit ad idem construendum. G.

29. *Errorem.* Non est, ut censet Zeno, sapientis errare, temere assentiri, ignorare, opinari, suspicari, nec ista in sapientem cadunt. Turn.

30. *Temeritatem. Temeritas* est *temeraria judicandi ratio*, ut sæpe. — *Temeritatem*, προπέτειαν. *Opinationem*, δόξαν. Vid. Henr. Steph. ad Sextum Emp. Pyrrh. Hyp. lib. I, sect. 13, p. 205, Fabric. H.

31. *Atque in his fere.... consistit.*

XII. Quæ quum dixisset: Et breviter sane[1], minimeque obscure exposita est, inquam, a te, Varro, et veteris academiæ ratio, et stoicorum. Verum esse autem arbitror[2], ut Antiocho, nostro familiari, placebat, correctionem veteris academiæ potius, quam aliquam novam disciplinam putandam. —Tunc Varro[3], Tuæ sunt nunc partes, inquit, qui ab antiquorum ratione nunc desciscis[4], et ea, quæ[5] ab Arcesila no- 43

Ita recte ex scripto apud Allemannum, et editis pluribus Ern. nec aliter E. V. tresque mei præbent. *His* est pro « his, quæ dixi ». Hülsem. ad vulgatam relapsus est. Deinde exhibent, præter alios, E. V. et Dresd. *constitit*. Quod probat Ern. me non probante. Nam tum modo, si *ex his* scriptum esset, præterit. unice verum esset: quum *in his* junctum, præsens perfecti græci, συνέστηκε, loco, ut ubique, ponitur. Miscebis igitur, si illud malis. G.

XII. 1. *Et breviter sane*. Dicit Lamb. in scriptis quibusdam *et*, quod mei omnes habent, desiderari; neque agnoscit part. P. Manut. Delevit Hülsem. Respondent sibi *Et...que;* laudaturque a duplici parte Varronis disputatio. *Et* apud Cic. sæpissime est ex responsione orationem ingredientis. Ita supra 9, 33: « Et recte quidem, inquit, respondes »; cf. Legg. I, 5, 16; ibid. 13, 26, et II, 6, 14. G.

2. *Verum esse autem arbitror*. Hæc corrupta esse, vidit Ern. qui pro *Verum*, *Eam* suadet, probante Wetzel. Sed hoc nimis vagum est, et vix exemplo alio, vere apto, confirmabitur. Malim *horum*, sic ut *rationem* ex proximis cogites, quod facile fit in tam expedito contextu. Hæc constructio impeditior scribas ad mutandum provocare potuit. Sed permutantur etiam alibi in scriptis literæ initiales *H* et *V*, ut ap. Ovid. *Hera* et *Vera*, apud Plin. *Velia* et *Helia*, etc. Pronomen autem præpositum, in tali contextu, plane est ex more et ordine. *Autem* deinde tertio loco sæpe legitur, verbo substantivo cum vi præmisso. Cf. supra 6, 22: « Ea sunt autem »; Fin. II, 7, 31: « id est autem malum, etc. » G.

3. *Tunc Varro*. Gœrenz dat *Tum Varro*. Sic, inquit, pro vulg. *Tunc*, cum fragm. cod. et Oxon. E. correximus; idque partim ex perpetuo auctoris in ejusmodi contextis usu, partim quod paucis post, *Tum ego*, e regione ponitur. Scribis forte causa erroris fuit, quod *nunc* sequitur.

4. *Qui ab antiquorum rat. nunc desciscis*. Loco rel. *qui* conjicit Ursin. *quoniam:* legerat enim *quam* in libro scripto. Sed nihil opus correctione. Qui enim VV. DD. h. l. offendunt, non vident, ad *qui* ex *Tuæ* esse *tu* intelligendum. G.—Præterea Gœr. v. *nunc* ante *desciscis* delevit ex uno P. Manut. altero Davis. cod. In quibusdam edd. vett. tertium *nunc* ante *probes* additur, unde Gœrenz colligit et secundum hoc cum tertio glossatoris esse. — *Antiq.* Veterum Academicorum et Peripateticorum. Turn.

5. *Et ea, quæ*. Ignorat Ven. 1494, *ea*, quod sæpe ad relat. a scribis additur. G.

vata[6] sunt, probas, docere[7], quod, et qua de causa discidium factum sit; ut videamus, satisne ista sit
44 justa defectio. — Tum ego, Cum Zenone, inquam, ut accepimus, Arcesilas sibi omne certamen instituit, non pertinacia, aut studio vincendi, ut mihi quidem videtur, sed earum rerum obscuritate[8], quæ ad confessionem ignorationis adduxerant Socratem, et veluti amantes Socratem[9], Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes pæne veteres : qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse [dixerunt[10]]; angu-

6. *Novata.* Nam Arcesilas auctor Academiæ fuit (vid. Sext. Emp. adv. Math. l. VII, sect. 150, pag. 402), nihilque comprehendi, nihil scire posse censuit. Numquam autem (obs. Turn.) ista nova Academia nata esset, nisi Zeno supervacanea, et odiosa subtilitate veterem philosophiam correxisset. Hujus decreta oppugnavit Arcesilas. H.

7. *Docere.* In plerisque scriptis, tribusque meis, et multis edd. vett. *doce* legitur : quod ex compendio natum est. G.

8. *Sed earum rerum obscuritate.* Quæ pertinerent ad interiorem rerum naturam perspiciendam, et definitiones diligenter dimetiendas. Vid. Tusc. Qu. l. III, 1. H.

9. *Et veluti amantes Socratem.* Gœrenz dat *et jam ante Socr.* Ita, inquit, sequuti Mureti varr. lectt. IX, 14, conjecturam, vulgatam, « et veluti amantes », quæ prorsus nihil est, cum Allemanno correximus. Sæpe enim vidimus, *vel*, partim glossematis, partim duplicis lectionis notam, cum ipsa lectionis varietate, in codicum contexta irrepsisse. Sic quidem Vimar. quem contulimus Læl. 10, 33, ad verba « una cum prætexta », addit, « vel toga ». Idem ibid. 14, 51, pro « si numquam consilio », « si numquam studio, vel consilio » præbet. Sed jungit *vel* etiam variantem lectionem, verbi gratia, de Fato, 2, 4, ubi complures scripti, « Sed quoniam rhetorica nostra vel vestra sat nota », quæ nuper recte, duobus meis confirmantibus, Bremi correxit, « rhet. vestra sunt nota ». Item, Off. II, 15, 8 : « ut possit prodesse pluribus ». At Erl. meus, « multis vel pluribus » : quum alii duo mei *multis*, sine *pluribus* præbeant. Inde admodum probabile est, ad veram lectionem *et*, additam variantem, *al*, eadem ratione per *vel* junctam, texta corrupisse. G. — Quam lectionem probant Ern. et J. V. L. et Schützius sequutus est. Ceterum Durandus proponit « et veluti nuntiantes Socratem », vel « veluti armantes Socratem », ut lib. II, c. 27 : « Itaque ab eo armatum esse Carneadem ».

10. *Dixerunt.* Cancellos ad prius verbum Ern. addidit, neque potuimus, quin eum sequeremur. Haud sane quidem raro fit, ut *dicere* apud Cic. repetatur : sed tam sinistre, tam insuavi auribus ratione in locorum pæne viginti, quæ ante oculos habemus, nullo. Neque ille locus, quo Davis. in defendendo duplici *dixerunt*.

stos[11] sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, et (ut Democritus[12]) in profundo veritatem esse demersam; opinionibus et institutis omnia[13] teneri, nihil veritati relinqui; deinceps omnia[14] tenebris circumfusa esse dixerunt. Itaque Arcesilas[15] negabat 45
esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset[16]. Sic omnia latere censebat in occulto[17]; neque esse quidquam,

nititur, Acadd. II, 44, 135, huc recte trahitur, quum prius *dicebant* in media enuntiatione ponatur, posterius in clausula; utrumque insuper distinctione majore sejungendum sit. G.

11. *Angustos.* Arctos esse et minutos sensus, ut tantam rerum magnitudinem capere non possint. A sensibus autem oritur cognitio. Turn.

12. *Ut Democritus.* De Democrito, quem Hülsemannus uno tantum anno Socrate majorem fecit, quum huic certe viginti annis ætate præiret, dictum illud, Ἐτεῇ οὐδὲν ἴσμεν, ἐν βυθῷ γὰρ ἡ ἀλήθεια, nemini non innotuit; cf. Acad. II, 10, 32, et Lactant. III, Divv. Inst. 28, 12-15. *Tennemann, Gesch d. Philos.* t. I, p. 285-291; item de Anaxagora ibid. 330, seqq. et Empedocle, 251 seqq. — Cicero in Lucullo: « naturam accusa, quæ in profundo veritatem, ut ait Democritus, penitus abstruserit ». Simile est illud Senecæ, N. Q. VII, 32: « Vix ad fundum veniretur, in quo veritas posita est, quam nunc in summa terra, et levi manu quærimus ».

13. *Opinionibus et institutis omnia teneri.* Hæc vitiosa videntur. Neque enim umquam *opiniones* et *instituta* junguntur, nec hoc loco recte jungi potuisse putarim, quum *instituta* non necessario ex opinionum erroribus pendeant. Lubens igitur arripuerim, quod fragm. cod. *et* ignorat, auctorque sim, ut « opinionibus insitis », i. e. inveteratis, legatur. Cf. orat. 28, 97: « inserit novas opiniones, evellit insitas, etc. » Sed ne vel subdole, vel inscite, judicare videamur, dicit auctor Legg. 10, 29: « quod si depravatio consuetudinum, si opinionum vanitas non imbecillitatem animorum torqueret et flecteret, quocumque cœpisset, etc. » Atque inde forte *opiniones* et *instituta* æqua ratione, ac *consuetudines* et *opp.* junctim posita videri possunt. G.

14. *Deinceps omnia.* Int. « Omnia, si ex ordine et serie, nullo excepto, enumeraris ». Conf. Cic. Orat. lib. I, cap. 9, 37. Nihil igitur conjectura opus est.

15. *Arcesilas negabat.* Arcesilas hic, primus a Platonis dogmatica severitate recessit. Nam Diodorus ille Cronus dubitandi semina ei instillaverat, et eloquentem linguam ei dederat, ut adversarios facile vinceret. Arcesilæ ratio philosophandi nitebatur ἐν τῷ ἐπέχειν et *moderantiam*, σωφροσύνην, h. e. animi affectibus independentiam, eorumque sedationem, *finem philos.* fecit. H.

16. *Sibi reliquisset.* Hoc enim unum Socrates se scire prædicabat, quod nihil sciret. Turn.

17. *Sic omnia latere censebat in*

quod cerni, aut intelligi [18] posset: quibus de causis nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assensione approbare [19], cohibereque semper [20], et ab omni lapsu continere temeritatem; quæ tum esset insignis, quum aut falsa, aut incognita res approbaretur: neque hoc quidquam esse turpius, quam cognitioni et perceptioni assensionem approbationemque præcurrere. Huic rationi quod erat consentaneum, faciebat, ut contra omnium sententias dies jam plerosque deduceret [21]: ut, quum in

occulto. Gœrenz delet *censebat*. Inseritur, inquit, in libris post *latere*, *censebant*, quod VV. DD. ex ingenio in *censebat* mutarunt, quum viderent ista ad Anaxagoram pertinere. Sed glossema vel inde se prodit, quod ejus verbi loco Bas. *putabant* et V. cum fragm. cod. *dicebant* exhibent. Debet autem ex præcedente *negabat*, *dicebat* cogitari, ut sæpe: idque magis, quum idem verbum jam ad, « ne illud quidem », subaudiendum esset. Exempla multa collegit Wopk. p. 48.

18. *Intelligi*. Ratione et intelligentia colligi, ut *cerni* sensu. Sunt enim κριτήρια duo, sensus et intelligentia. — *Posset*. Ita clare fragm. cod. prout Ern. ex conject. dederat. Vulg. *possit*.

19. *Neque assensione approbare*. Ita recte, ab Henr. Stephano Lambinoque inde, VV. DD. licet in scriptis ubique *assertione* legatur. Nullus enim hujus ætatis auctor voce *assertio*, affirmationis vi utitur. Et omnino primus Ovidius est, apud quem *asserere*, vindicandi potestate legatur Met. I, 761, « meque adsere cælo ». Cf. Ruhnk. ad Vell. II, 60. Eodem modo paullo post, « assensionem approbationemque probare », scripti omnes, « assertionem », peccant. G. — Approbationem et assensionem tollebat Arcesilas, quam ponebat Zeno, contrariamque inducebat retentionem, quam ἐποχὴν appellabat. Turn.

20. *Cohibereque semper... temeritatem*. Fragm. cod. « cohibere se semper »; quod ferri possit: ita enim auctor de omni impetu studiove animi. Nec improbabile fuerit, hoc ante *semper* excidisse, putare. Sed scriba videtur sibi sapuisse: id quod maxime ex verborum collocatione patet. Nisi enim *cohibere* ad *temeritatem* pertineret, necessario, transpositis verbis, vel « temeritatem continere », vel certe, « et tem.... continere » scribendum fuisset. Præterea sæpius etiam *cohibere* et *continere* junguntur. Nat. Deor. II, 13, 35, etc. Ceterum « cohibere... temeritatem » idem est, quod « coh. se a temeritate »: ita frequenter auctor « cohibere assensus, iracundiam, etc. » G.

21. *Dies jam plerosque deduceret*. *Dies plerosque* est, *omne fere tempus*: simili ratione *omnes vitæ dies* dicuntur. Nam ingenio indulsit Davisii amicus, quum *diebus alternis* conjiceret. *Jam* me male habet. Possis hanc part. pro ἀπὸ τοῦ νῦν dictam accipere; sed tum nimis vaga erit: possis pro *quidem*, *sane*: sed ita *jam* modo in consecutione dicitur.

eadem re paria contrariis in partibus momenta ratio-
num invenirentur, facilius ab utraque parte[22] assensio 46
sustineretur. Hanc academiam novam[23] appellant[24];
quæ mihi vetus videtur: si quidem Platonem ex illa
vetere numeramus. Cujus in libris nihil affirmatur, et
in utramque partem multa disseruntur; de omnibus
quæritur, nihil certi dicitur. Sed tamen illa, quam
exposui, vetus; hæc, nova nominetur: quæ usque
ad Carneadem perducta, qui quartus[25] ab Arcesila
fuit, in eadem Arcesilæ ratione permansit[26]. Car-
neades autem nullius philosophiæ partis ignarus, et,
ut cognovi ex iis, qui illum audierant[27], maximeque
ex Epicureo Zenone[28], qui quum ab eo plurimum

Malim igitur eam, quæ toties librariis debetur, hoc etiam loco proscriptam. G. — *Dies plerosque deduceret.* Plerique illorum dierum dicuntur, quos disserendo deducebat Arcesilas; qui sensus cum mente verbisque auctoris maxime convenit. TURN.

22. *Assensio.* Alii *assertio*, ut supra.

23. *Novam.* Immo vero ne Academia quidem erat, nisi vocabulo, quum revera esset Pyrrhonis stultissima secta, ut Numenius ait. Itaque a Timone Pyrrhonio Arcesilas Pyrrhonius appellatur et Scepticus. TURN.

24. *Appellant.* Sic scripti mei, Oxonn. Vin. editique veteres, quos vidi, omnes. Recteque hoc tempus revocarunt Davis. et Ernest. in cujus locum ab Aldo *appellabant* vulgari cœptum erat. *Appellant* est pro « appellare solent »; vel, si malis, passivi loco positum, ut ubique. G.

25. *Quartus ab Arcesila.* Audivit enim Hegesimum, Hegesimus Evandrum, Evander Lacydem discipulum Arcesilæ. Auctor Cicero in Lucullo. Evandrum tamen auditorem Aristippi fuisse, Aristippum Lacydis scribit Eusebius. TURN.

26. *Permansit.* Post hoc verbum inseruit Hülsem. duo hujus libri fragmenta, quorum alterum longius, est illud ex Augustin. contra Acadd. III, 25; alterum ex eodem, ibid. cap. 7, desumptum. Quæ si ad calcem libri addidisset, nihil foret, quod quis reprehenderet. Sed quum istis ipsis arctissime contexta violenter discidit, non poteris quin parum circumspectam mentem mireris. G.

27. *Ex iis, qui illum audierant.* Oxon. V. fragm. cod. et Dresd. *his*, quod verissimum judico. Divin. I, 3, 5: « Zeno et hi, qui ab eo profecti sunt ». Conf. supra § 41. Sed quum E. « ex illis, qui eum aud. » et Bas. « ex iis, qui aud. » omisso *eum* præbeant, aliud, nescio quid, vitium in his latere suspicatus, correctricem manum cohibendam esse, putavi; licet viderem, optime *his*, *illum* opponi. Vide etiam supra, § 16. G.

28. *Epicureo Zenone.* Zeno Sidonius, philosophus Epicureus, quem

dissentiret, unum tamen præter ceteros mirabatur, incredibili quadam fuit facultate[29] **

Multa desunt.

Athenis Cicero, auctore ipso Philone, sæpe audiebat. Eum Philo Epicureorum coryphæum solebat appellare. Hic autem Cicero scribebat Carneadem acerrimum Stoicorum oppugnatorem fuisse, et reliquorum Academicorum seriem attexebat. TURNEBUS.

29. *Incredibili quadam fuit facultate* **. Media contexta abrumpi nemo non videt. Nam quæ ista *facultas* in Carneade fuerit, ad plenam sententiam necessario requiritur. Sustulimus igitur punctum maximum, et sola lacunæ signa reliquimus. Decepit *quadam* intt. quod ad adjectiva magnitudinis intensivam semper vim habet, et *sane*, *profecto* notat. Quæ autem supplenda sint ad plenum sententiæ orbem restituendum, ea Cic. ipse indicare videtur, Orat. II, 38, 161 : « Carneadis vero vis incredibilis illa dicendi, et varietas, perquam est optanda nobis : qui nullam umquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnavit, quam non everterit ». G.—De reliquis, quæ desiderantur, vide supra J. A. Gœr. Introductionem, præsertim in fine, et P. Valentiæ Academica, § II, V et VI.

EXCURSUS I

Ad ea Ciceronis verba, Acad. II, lib. I, § 29:

Quam vim animum esse dicunt mundi.... quem Deum appellant.

Cicero, Academicorum veterum et Peripateticorum ratione exponenda, videtur ad Xenocratem et Aristotelem hic potissimum respexisse, quorum ille apud Stobæum Deum definit ψυχὴν τοῦ παντὸς; et de Aristotele refert Clemens Alex. in Protreptico : Τῶν ὅλων οὐ νοήσας τὸν πατέρα τὸν καλούμενον ὕπατον, ψυχὴν εἶναι τοῦ παντὸς οἴεται, etc.

Non est autem Platoni (obs. Turn.) *summus* deus, *mundi animus.* Deus tamen est aliquis, quum etiam ab eo mundus *deus* nominetur; velut in Atlantico : τῷ δὲ πρὶν μέν ποτε ἔργῳ, νῦν δὲ λόγοις ἄρτι θεῷ γεγονότι. Ceterum Cic. hic πρόνοιαν significat, quæ non tantum sit *supremi dei*, verum etiam *animi mundi*, qui cælestia maxime procurat; in quibus nulla mutatio est, sed constans et ratus ordo. Atque hæc etiam a Stoicis dicuntur; vid. Cic. de Nat. Deor. lib. II, « talis igitur mens mundi quum sit, ob eamque causam vel Prudentia, vel Providentia appellari recte possit, etc. »

De mundo, an sit animal, et providentia regatur, ubi principatum habeat, et unde nutriatur..... sententias veterum Græciæ sapientum collegit Jo. Stobæus, Eclog. phys. lib. I, c. 22, p. 439 seqq. ed. Cel. *Heeren*, cujus ibi adspersæ sunt obss. critt. et quædam literariæ. Notionis de *anima mundi* originem investigavit ingeniosiss. *Bardili* in obss. universalibus in Timæum Locrensem, pag. 42 sq. (vol. III, sect. 9, *Symbolar. Fülleb.* ad Hist. philos.) cujus sententia digna est, quæ huc referatur : « Proclive est intellectu, quo tandem modo veteres somnium de *mundi anima* somniare potuerint. Innumeri dii, et dæmones, quibus mature omnem mundum

impleverunt poetæ, a sapientibus facili negotio cogebantur in unum, eumdemque *spiritum universi*, omnes res creatas permeantem. Quod si quis potius *post* Xenophanem, Eleaticæ scholæ auctorem, demum hanc notionem de *anima mundi* excogitatam propugnet, et hunc audio. Nam facillime ea separabantur, quæ mundus, a Xenophane pro deo cultus, et unicus fons sensus, et rationis, ex animi natura profecta continebat, ut exinde nasceretur *animus peculiaris*, per se exsistens æque ac cum mundo junctissimus, dictus *anima mundi* ». Reliqua a Bardilio observata, pertinent ad trinitatem ex mente Timæi Locrensis, coll. Voltarii *Questions sur l'Encyclopédie, tom. VII, pag.* 328 (*à Londres*, 1779).

Ut rem diligentius consideremus, ad fontem ideæ de *anima mundi* redeundum erit, ipsum Platonem, cujus cosmologica præcepta docte collegit et illustravit cl. Tennemannus in Syst. philos. Plat. vol. III, p. 174 seqq. Fundamenti loco est positus Pseudo-Plato in Epinomide, p. 254, ed. Bip. Τὸ δὲ ἐν τάξει τε, καὶ οὐρανῷ πόρον ἔχον, μέγα τεκμήριον χρὴ ποιεῖσθαι τοῦ φρόνιμον εἶναι. Κατὰ ταῦτα γὰρ ἂν καὶ ὡσαύτως πορευόμενον ἀεὶ, καὶ ποιοῦν, καὶ πάσχον, τεκμήριον ἱκανὸν τοῦ φρονιμῶς ζῆν εἴη παρεχόμενον. Coll. Sophista, pag. 266; de Legg. lib. XII, p. 218, 220, 221.

Primum, *malum animum mundi* statuebat Plato in Timæo, pag. 337: Καὶ δὴ κατὰ ταῦτα καὶ ἡμῖν λεκτέα μὲν ἀμφότερα τὰ τῶν αἰτίων γένη· χωρὶς δ' ὅσαι μετὰ νοῦ καλῶν καὶ ἀγαθῶν δημιουργοὶ, καὶ ὅσαι μονωθεῖσαι φρονήσεως τὸ τυχὸν ἄτακτον ἑκάστοτε ἐξεργάζονται. Coll. Polit. pag. 37, seqq. Phileb. pag. 238, sq. Deinde, *bonum animum mundi*, de Legg. lib. X, pag. 92, Bip. Εἰ μὲν ἡ ξύμπασα οὐρανοῦ ὁδὸς ἅμα καὶ φορὰ, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ ὄντων ἁπάντων, νοῦ κινήσει καὶ περιφορᾷ, καὶ λογισμοῖς ὁμοίαν φύσιν ἔχει, καὶ ξυγγενῶς ἔρχεται, δῆλον ὡς τὴν ἀρίστην ψυχὴν φατέον ἐπιμελεῖσθαι τοῦ κόσμου παντὸς, καὶ ἄγειν αὐτὸν τὴν τοιαύτην ὁδὸν ἐκείνην. Conf. Timæum, pag. 305, 312; Epinom. pag. 254, 262-265. Macrob. Somn. Scip. I, 19. Hulsem.

EXCURSUS II

Ad ea Ciceronis verba, Acad. II, lib. I, § 30:

Quamquam oriretur a sensibus, tamen non esse judicium veritatis in sensibus.

Cardo disputationis (in Dialectica) vertitur circa doctrinam de sensibus, quatenus in eos *perceptio* cadere possit.

Ciceronis fons fuit hoc loco Theophrastus, quem Clemens Alexandrinus, libro II, pag. 362 (edit. Sylburg. Coloniæ 1688, fol.), ita exponentem facit, Θεόφραστος δὲ τὴν αἴσθησιν ἀρχὴν εἶναι τῆς πίστεως φησί.

Veri disceptatio dialecticis propria est. Ad *veri notionem* duo comparata sunt, quæ κριτήρια dicuntur, *sensus* et *mens*. Plato *sensui* quam minimum tribuit, ac proprie nihil; plurimum menti. Nam quamdiu in hoc corpore inclusus est animus, sensuum ministerio et servitio utitur ad rerum cognitionem, qui tamen ea tantum percipiunt, quæ numquam *vere* sunt, sed *esse videntur*. Quæ Plato in Theæteto de *visis* et *perceptionibus* dixit, ea bene illustravit Tenn. Syst. phil. Plat. vol. II, p. 16, sqq. Nimirum per *visa* percipimus singulas res, unum; *mens* vero universas res, et omnia quæcumque complectitur. Ἡ δὲ διὰ τίνος δύναμις (Theæt. p. 141) τὸ, τ' ἐπὶ πᾶσι κοινὸν, καὶ τὸ ἐπὶ τούτοις δηλοῖ σοι, ᾧ τὸ ἔστιν ἐπονομάζεις καὶ τὸ οὐκ ἔστιν, ἃ νῦν δὴ ἐρωτῶμεν περὶ αὐτῶν. Τούτοις πᾶσι ποῖα ἀποδώσεις ὄργανα, δι' ὧν αἰσθάνεται ἡμῶν τὸ αἰσθανόμενον ἕκαστα; Plato discernit eas notiones quæ percipiuntur *visis*, παθήματα, αἰσθήσεις· ab iis quæ nexu varietatis oriuntur, quæ sunt *conceptus*, ἀναλογίσματα, vel συλλογισμούς· Theæt. p. 143; Phædo, p. 171, Bip. Etiam *visa* a *conceptibus* discernuntur, quatenus illa minus ad perspicuitatem faciunt; vid. Plat. de Rep. lib. VII, p. 147: μέγα μὴν ἡ ὄψις καὶ σμικρὸν ἑώρα, φαμὲν, ἀλλ' οὐ κεχωρισμένον, ἀλλὰ συγκεχύμενον τι... διὰ δὲ τὴν τούτου σαφήνειαν, μέγα αὖ καὶ σμικρὸν, ἡ νόησις ἠναγκάσθη ἰδεῖν, οὐ συγκεχυμένα, ἀλλὰ διωρισμένα, τοὐναντίον ἢ ἐκείνη.

Coll. Phæd. p. 147, seq. De *visis* egit Plato in Charmide, p. 118, vol. V, Bip. Phileb. p. 292, et 211, 254. Theæt. p. 154 sq. et de *perceptione mentis*, Theæt. p. 151; Phædo, p. 149; de Republ. vol. VII, p. 147; quos locos illustravit Tennemannus, loc. cit.

Jam vero ipsam « quæstionem de *sensus veritate*, unde orta sit, quot variis modis tractata, et quo philosophos deduxerit », excussit Garvius, vir sapientissimus, in diss. inscripta: « legendorum philosophorum veterum præcepta nonnulla, et exemplum ». Lipsiæ 1770, in-4 (et repetita in *Fülleb. Symb.* ad Hist. Philos. vol. III, part. XI, p. 175, seqq). Ibi quum Garvius Theæteti Platonis partem priorem *de scientia* illustrasset, historiam philosophicam de *sensuum veritate*, aperire ita pergit:

« Antiquissimis temporibus, inquit, philosophi omnes, item ut nunc ii, qui naturæ motum sequuntur, nec ultra sensum communem et naturales notitias argumentando processerunt, *sensibus fidem sine ulla dubitatione habebant*. Iidem, *mentis* omnem *vim*, *sensus acumine* concludebant.

« Sed ista persuasio mox infirmata est, eo maxime, quod varietas animadversa erat in *visis*, ab eadem re profectis, quia et hominis ejusdem diversis temporibus, et diversorum hominum eodem tempore sensus diversissime ab eadem re afficerentur. Nondum illi de sensus fallacia quidquam suspicati, hanc ejus inconstantiam, ac vacillationem, rebus ipsis tribuerunt; res et multiplices quodammodo, et continuo mobiles fecerunt, sensus omnimodam veritatem retinuerunt. Hinc duplex illa sententia, *neque ullam rem* magis *esse* hoc quam illud, et *omnes res fluere*. Sed in hac ipsa sententia, nec firmi, nec secum ipsi consentientes erant. Nam quod fieri solet in rei cognitione obscura, ut etiam oratio quasi fluctuet, nimirum quod animus ipse suspectam habens judicii sui veritatem, amplecti quodammodo vult oppositorum utrumque; idem illis quoque accidit. Quare mox perinde loquuti sunt, ac si ipsis rebus tribui simul posse

contraria judicarent, nec duobus momentis ullam earum partem eamdem remanere: mox visi sunt hoc totum trahere ad rerum imagines in mente depictas. Quæ causa est, cur ii qui antiquissimorum sententias curant, in ejusdem sententia narranda plurimum inter se discrepent, ut in Empedoclis: qui ab alio dicitur, omnia sensibus tribuisse, omnes mentis cogitationes, omnemque veritatem quasi alligasse rerum externarum præsentiæ (vide Aristot. de anima, l. III, c. 3: Καὶ οἵγε ἀρχαῖοι τὸ φρονεῖν, καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι ταὐτὸν εἶναί φασιν, ὥσπερ καὶ Ἐμπεδοκλῆς εἴρηκε· Πρὸς παρεὸν γὰρ μῆτις ἀέξεται ἀνθρώποισι. Coll. Metaph. l. III, c. 5); ab alio (1) rursus dicitur intelligendi quoque propriam facultatem, et visorum dijudicationem aliquam, et dilectum admisisse. Idem in Protagoræ, et aliorum sententiis videre est, contra quos disputat Aristot. Metaph. l. III, c. 4. Ait enim hos credidisse, aliquid posse simul et *esse*, et *non esse*. Iisdem et ipse, c. 5, et Plutarchus contra Colotem, et ceteri fere omnes nihil tribuunt, nisi opinionem de summa partium in quaque re multitudine et varietate, quarum quum aliæ aliorum hominum sensibus magis expositæ sint, efficiatur, ut tota res aliis alia appareat.

« At, quum primum aucta philosophando est *subtilitas cogitandi*, et rerum, hominisque natura diligentius cœpta explorari, perspecta, et repudiata est opinionis illius absurditas, sensibus veritatem, rebus ipsis omnes cogitationum diversitates ac variationes attribuentis; discrimenque factum inter *res*, et *visa*, ut inter *efficientia*, et *effecta*.

« Atque in hanc sententiam, ut vel ex Theæteto Platonis (qui in hanc rem classicus est dialogus) perspicuum est, *tribus* maxime *argumentis* perducti sunt. *Primum*, quod animadversum erat in quibusdam sensibus, nempe in *videndo* et *audiendo*, non res ipsas ad corpus nostrum accedere, sed esse aliquid *intermedium*, idque insensibile, quod

(1) Sext. Emp. lib. VII, contra math. ἄλλοι δὲ ἦσαν, οἱ λέγοντες κατὰ τὸν Ἐμπεδοκλέα, κριτήριον εἶναι τῆς ἀληθείας, οὐ τὰς αἰσθήσεις, ἀλλὰ τὸν ὀρθὸν λόγον.

a re *pulsum*, ejus *motum* ad nos perferat (cf. Cic. Tusc. l. I, c. 10). In quo genere satis erat perspicuum, fieri non posse, ut in sensu id ipsum animo obversaretur, quod inesset in re; quia, si rei nos pellentis imago quædam, *sensus* esset, lucis notionem potius, quam rei illuminatæ, per *visionem* haberemus. *Deinde*, quod in omni *visorum* ex eadem re variatione insigniori, etiam quædam corporis, aut instrumentorum sensus depravatio erat observata; unde orta suspicio est, ejus variationis causam aliquam posse in nobismet ipsis esse. *Postremo* quod cœptum erat perspici discrimen, quod inter *sensum*, et *intelligentiam*, inter φαντασίαν et διάνοιαν, inter αἴσθησιν, et νοῦν intercederet: quæ quidem distinctio ab antiquioribus proposita, sed obscurius, atque inconstantius, perspicue et firmiter ab Anaxagora primo videtur esse comprehensa.

« Atque inde jam totius *futuræ de sensu doctrinæ* hoc fundamentum jactum est: sensum esse aliquid effectum in mente, a rei externæ actione, propagata ad animum per motum corporis. Rem esse id quod efficeret; nos esse ei rei velut materiem subjectos; utramque naturam ac vim, et rei et nostram, concurrere ad φάντασμα gignendum, quod quoque tempore menti obversaretur.

« Ex hoc autem principio profecti philosophi, *duas* ierunt *vias veri*, in animo nostro *inveniendi*. Alii ad *sensuum naturam* diligentius explorandam se contulerunt, in iisque subtiliter *veri notam*, et signum, quæsiverunt; alii, neglectis et depositis sensibus, ad intelligendi facultatem, et mentis in se collectæ cogitationes contemplandas totos se converterunt. Itaque factum est, ut qui sensibus magis obsequerentur, hisque se traderent, ii pergerent in disputationibus suis multum loqui de rerum fluctuatione et motu; ut Heraclitus, et physicorum plerique: qui autem intelligibilia sola scrutarentur, iidem de rerum unitate, et immobilitate dissererent; ut Parmenides, quem Plutarchus ait primum νοητῶν genus in philosophiam induxisse (contra

Colot. p. 1114, ed. Francof. 1620: Παρμενίδης δὲ, ἐπεὶ καὶ πάντων, καὶ Σωκράτους ἔτι πρότερος συνεῖδεν, ὡς ἔχει τι δοξαστὸν ἡ φύσις, ἔχει δὲ καὶ νοητόν... ἑκατέρᾳ φύσει ἀποδιδοὺς τὸ προσῆκον, εἰς μὲν τὴν τοῦ ἑνὸς καὶ ὄντος ἰδέαν τίθεται τὸ νοητὸν, ὂν μὲν ὡς ἀΐδιον, καὶ ἄφθαρτον· ἓν δὲ ὁμοιότητι πρὸς αὑτὸ, καὶ τῷ μὴ δέχεσθαι διαφορὰν προσαγορεύσας, κ. τ. λ.) Nec vero id mirum fuit. Nam, et qui expediendæ veritatis rationem aliquam in *sensu* quærebant, ii coacti erant ea omnia res appellare, quæ sensibus subjecta essent, in quibus mutationis plurimum esse negari non poterat: et qui veri cognitionem contendebant esse mentis, non sensus, ii rerum τῶν ὄντων nomen, et quasi dignitatem iis quæ sub sensum caderent, detrahebant, intelligibilibus solis tribuebant, in quibus omnia constantia et æterna essent.

« Atque illorum, quorum opera et studium in excutiendo *sensu* versabatur, ii qui simplicissimi erant, nec valde curiosi, in hac una sententia adquiescebant: sensus omnes esse effectiones in animo, aptas ex rebus externis impellentibus, et ex corpore impulso: itaque numquam non veras esse, quippe consentientes cum causis suis. Ex hoc fuit genere Protagoras, quem audivimus (in Theæteto Platonis) hanc sententiam varie defendentem.

« Subtiliores autem qui erant, ii observabant: esse quædam *sensus cujusque propria:* inter ceteros omnes veritate et constantia eminere *tactum*, qui et rem externam proxime nobiscum conjungeret, quum ceteri sensus vel remotæ rei effluvia, vel propinquæ particulas tantum quasdam perciperent: et ea nobis de rebus declararet, quæ ne ab idea quidem corporis abesse possent, situm, figuram, et motum. Quare concludebant, hunc sensum docere nos veram corporum naturam, ceteros eorum externas modo species ostentare. Ita orta est *philosophia* illa *corpuscularis*, quæ corporibus has solas qualitates relinquit, quæ tangendo percipiuntur, motum et figuram, et partium collocationem, ceteras omnes detrahit, negans colores et sonos, duntaxat ut corporum qualitates, aliud aliquid esse præter minutis-

simarum partium situs, et motus. Atque hanc sententiam iis recte tribui, qui atomos, sive corporum elementa, præter figuram et motum nihil habentia proprii, adhibuerunt ad mundi fabricam explicandam: auctor est Aristoteles, qui hanc sententiam oppugnaturus, eam luculenter exposuit (*de sensu*, et *sensibili*, c. 4: Δημόκριτος δὲ, καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν φυσιολόγων, ὅσοι λέγουσι περὶ αἰσθήσεως, ἀτοπώτατόν τι ποιοῦσι· πάντα γὰρ τὰ αἰσθητὰ ἁπτὰ ποιοῦσιν... τοῖς κοινοῖς τῶν αἰσθήσεων χρῶνται ὡς ἰδίοις· μέγεθος γὰρ, καὶ σχῆμα, καὶ τὸ τραχὺ, καὶ τὸ λεῖον, ἔτι δὲ τὸ ἀμβλὺ, καὶ τὸ ὀξὺ, τὸ ἐν τοῖς ὄγκοις, κοινὰ τῶν αἰσθήσεών ἐστι· οἱ δὲ τὰ ἴδια εἰς ταῦτα ἀνάγουσιν, ὥσπερ Δημόκριτος· τὸ γὰρ λευκὸν, καὶ τὸ μέλαν, τὸ μὲν τραχύ φησιν εἶναι, τὸ δὲ λεῖον· εἰς δὲ τὰ σχήματα ἀνάγει τοὺς χυμούς). Atque hæc sensuum restaurata quodammodo firmitas, credita ob testimonium tactus apertum, nec ulla re umquam elevatum, reduxit etiam alterum illud antiquorum, esse mentis omnem vim sensu comprehensam, omnemque cogitationem motum quemdam a sua causa natum.

« Illa ipsa autem sententia de sensu, tripliciter erat divisa. *Alii* enim, ut Democritus, præter communes istas corporum qualitates, quæ tactu perciperentur, negabant aliud quidquam esse, quod sensus nobis de ea corporis textura, et conformatione, unde ipsi essent orti, significarent, ideoque nihil eos de natura rerum, aut falsa nobis tradere. *Alii*, ut Epicurus, qui negarent ipsi quoque, præter modum, et partium figuram ac compositionem, rebus quidquam tribuendum esse, hoc addebant: re sensibili certo modo collocata, et certo a nobis intervallo distante, *sensus* posse de illis ipsis ejus qualitatibus nonnumquam verum testimonium perhibere. Hinc *sensum*, quatenus animi esset quædam affectio, verum esse omnem, et semper; quatenus animi de re externa judicium, tum demum, quum et rei sensæ situs et distantia, et rei intermediæ conditio, et sensus instrumentum ejusmodi esset, cujusmodi ad bene percipiendum requireretur. In qua re deerat hoc unum, quod non definiebatur, qualia omnino singula ista esse deberent, ut sensibus

fides certa haberi posset. *Tertium* genus erat eorum, qui præter voluptatem et tædium, quibus commoveatur animus ad appetendum et aversandum, *nihil sensibus percipi* dicerent; quales erant Cyrenæi, et Sceptici. Quorum illi hoc defendebant, propter suum finem bonorum; hi, ut sublata omni veritatis, et probabilitatis dijudicatione, agendi tamen aliquam rationem relinquerent.

« Reliqua est altera pars philosophorum, qui repudiato sensuum testimonio, ad intelligentiam et mentem se tamquam ad unum veritatis domicilium converterunt: quorum primus Pythagoras, et qui eum sequuti sunt Eleatici, obscure de hac re loquuti sunt, sive consilio, sive quia quod parum perceperant, id plane satis eloqui non possent. Luculentissime hanc rationem Plato exposuit. Erat autem necesse iis, qui sensibus veritatem detraherent, eamque in mentis notionibus quærerent, has omnimodo ab illis sejunctas ponere. Quomodo enim fieri posset, ut notiones a sensibus abstrahendo ductæ, haberent veritatem aliquam propriam, nec sensuum veritati alligatam, nec horum errore labefactatam, et convulsam? Ergo disciplinæ suæ hoc addiderunt, ut dicerent, primum: ideas istas innatas esse animo, et sensum omnem antegressas; deinde, his ideis aliquid esse subjectum, ex quo expressæ sint, eodem illud modo sejunctum a rebus sensibilibus, quo ideæ ipsæ essent a sensibus. Nec enim idea, nisi rei alicujus, ulla est. Atque res ista si esset ex rebus corporeis, earumve pars aut qualitas cogitando abstracta: necesse foret, ut ejus notio fuisset involuta et complicata in aliquo viso, priusquam pura et evoluta mentem ingressa esset: id quod ejus ex sensu ortum argueret. Atque hinc natæ sunt celebres illæ Platonis *ideæ*, de quibus ipse varie atque inconstanter loquitur, ut solent, qui cogitando pervenerunt ad aliquid, quod propter nexum antegressæ disputationis defendere coacti, quale id sit, aut quomodo consistere queat, ipsi non satis intelligunt. Nec enim clare definit, cujus naturæ illæ, aut quo in loco sint.

Conjunctas cum divina natura esse intelligas, sive insint ei, ut animo notiones, sive ab eadem emanaverint: perceptas autem eas ait esse a mente in eo statu, qui hanc vitam sit antegressus, in quo mens pura a materiæ admixtione, et cum divina mente copulata, etiam puras et secretas a materie naturas illas intelligere potuerit; obscuratas deinde conjunctione facta cum corpore in nascendo, restaurari et excitari doctrina, et institutione.

«Exortus est Aristoteles, qui utramque rationem quodammodo conjungeret. Nam primum sensuum impulsiones a mentis libera agitatione distinxit, sic tamen, ut intelligentiam sensu tamquam fundamento niti sumeret, idearum ortum, visorum evolutione explicaret; deinde visa hæc (φαντασίας), non tantum ut effecta a rebus externis, sed etiam ut earum imagines et effigies spectavit. Rejecit igitur illorum sententiam, qui sensus omnes unius tactus judicio, et dominio quasi subjecerant; ipse totidem sumpsit rerum corporearum qualitates, inter se diversas, quot sunt et sensus diversi, et eorum cujusque motiones diversæ. Nec tamen hoc tam absurde ab ipso, quam ab interpretibus ejus dictum est. Non enim ipsas *qualitates* sensu perceptas, quippe quas mentis proprias esse cum omnibus fere philosophis antiquis agnoscebat, sed earum efficiendarum vim rebus attribuit. Quod maxime perspicuum est ex eo loco, ubi ait eos, qui rei nisi visæ colorem non tribuerent, ex parte verum videre, ex parte falli. Valere enim hoc de eo colore, qui sit κατ' ἐνέργειαν· non valere de eo, qui sit κατὰ δύναμιν. Verba illius sunt hæc: Ἀλλ' οἱ πρότερον φυσιολόγοι τοῦτο οὐ καλῶς ἔλεγον, οὐδὲν οἰόμενοι οὔτε λευκὸν, οὔτε μέλαν εἶναι ἄνευ ὄψεως· τῇ μὲν ἔλεγον ὀρθῶς, τῇ δ' οὐκ ὀρθῶς· διχῶς γὰρ λεγομένης τῆς αἰσθήσεως, καὶ τοῦ αἰσθητοῦ, τῶν μὲν κατὰ δύναμιν, τῶν δὲ κατ' ἐνέργειαν· ἐπὶ τούτων μὲν συμβαίνει τὸ λεχθὲν, ἐπὶ δὲ τῶν ἑτέρων οὐ συμβαίνει. Ἀλλ' ἐκεῖνοι ἁπλῶς ἔλεγον περὶ τῶν λεγομένων οὐχ ἁπλῶς. Quorum verborum sensus est hic: Coloris ipsam formam et speciem eam, quam animo oculorum visus objiciat, esse intra nos, atque adeo dilabi et interire, ubi visio ces-

sarit: in rebus ipsis autem esse vim, quæ animo istam speciem imprimat, eamque vim esse permanentem. Hoc igitur disciplinæ Aristoteleæ proprium erat, quod quum alii ab una eademque causa, scilicet a figura et motu, sensus omnes repeterent, neque ad sonos, et colores, et odores, et sapores gignendos ullas novas et proprias vires in rebus externis requirerent: Aristoteles e contrario singulis sensuum affectionibus, singulas in rebus externis qualitates assignabat.

« Quod intelligitur, primum ex eo, quod Democritum, et atomorum defensores, explicantes saporum colorumque varietates ex figurarum diversitate, oppugnat (libro de sensu, c. 4), utens duplici argumento, et quod colorum saporumque alius alii oppositus sit, ut nigro albus, dulci amarus; figurarum alia alii opposita non sit, et quod figurarum genera infinita sint, colorum saporumque differentiæ finitæ. Deinde in explicanda *visione* cetera obscuriora, hoc perspicuum: Aristotelem rebus tribuere aliquid instar coloris, quod motu et figura nullo modo contineatur. Διαφανὲς enim ait (l. c. cap. 3, et de anima, c. 7) in corpore esse id, quod corpus coloris capax sive coloratum κατὰ δύναμιν efficiat, et accedente luce, coloris ἐνέργειαν gignat: hoc διαφανὲς vult intelligi, ut naturam aliquam propriam, quæ insit rebus adspectabilibus. Denique sensibiles rebus formas tribuit, sensumque statuit esse id, quod aptum sit ad recipiendas istas formas, sed a materie separatas, cui antea infuerint. Ergo ita senserit necesse est: in rebus tot esse diversas inter se formas, quot in nobis diversæ sentiendi rationes: atque ut color a figura disjunctissimus sit in sentiendo, ita formam etiam eam a qua coloris sensus oriatur, prorsus aliam esse ab ea, quæ figuræ notionem imprimat.

« *Academicorum* et *Stoicorum* in *ortu visorum* explicando, parum recessit ratio ab ea, quæ Aristotelis fuit: at in definiendo illorum cum rebus consensu, non tantum ab Aristotele, sed etiam inter se ipsi dissenserunt. *Stoici* enim, primo sensum non modo aptum a re, ut causa, verum etiam ei

similem, ut exemplari statuebant : deinde *visorum* putabant esse distinctionem, respondentem illam rerum ex quibus ortæ essent, diversitati, adeoque visa orta a re vera et præsenti, proprii aliquid habere, quod abesset a *visis* ortis ab interna aliqua causa; eaque *visa*, in quibus illud proprium animadverteretur, *percipi* posse.

« Hæ disciplinæ per plura secula propagatæ, neque auctæ, neque immutatæ sunt. Nimirum percursus erat fere totus opinionum, quæ in hanc rem caderent, orbis; exhausta omnis etiam suspicandi et fingendi materies.

« Postquam *Peripateticorum doctrina* in scholas illata est, præter alias ejus partes, etiam hæc de sensibus perversa et depravata est ab hominibus rudibus literarum, et lingua infantibus. Abusi enim ea sunt *scholastici*, ad omnem causarum explicationem evertendam, et ad tot excogitandas rerum qualitates, quot earum, ad sensus, variæ species et motus allaberentur. Proximo demum seculo reditum est ad physicorum antiquorum doctrinam, eodem fere pristino illo itinere et cursu. Cartesius primus fuit, qui (meditat. VI) perspicue diceret, colores et sonos, et reliquas qualitates, non rerum proprietates, sed sensuum animique motus esse. Diductius hoc et explanatius docuit Malebranchius, cujus est præclarum *de inquirenda veritate* opus : ubi toto libro primo id agit, ut demonstret, non ad rerum naturam cognoscendam, sed ad vitæ nostræ incolumitatem, et utilitates sensus nobis datos esse : ideo illos rerum non *qualitates* internas, sed rationes corpori nostro commodas, aut adversas commonstrare. Qui quidem liber, cum duobus qui sequuntur, dignissimus est qui legatur. Præstant enim et subtili disputandi ratione, et singulari orationis perspicuitate.

« Sententiam autem hanc maximopere confirmarunt inventa optica Newtoniana. Quemadmodum enim, ut diximus, rei mediæ inter sensus instrumentum et rem sensibilem interjectæ animadversio homines prima deduxit ad suspicandam quamdam dissimilitudinem inter φαντασίαν animo per

sensum oblatam, et rei sensæ naturam; ita illius intermediæ rei natura et leges, quoad *visionem* penitius perspectæ, etiam istam dissimilitudinem illustrarunt, et confirmarunt. Nempe observavit Newtonus, colores oriri ex discissione radii luminosi in septem alios simpliciores, eosque coloratos, ex quibus veluti contextus esset. Rebus igitur ipsis colores nullo modo tribuendos esse, nisi quatenus, minutissimarum partium suarum situ et motu, essent aptæ ad radii luminosi hanc vel illam partem, sive absorbendam, sive in spectatoris oculum remittendam.

« His usus est Lockius ad suum de sensibus, et intelligentia, fabricandum σύστημα. Duas ille qualitatum sensu perceptarum classes fecit; quarum altera complectitur quatuor omnium corporum communes, tangendo cognitas, *soliditatem, extensionem, figuram, motum*, quas primarias sive principes appellat, utpote quæ ceterarum omnium causa, et quasi fulcrum sint: altera omnes ceteras comprehendit, secundarias dictas, ut colores, odores, sapores, quæ ex illis pro diversitate instrumentorum sensus orirentur. Id quod plane consentit cum Democriti et veterum doctrina.

« Sequutus est Berkeley, episcopus Cloynensis, vir bonus, philosophus nimis subtilis, qui conscripto Dialogo Hylæ et Philonoi, etiam eas ipsas qualitates, quas Lockius rebus reliquerat, iis detraxit. Etenim speciosis argumentis probare conatus est, qualitates eas quæ tangendo perciperentur, ut *motum* et *figuram*, non magis rebus ipsis tribuendas esse, quam ceteras, ut *sonos* et *colores* : mentis illas esse cogitantis, non corporis ullius affectiones. Qua re totam rerum corporearum naturam sustulit. Quomodo enim comprehenderetur, aliquid esse, cujus qualitas nulla perciperetur? Quod igitur consequens erat doctrinæ suæ, negavit præter mentes quidquam esse in rerum natura.

« Contrariam ingressus est viam Leibnitius, qui fuit ingenio ad contemplanda *universa* rerum *genera*, quam ad *res ipsas* quæ sunt tractandas, propensiori. Hic ergo Platonis

rationem sequutus est hactenus, ut ideas animo inesse quasdam diceret, antiquiores omni sensu, quarum veritas non extrinsecus penderet, sed sua ipsius vi niteretur. Quod autem Plato ideis istis exemplaria quædam subjecerat, naturam habentia sejunctam a corporum, animorumque natura, in eo Leibnitius dissensit, quippe tribuens illas animo, se naturamque suam contemplanti. Non enim, ideas innatas quum dicit, intelligit animo inesse re ipsa cogitationes et notitias, sensum omnem antegressas, sed earum tantum materiem quasi, et subjectum. Quum enim tot notiones, et προλήψεις veniant menti a rebus corporeis; mirum fore ait, si mentis ipsius natura ita esset sterilis et infœcunda ad gignendas quasdam notitias, ut omnes essent extrinsecus, et a corporibus petendæ. Quemadmodum igitur notio figuræ, vel motus habeat subjectum, et exemplar aliquod extra nos positum, perceptum sensuum ad externum illud intentione; ita notionem unitatis, durationis, exsistentiæ habere subjectum, et exemplar intra ipsum animum, quod percipiatur tum, quum animus vi sensuum motus, cœperit ad se ipsum attendere. Quam Leibnitii sententiam esse, ex nullo libro clarius perspicias, quam qui ab eo contra Lockii opus scriptus, nuper a Raspio editus est. Aperte in prolegomenis ideas ait a se innatas appellatas, parum differre a notionibus iis, quas Lockius reflexionis esse dicat. Ita nempe appellat, quas animus aciem suam in se ipsum vertens, per reflexum quasi radium cernat..... Accessit ad argumentum hoc tractandum nuper scriptor Anglus, Thomas Reid (1), vir multæ in rebus naturalibus doctrinæ, multique acuminis; qui totus in eo est, ut philosophandi hac in re subtilitatem, ad sensus communis simplicitatem revocet, rerumque corporearum veritatem ex naturæ motu, cogente nos ut fidem sensibus habeamus, demonstret. In ejus

(1) *An inquiry into the human mind, on the principles of common sense, a new edit. Edinb.* 1818; ex Angl. in Teuton. ling. translat. *Lipsiæ*, 1782, 8 maj. s. t. *Untersuchungen über den menschl. Geist, nach den Grundsätzen des gemeinen Menschenverstandes.*

libro, partes quædam præclaræ, maxime in quibus *de visione* quæritur; summa operis fortasse excidit proposito. Videtur illi accidisse, quod Chrysippo dicitur, ut præstantior fuerit in adversariorum argumentis conquirendis, quam refellendis. Itaque pars ea, qua docet esse in omni sensu ipsam animi cogitationem, et φαντασίαν, diversam a rei externæ proprietate, cujus illa tamquam significatio sit, præclare instructa est, multisque argumentis confirmata: in qua autem patefaciendum erat, qualis posset nobis esse naturæ corporearum rerum cognitio, si sensus ab iis impressus, ab hac natura alienus esset: ea nescio quomodo illi videtur e manibus elapsa. Quod enim rem expediri posse putat, si philosophos, qui colores et sonos in mente esse dicant, in rebus externis esse negent, arguat vim verborum, usumque loquendi evertere, quasi hæc ipsa vocabula non ad mentis in sensu affectionem, sed ad rei diversam ab illa proprietatem, eamdemque sensus affecti causam significandam inventa sint; in eo viri acumen desidero. Nam primum verba, et formæ loquendi fiunt ad *sensus* popularitatem, non ad naturæ veritatem. Deinde fac vocabulum coloris, vi sua significare id, quod sit in re adspectabili, quod oculum in videndo moveat certo modo; non significare id, quod per hujus motus quasi occasionem animo offeratur; num ex eo efficiet, nos re vera notitiam, et comprehensionem habere istius proprietatis, quam coloris nomine vult innui? Nimirum omnia ista vocabula, si ad rerum pertinent proprietates, nihil aliud perhibent, nisi, inesse aliquid rebus, ignotum quale sit, sed cujus nos effecta experiamur. Quæ quidem sententia ea ipsa est, quam studebat refellere.»

Hactenus Garvius. Quæ nuperrime a Kantio, Fichtio, Bardilio, Schellingio, disputata sunt, nota sunt nostratibus ex *critica puræ rationis*, doctrina scientiæ philosophicæ, *Logica prima*, et *philosophia naturæ*. Adde Ven. Reinhard *chr. Moral. Th. II*, p. 206 seqq. ed. tert. HULSEM.

EXCURSUS III


Ad ea Ciceronis verba, Acad. II, lib. I, § 36 :

Cetera autem etsi nec bona, nec mala essent, tamen alia secundum naturam dicebat, alia naturæ esse contraria. Iis ipsis alia interjecta et media numerabat; quæ autem secundum naturam essent, ea sumenda, et quadam æstimatione dignanda docebat, contraque contraria : neutra autem in mediis relinquebat : in quibus ponebat nihil omnino esse momenti. Sed quæ essent sumenda, ex iis alia pluris esse æstimanda, alia minoris. Quæ pluris, ea præposita appellabat; rejecta autem, quæ minoris.

Viam ingredimur et spinosam, et lubricam. Dumeta enim Stoicorum sunt subeunda, per quæ vel nova est exscindenda semita, vel Ariadneum aliquod filum adhibendum, ne incassum erres. Vix autem ullus datur Stoicæ philosophiæ locus, qui magis impeditus sit; nullus, in quo sententiæ veterum magis fluctuent, quam qui est de Officio. Ista quidem ambiguitas ut e re ipsa enascitur, Zenone *media* officia in rebus indifferentibus relinquente : ita magis etiam augetur adversariorum objectionibus; quibus evitandis Stoici subinde istius præcepta vel aliter affecerunt, vel mutarunt; quæ deinde ab auctoribus veteribus, unde ipsa discimus, fere confusa ponuntur. Ægre enim quum hoc caput defenderetur, omnes, ut assolet, viæ tentatæ sunt, quibus id magis firmaretur : quique Stoicorum de eo desperabant, ii vel omnia, præter virtutem et vitium, paria fecere, ut Aristo; vel in hac ipsa re propius se ad Academiam veterem applicarunt, ut Panætius. Cf. Fin. IV, 28, 78, 79.

Nos quidem jam ea decerpamus, quæ ad locum, cujus causa hæc addimus, proxime pertinent: ab ea parte maxime,

qua VV. DD. hærent, eum considerantes. Ut autem singula quæque ad suum quodque genus uno oculorum obtutu referri possint, eorum, quæ loco continentur, veluti stemma apponamus.



Vides in his omnis *Officii*, et *perfecti*, et *medii*, seu *communis*, adumbrationem; qualem vere et plene a Zenone profectam putamus. Nam quæ Sext. Emp. Math. XI, 62, μήτε προηγμένα, μήτε ἀποπροηγμένα addit, ea Zenonem in *nec sumendis*, *nec non sumendis*, reliquisse certus sum: minus enim cum vocis προηγμένου explicatione, quam ille dedit (cf. Fin. III, 16, 52), conveniunt. Latius eadem ipsa apud Diog. Laert. VII, § 101, seqq. enarrantur: sed ita, ut posteriorum Stoicorum additamenta, accuratius quærens, facile dignoscas. Sed hæc jam mittimus. Adjiciamus potius loco, quem tractamus, scholia quædam, ut facilius, quo tendimus, perveniamus.

Quæ Zeno inter Καλὸν et Αἰσχρὸν posita dicebat, ea vel οὐδέτερα, vel μέσα appellabat : unde *medium officium*, Off. I, 3, 4, 5. Diversi autem generis sunt μέσα illa ab his, quæ τοῖς κατὰ φύσιν, et παρὰ φύσιν, interjecta statuit. Quum enim ea nec ληπτὰ, nec ἄληπτα, pronuntiaret (proprie autem Stoici λαμβάνειν pro *eligere* usurpant), posuit in his, τὰ μήτε ὁρμῆς, μήτε ἀφορμῆς κινητικὰ, quale est *extendere*, vel *contrahere digitum*, etc. Diog. Laert. VII, 104; coll. Sext. Emp. XI, 62; quorum ipsorum causa apud eumd. Diog. l. l. duplex ἀδιαφόρων genus ponitur. Quod autem Cicero *sumenda*, *quadam æstimatione dignanda*, dicit, ex eo est, quod duplicis generis ἀξία (ab ipso, ni fallor, Zenone), distinguitur : altera ad Καλὸν ipsum pertinens, quam Laert. l. l. σύμβλησιν πρὸς τὸν ὁμολογούμενον βίον, ἥτις ἐςὶ περὶ πᾶν ἀγαθὸν (inde Fin. III, 10, 34 : « summum bonum plurimi æstimandum » dicitur, sic tamen, « ut ea æstimatio genere valeat, non magnitudine »); altera, ad οὐδέτερα spectans, quam idem Diog. ibid. μέσην τινὰ δύναμιν, ἢ χρείαν συμβαλλομένην πρὸς τὸν κατὰ φύσιν βίον, definit. Inde facile intelligitur, Ciceronem consulto *quadam* et posuisse, et præposuisse, ut hanc distinctionem quasi indigitaret. His præmissis, haud difficile erit verba, « Sed quæ essent sumenda, ex iis alia pluris æstimanda, alia minoris », contra sententiam interpretum post Davisium, philosophiæque veteris enarratorum omnium, plene defendere. Offenderunt enim cum Davisio, quod *sumenda*, *rejecta* dicerentur : quod ille prorsus repugnare pronuntiat, et legi pro *sumenda*, *media* jubet : id quod in texta recepit Gedickius, Hist. Phil. ex Cic. p. 277 seq. multisque confirmare nititur.

Sed primo si correctionis pretium æstimes, nihil eam esse, statim, si ad contexta retuleris, senties. *Media* enim si probaris, nulla alia recte probaris, quam quæ *nec sumenda sint*, *nec non sumenda* : his autem Stoici æstimationem nullam concedebant. At *rejecta* non sunt, quæ *minoris æstimentur*, sed in quæ nulla omnino æstimatio cadere possit. Recte quidem, si vocem crassius acceperis. At

rejecta modo ex oppositione *præpositorum* dicuntur, quum *reposita* Cicero, ob vocis ambiguitatem, dicere nollet. Hinc alibi eadem *remota* (i. e. quibus remotior est æstimatio), vertit, *promotis* opponens, et sic προηγμένα et ἀποπροηγμένα ad verbum vertens; cf. Fin. III, 16, 52. Sunt igitur ἀποπροηγμένα, quorum æstimatio sit *remotior*, vel *rejectior*. (Sic *rejici in postremam aciem*, etc. dicitur). Quod idem docet vocum græcarum derivatio, quæ l. l. reperitur. Si enim ἀποπροηγμένα iis comparantur, qui remoti sunt a secundo post regiam dignitatem loco; atque ita non proxima sunt post bonum et honestum æstimatione: hac ipsa de causa non omni prorsus æstimatione privantur. Hinc inde est, quod recte Sext. Emp. Pyrrh. III, 191, ἀποπροηγμένα, τὰ μὴ ἱκανὴν ἀξίαν ἔχοντα, definit. Ad hæc si ipsam eorum, quæ *rejecta* dicuntur, vim apud Zenonem consideraris (dolor enim, paupertas, morbus, et talia, intelliguntur); quippe qui hæc ipsa, temporibus incidentibus, eligenda statuat: non poteris, quin horum, quæ hucusque disputata sunt, probabilitatem agnoscas.

At sunt quædam et Ciceronis, et aliorum, loca, quæ his adversari videantur! Sic illo ipso loco, quem laudavimus, Fin. III, 15, 51, *æstimanda*, et *nulla æstimatione digna* sic ponuntur, ut illis *præposita*, his *rejecta* intelligantur; cf. ibid. 17, 56. Et Sext. Emp. adv. Math. XI, 62: τὰ ἱκανὴν ἀπαξίαν ἔχοντα τοῖς ἱκανὴν ἀξίαν ἔχουσι eodem modo opponuntur, quo Stob. Ecl. Eth. p. 174: πολλὴν ἀξίαν ἔχοντα, et πολλὴν ἀπαξίαν ἔχοντα; atque Laert. VII, 108: τὰ ἔχοντα ἀξίαν, et τὰ ἀναξίαν (scr. ἀπαξίαν) ἔχοντα, distinguuntur. Sed si diligentius attenderis, hæc παχύτερον, et oppositionis causa, dicta putare licebit, ut, quum *æstimanda* simpliciter ponantur, et pluris æstimanda intelligantur, *nulla æstimatione digna*, ea sint, quæ, illis comparata, parum æstimationis mereantur. Eodem modo ἱκανὴν ἀπαξίαν, vel πολλὴν ἀπαξίαν ἔχοντα, ea erunt, quæ, collata cum *præpositis*, magis dedignanda, quam æstimanda videantur. Ita sane et in loco, quem tractavimus, *rejecta* sta-

bit; neque erit justa ratio, cur cum eodem Davisio apud Sext. Emp. Pyrrh. III, 191, τὰ ἱκανὴν ἀπαξίαν ἔχοντα corrigi malis. Goerenz.

EXCURSUS IV

Ad ea Ciceronis verba, Acad. II, lib. I, § 39 fin.

Officia...... media putabant.

Recte facta, κατορθώματα vocabant Stoici; *officia* vero καθήκοντα, eaque τῶν μέσων esse contendebant. Audi Cic. de Fin. lib. III, 17, pag. 340, ed. Bremi, « Sed quum, quod *honestum* sit, id *solum bonum* esse dicamus, consentaneum tamen est, fungi *officio*, quum id *officium* nec in bonis ponamus, nec in malis. Est enim aliquid in his rebus *probabile*, et quidem ita, ut ejus ratio reddi possit; ergo, ut etiam probabiliter acti ratio reddi possit. Est autem *officium*, quod ita factum est, ut ejus facti *probabilis ratio* reddi possit. Ex quo intelligitur, *officium medium* quoddam esse, quod neque in bonis ponatur, neque in contrariis ». Coll. Diog. Laert. lib. VII, s. 107: Ἔτι δὲ καθῆκόν φασιν εἶναι, ὃ πραχθὲν εὔλογόν τινα ἴσχει ἀπολογισμόν· et de Finibus, lib. III, 18 (pag. 341, edit. Turicens.): «Videmus esse quiddam, quod recte factum appellemus... perfectum officium, erit autem etiam inchoatum, etc.» coll. Heusing. ad Offic. lib. I, 3 sq. Ceterum bene observat Bremi: duplex esse καθήκοντος genus, alterum καθῆκον μέσον, alterum κατόρθωμα, s. *recte factum* Ciceroni appellatum. Illud autem κ. μ. *commune officium*. Sed hoc κατόρθ. ab ipso virtutis fonte profluit, velut liquor illimis, nitidis argenteus undis. Agmen claudat testium hujus notionis Stobæus Sermonum lib. II, pag. 174, Canter.

Τῶν δὲ καθηκόντων τὰ μὲν εἶναι φασὶ Στωϊκοὶ τέλεια· ἃ δὴ καὶ κατορθώματα λέγεται. Κατορθώματα δ' εἶναι τὸ κατ' ἀρετὴν ἐνέργημα, οἷον τὸ φρονεῖν, τὸ δικαιοπραγεῖν· οὐκ εἶναι δὲ κατορθώματα τὰ μὴ οὕτως ἔχοντα, ἃ δὴ οὐδὲ τέλεια καθήκοντα προσαγορεύουσιν, ἀλλὰ μέσα· οἷον τὸ γαμεῖν, τὸ διαλέγεσθαι, τὰ τούτοις ὅμοια. Coll. Clem. Alexandr. Stromat. lib. VI, pag. 796. DAVIS.

EXCURSUS V

Ad ea verba Ciceronis, Acad. II, lib. I, § 41:

Comprehensibile. Feretis hæc? — Nos vero, inquit. Quonam enim modo καταληπτὸν *diceres?*

Cicero sollicitus erat de apta interpretatione harum vocum græcarum. Similis diligentiæ exemplum in vertendis philosophicis terminis dedit, de græcis literis immortaliter meritus, Henr. Stephanus, qui ad Sext. Emp. l. I, sect. 2 (pag. 199 edit. Fabricii, ad v. καταληφθῆναι), hæc observavit, huc quam maxime ad illustrandas voces Stoicas facientia:

« Pro *comprehendi* potuissem etiam uti infin. *percipi*, vertens καταληφθῆναι. Cicero enim utroque sine discrimine utitur, aliquando tamen ad majorem expressionem ea copulans. Sic κατάληψιν vertit, tam *perceptionem*, quam *comprehensionem*, atque adeo *cognitionem;* ita tamen, ut κατάληψιν (ad verbum) sonare *comprehensionem* fateatur. Jam vero et καταληπτὸν alicubi quidem per periphrasin, *quod comprehendi possit*, item, *quod percipi possit*, interdum vero et uno verbo *comprehensibile* reddit, sed petita ante venia. At ἀκατάληπτον itidem una voce *incomprehensibile* nusquam ab eo dictum comperio; quo tamen, analogiam sequens, uti minime dubitavi. At vero ἀκαταληψίαν non item *incomprehensibilitatem* interpretari ausus sum. Sciendum est, repe-

riri etiam ἀκαταλήπτῳ, quum apud alios, tum apud hunc nostrum Sextum, idem valens quod οὐ καταλαμβάνω, *non percipio*. Porro Ciceronianis hisce interpretationibus licebit fortasse aliquam addere, ut καταληπτὸν, non solum *comprehensibile*, sed etiam *perceptibile* : et ἀκατάληπτον non tantum *incomprehensibile*, verum etiam *imperceptibile* vertamus. Paupertate sermonis (latini) laboramus. Ut in Lucullo Cicero vult κατάληψιν esse *cognitionem*, *perceptionem*, *comprehensionem*, ita alibi jungit *nosci*, *percipi*, *comprehendi*; vid. cap. 8. In uno loco Cic. dicit, *nosci*, *percipi*, *comprehendi*; in altero *comprehensi*, *percepti*, *cogniti* distincte ponit, quum alibi ea ἰσοδύναμα esse voluerit, et nobis κατάληψιν vel *cognitionem*, vel *perceptionem*, vel *comprehensionem* interpretari permiserit. Nam Cicero, quum nobis liberum facit, κατάληψιν aut *cognitionem*, aut *perceptionem*, aut *comprehensionem* vertere, horum trium optionem nobis dat, tamquam quæ sensum eumdem efficiant, accipiendo verbum Stoicorum latius et generalius, non autem ejus etymologiæ insistendo. Pro Cicerone facit Galenus, qui καταληπτὸν simpliciter exponit γνωστόν. Dicit enim : Ἐγὼ δ' οὔτ' ἄλλο τι καταληπτὸν ἡγοῦμαι σημαίνειν παρὰ τὸ γνωστόν· οὔτ' ἄλλο τι τὸ καταλαμβάνεσθαι, τοῦ βεβαίως γινώσκειν· ἀνάλογον δ' αὐτοῖς λέγεσθαι τήν τε κατάληψιν, καὶ τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν. Ita Cicero simpliciter dicit *cogniti*, nec tamen ad quamlibet *cognitionem* retulit, sed *firmam* ac *stabilem* intellexit. Gellius, Ciceronem imitatus, ad verbi καταλαμβάνεσθαι interpretationem, duos adjunxit *nosci* et *percipi* infinitivos. Porro Lucianus (in βίων πράσει) introduxit scepticum philosophum mercatori respondentem, se omnia præstare posse, præterquam δραπέτην μεταδιώκειν, et causam reddentem, ὅτι οὐ καταλαμβάνω. » Hactenus H. Stephanus.

J. A. Fabricius adv. Math. lib. VII (seu adv. Logic. lib. I, sect. 283) observat : Passim distinguere Sext. Emp. ἀνεπινόητον, et ἀκατάληπτον (vid. ad Pyrrh. Hyp. lib. II, s. 22). Nimirum illud est, « cujus nulla est notio »; hoc autem, « quod ratione et sensibus non potest comprehendi », scil.

tale esse, et exstare in rerum natura, quale per notionem intellectui offertur. Conf. Stäudlin *Gesch. d. Skepticism. Th. I, S.* 271. HULSEM.

EXCURSUS VI

Ad ea Ciceronis verba, Acad. II, lib. I, § 41:

Quod autem erat sensu comprehensum, id ipsum sensum appellabat.

Id maxime Stoicorum disputata obscuriora reddit, quod tot voces ab his, brevitatis causa, κατ' ἐξοχὴν ponuntur: cui rei nisi accurate attenderis, non poteris, quin sæpe in eorum φιλοσοφουμένοις et hæreas, et erres. Hoc ipsum est, quo se philosophiæ hujus enarratores passim in difficultates induerunt, quæ nullæ sunt: cujus rei exempla ad lib. III et IV de Finibus plura dabimus. Erat autem omnino hoc Stoicorum proprium, ut contorte complicateque dicerent: unde facile factum est, ut, notionibus etiam accurate constitutis, tamen voces apud eos præ ceteris frequentatæ ita multivaga vi ponerentur, ut unice ex contextis, quid quoque loco iis significaretur, et vel sic difficulter, conjici liceret. Hinc inde etiam illud est, quod vocibus iis, quæ in disputatione post singula pæne verba recurrebant, sensum quemdam prægnantem addebant; ne notiones toties plene indicatæ auribus tædium crearent: copiam enim varietatemque in dicendo parum curabant. Ita v. c. vox φύσις est, quæ apud eos tam vage usurpata, toties etiam κατ' ἐξοχὴν de *hominis natura* dicitur; ita φαντασία, quæ tam sæpe pro φαντασίᾳ καταληπτικῇ, id est, *viso, quod percipi comprehendique potest* (quod idem Cicero in Lucullo imitatus, haud raro simpliciter *visum* di-

cit) : ita denique, ut ad rem ipsam veniamus, αἴσθησις, quæ, apud eosdem itidem multiplici vi posita (vide ad § 40), præcipue de αἰσθήσει καταληπτικῇ adhibetur; vel, ut auctor dicit, *sensum id appellabant, quod erat sensu comprehensum*, i. e. καταληφθέν. In ipso autem animo Stoici *sensum* collocabant; idque inde maxime, quod, ut omnia omnino, sic animum quoque materiam esse statuebant: facta igitur in eo quadam visi impressione proprie, tum demum sensum hunc oriri dicebant; reliquos animi actus, qui sensationem hanc interiorem præcedunt, πάθη appellantes. Plut. Plac. Phill. IV, 12, et sæpius. Hæc ipsa τύπωσις quum ab adversariis, crassius accepta, vexaretur, Chrysippum commovit, ut ejus loco ἀλλοίωσιν, vel ἑτεροίωσιν poneret; cf. Laert. VII, 50; cll. Sext. Emp. Math. VII, § 229, seqq. qui tamen vel hoc ipsum ὑλικῶς accipere debebat. Quod si igitur *visum* illud impressum ex perceptis comprehensisque erat, necessario etiam *sensus*, qui consequebatur, talis esse debebat. Hinc recte illi αἴσθησιν, hoc prægnanti sensu, in ἡγεμονικῷ ponebant, Laert. VII, 72 : qua in re tot VV. DD. offenderunt; sed hoc ex notionum nexu facile explicanda. Hac autem uberiore vi illi vv. *visum*, et *sensus*, potissimum in defendenda φαντασίας καταληπτικῆς definitione (cf. Lucull. § 18), per Academiam recentiorem tantopere impugnata, usurpabant: idque tum quasi jure quodam suo; quia hac ipsa in re proprie de *viso* et *sensu*, qualis in sapiente esse deberet, agebatur, in quem ex eorum mente non nisi percepta et comprehensa cadebant. His, quæ pressius disputavimus, accurate ubique adhibitis, complura veterum loca lucem suam recipiunt, hucusque addubitata, vel etiam correcta. GOERENZ.

M. T. CICERONIS

ACADEMICORUM

POSTERIORUM

LIBER II

QUI INSCRIBITUR LUCULLUS

JO. AUG. GOERENZ

INTRODUCTIO

IN LUCULLUM.

Unum est maxime, quod huic libro præmonendum esse judicavimus. Quum enim in ipso toties lectores ad prioris diei disputata remittantur, quærendum esse videtur, quodnam prioris libri, qui periit, *Catulus* inscripti, argumentum fuerit. Quo quidem, quantum licet, cognito, non poterit, quin tutius certiusque judicium de hoc Lucullo ipso ferri liceat. His igitur locis, quibus passim in hoc ad illum respicitur, velut fundamento innixi, videamus, quantum in eam rem conjectura effici possit.

Quintum igitur Catulum, in cujus villa iidem hi principes Romanorum viri convenerant, qui die post in ea Hortensii una fuisse narrantur, illo in libro primas egisse, vel ex ipsa ejus inscriptione patet. Videtur hic autem brevi totius et veteris, et recentioris Academiæ descriptione, qualis etiam in alterius IV librorum editionis fragmento superest, præmissa, in accuratius enarranda et confirmanda Carneadis sententia substitisse, quippe quam a patre didicisse, et hunc ubique ejus auctorem præ se tulisse, fingatur, § 12 et 148. Neque facile aptior ad hæc tractanda accessus excogitabitur. Proposuisse vero eum plenam Carneadis sententiam, ex eadem ab ipso in breve contracta in fine Luculli, § 148, ut etiam ex verbo *revolvor*, quo ibidem utitur, apparet, utpote quo ad ea, quæ pridie disputaverat, respexisse, jure putandus sit. In ipsa autem hac disputatione necessario ipsi ad eos quoque respiciendum erat, qui ab hac sententia vel parum, vel plane, discesserant, Philonem et Antiochum. In quo sic egit, ut Philonem rationibus

Antiocheis, quoad eas suas facere poterat, ex eadem patris disciplina, refutaret § 12. Defensionem autem duorum istorum suscepisse videntur Cicero et Hortensius; ita quidem, ut ille, pariter atque in Lucullo, Philonis partes tueretur, et tum, *loco non necessario* (habebat enim consentientem adversarium), tam multa contra sensus disputaret; vid. § 79, cll. § 56-60. Hortensium autem Antiochi rationes, et eas quidem maxime, quibus hic in *Soso*, libro, contra Carneadem usus erat, exposuisse, ex eo satis probabile redditur, quod hic § 10, plus, quam vellet, fecisse dolet, quum *res tota Lucullo integra servari* debuisset. Ita sane, quod alias difficilius perspectu fuerit, sua sponte intelligetur, quo modo tres, contra reliquam fere dialogorum Ciceronianorum consuetudinem, quasi primarias partes tueri eodem in libro potuerint: quum alias plerumque uno adversario res transigatur. Lucullus autem hoc in sermone interlocutoris modo personam sustinuisse, atque sua in proximum diem reservasse videtur, § 10.

Ita quidem via quasi sermonis hujus, quantum ex paucis istis, quæ restant, vestigiis licebat, expedita, haud parum lucis ad plenius de Lucullo, qui superest, judicium ferendum exoritur. Non enim amplius miraberis tot, quibus recentioris Academiæ natura accuratius perspiciatur, in hoc vel sicco pede esse præterita, vel transeundo monita, vel denique verbo tantum indicata.

Sed age hæc ipsa, quantum conceditur, paulo pressius persequamur. Primum recentioris Academiæ caput de fraude sensuum erat: in quo Carneades Arcesilæ rationes subtilius elimaverat; cf. Tennem. *Geschichte der Philos.* tom. IV, p. 336 seqq. Has autem ipsas a Catulo priore in libro accurate fuisse enarratas, luculenter ex § 42, 43 perspicitur. Auxerat eas etiam Cicero aliis quibusdam rationibus, haud dubie Philonianis: quas quum Lucullus (Antiochi haud dubie exemplo) negligentius præterisset, lacerari inde causam queritur § 79. Sed tetigerat, nisi fallor, Hortensius, ex parte

certe, eamdem rem pridie pluribus § 18. Cardo deinde philosophiæ recentiorum Academicorum in infirmanda Zenoniana φαντασίας καταληπτικῆς definitione cernitur. Hæc in Lucullo unice contra Philonianas objectiones defenditur; cf. § 18 seqq. « Omnis oratio contra Academiam suscipitur a nobis, ut retineamus eam definitionem, quam Philo voluit evertere ». At in hac evertenda laborabant etiam Carneades et Arcesilas! Ad solum igitur Philonem hæc applicantur. Inde satis probabile fit, rationes eas, quæ Antiochi contra Carneadem erant, pridie ab Hortensio esse expositas : alias enim sane hic locus in non plene tractatis ponendus fuerit. Quæ, tertio loco, dogma illud spectant, *percipi nihil posse;* in quo defendendo omnis hujus Academiæ vis cernebatur, cujusque rationes Carneadis acumen quam maxime expoliverat (cf. Sext. Emp. Pyrrh. I, 227) : huic Hortensius illud Antipatri Antiochique opposuerat, hoc ipsum certe dogma ab illis, ut perceptum, poni debuisse § 28. Porro illius πιθανοῦ, quod idem Carneades τῷ καταληπτῷ cum triplici distinctione opposuit, quam obscure ejus mentio injicitur § 35, et alibi? Sed pridianus sermo satis hæc triverat, ut jam paucorum verborum opus esset ad memoriam istorum refricandam. Denique, ut unum adhuc addamus, illud Carneadis proprium, quo *opinari* sapienti licebat; ita tamen, ut, opinari se, intelligeret § 148, præ ceteris, si, quæ posuimus, vera sunt, in priori libro ab utraque parte expendendum fuerat. Atque en tibi § 59 hæc : « de Carneade heri disputatum, eum solitum interdum eo delabi, ut diceret opinaturum, id est, peccaturum esse sapientem ». Ex his clare patet, ab utraque parte hoc caput pridie esse tractatum. Id enim, Catulo probante, et Ciceroni Philonis (§ 68, et sæpius), et Hortensio Antiochi rationibus oppugnandum fuerat. Atque inde etiam fit, ut ubique in Lucullo prætereundo tantum hujus rei mentio injiciatur.

Sed paucis modo lineis adumbrare voluimus, quæ, si opus esset, longe accuratius tractari poterant. Hæc enim

sufficere videbantur ad obscuritatis causam in tot Luculli locis a Cicerone amoliendam, et omnino tutius judicium de hoc ipso libro ferendum. Clarius etiam hoc, quod ex parte jam Tennemannus aliique viderunt, patebit, sola in Lucullo Antiochea et Philoniana tractari: eaque, ni penitus fallor, vel de his valere, quæ Carneadis et Clitomachi afferuntur, v. c. § 99 seqq. et § 103, etc. solam deinde vestem, id est, sermonis colores, auctori deberi; nisi quod multa ad verbum etiam versa ex illorum libris intexta deprehenduntur, ad quæ suo loco in adnotatione respeximus.

Unum hoc addamus, apte et ingeniose finxisse Ciceronem, in priore libro Catulum, in posteriore Lucullum; illum Carneadis sententiam a patre, hunc Antiochi, ab eo ipso, cognovisse: ut uterque horum ista ex memoriæ thesauro promere videretur, quum neuter ex philosophiæ studio cognitus esset. Att. XIII, ep. 16. (Quo tamen loco tenendum est, ἀτριψίαν illam non sic accipiendam esse, ac si hi harum rerum plane rudes fuerint. Tetigerant ea olim in juventutis studiis, ut cultiores Romani tum fere omnes: sed seniores ipsa neglexerant; id est, eruditi erant, non docti.) Inde tantopere etiam illa *rerum memoria* in Lucullo celebratur, quæ alias in hoc viro, de quo Cicero in tot ad Atticum epistolis longe secus judicat, laudem tam benignam vix reperisset.

ARGUMENTUM

LIBRI SECUNDI ACADEMICORUM.

Procemium in L. Luculli laude versatur, cui adjuncta est auctoris defensio, cur ipse in philosophia civibus suis enarranda potissimum laboret. Laudatur autem Luculli ingenium ut eximium, et studio doctrinaque rite excultum : parum tamen in forensi opera cognitum, quum a prima inde ætate virtus ejus in provincialibus fere muneribus occuparetur. Maxime autem illud enituisse bello Mithridatico : ad quod gerendum missus, in imperatoria arte, quum justum nondum exercitum duxisset, omnium tamen exspectationem vicerit : ingenii enim ejus vim exercitatione et usu facile caruisse. Ita domo profectum artis imperatoriæ pæne ignarum, audiendo, legendoque harum rerum peritos, tantopere profecisse, ut perfectus imperator in Asiam pervenerit. Quam in rem ei singularem memoriam rerum usui fuisse, similem ei, qua Themistocles polluerit, non ei, quæ Hortensio præsto fuerit, quæ potius fuerit verborum, § 1, 2. Tantum autem Lucullum in omni laude imperatoria fuisse, ut ipse Mithridates eum omnibus omnium temporum ducibus prætulerit. Sed dolendum esse, virtutem ejus non æque in foro, et curia spectatam, quum vel, ex quo victor redisset, per triennium a malevolis impediretur, quo minus urbanis reip. negotiis interesset, triumpho ipsi recusato : quem eidem demum auctor ipse, consul, quum expedisset, egregia ejus opera in rep. gubernanda adjutum se testatur, § 3. Alias vero etiam laudes Lucullo fuisse, paucis cognitas, in iisque studium quum literarum omnium, tum etiam philosophiæ: quod vel in ipsis castris non neglexerit. In primis autem eum se ad partes Antiochi, Ascalonitæ, applicuisse, quippe quem et quæstor, et imperator, secum habuerit; atque ita philosophiæ hujus rationem, vi illa memoriæ adjutus, facile perdidicerit. Lectitasse eumdem etiam studiose libros, interiore nota commendabiles, § 4. Sed vereri se dicit auctor, ne virorum magnorum laudi, si literarum in iis studium celebret, magis officiat, quam prosit : atque ita transit ad alteram exordii partem. Esse enim triplicis generis homines, qui partim omnino græcas literas contemnant; partim seorsim philosophiam non probent;

partim denique summorum in civitate virorum personis non satis dignum judicent, si hi ejusmodi de philosophia, in primis Academica, sermonibus implicentur: quibus singulis respondet § 5, 6, 7. Defendit se postremo contra eos, quibus Academiæ recentioris ratio non placebat, § 7, 8, 9.

De hac re, ut alibi, ita in villæ Hortensianæ xysto, præsentibus Catulo et Lucullo, esse quæsitum. Catulum enim, etsi quidem hesterna sibi quæstione satisfactum fateretur, tamen cupidum se eorum ostendisse, quæ Lucullus Antiochi contra hanc Academiam disputata promisisset. Hortensium etiam ab eodem exquisitiora, quam quæ ipse heri proposuisset, exspectasse. Ita quidem confidenter aggressus est disputationem Lucullus, ut qui alterius sententiam, eamque sæpius, nec sine studio auditam, propositurus esset, § 9, 10.

Origine igitur dissensionis inter Antiochum et Philonem, ejusque causa enarrata, qua, *Sosum*, librum, Antiochus ut scriberet, commotus esset; variaque occasione, qua ipsum ille Antiochum audierit, indicata : de re ipsa ita se dicturum recipit, ut ea prætermittat, quæ hic contra Philonem ipsum disseruerit, quippe quæ et hesterno jam die commemorarit Catulus, et ipsa per se, licet argumenta sua fingentem, parum tamen acrem adversarium prodant, § 11, 12.

Sequuntur jam ipsæ Antiochi, quibus Academia recentior impugnatur, rationes, usque ad cap. 19, refutatæ deinde, ex Philonis sententia, per Ciceronem, cap. 20-48.

Novo Lucullus capto exordio, recentiores Academicos, nominatimque Ciceronem, in abutendis veterum philosophorum nominibus seditiosis tribunis plebis comparat. Ut enim hi summorum exempla antiquitatis virorum in suam rem citra jus trahant; ita istos illorum auctoritate se tegere : qui quidem de fallacitate sensuum conquerantur; sed philosophandi subtilitate parum tum expedita. Eximendum autem ex illorum numero, propter illam ejus ironiam, Socratem et Platonem, a quo per Academicos et Peripateticos, re consentientes, absolutum philosophiæ σύστημα profectum sit, § 13, 14, 15. Atque si vel veteres philosophi rationes illas, quibus veritas sensuum probatur, ignorarint, multa tamen investigata esse, ex quo Arcesilas Zenoni adversarius exstiterit; Lacyde, Carneade, Clitomacho,

Charmada, Philone, acutis hominibus, veritatem sensuum impugnantibus, § 16, 17. Et esse quidem haud contemnendos philosophos, qui contra hos, nihil ut certum probantes, ne disputandum quidem esse, statuerent : alios, id faciendum quidem esse, ne qui decipi se paterentur : maximam tamen partem eorum eamdem rem probam atque honestam judicasse. Nihil autem dicere Philonem, καταληπτὸν omne negantem, si Zenoniana illa *visi* definitio valeat : redire enim rationem ejus in circulum. Omnem igitur disputationem contra hanc Academiam eo tendere, ut definitio illa probetur, quam Philo sublatam voluerit, § 18.

Disputatio jam ipsa, a sensuum veritate egressa, judicia eorum ita clara et certa esse proponit, ut melior eorum conditio ne optari quidem possit, si integri illi sint, et valeant, nec ulla re impediantur, § 19. Augeri etiam vim sensuum arte; ut in pictoribus, et musicis videre liceat. In ipso gustu et odoratu judicium cerni subtilius, quamquam id plerumque per abusum : et in tactu interno solo poni Cyrenaicis veritatis criterium, § 20. Ejusmodi esse quoque ea, quæ sensibus non proprie percipiantur, ex sensuum judiciis oriunda : ut album, canorum, etc. et sic deinceps, usque dum plena mentis notio coeat, § 21. Quæ notiones (ἔννοιαι), si vel falsæ essent, vel a falsis non discernendæ, sine omni usu forent, quum intelligi non posset, quo modo notio cum re conveniat, aut ab ea discrepet. Memoriæ certe locum non esse, quæ nulla sit falsorum : igitur etiam non artem, quæ, nisi multis perceptis, cogitari nequeat, § 22. Id quidem in virtute cognoscenda valere maxime; quippe in quam, quum stabilis immutabilisque judicetur, scientia unice cadat. Idem etiam ex viri boni notione intelligi. Sapientiam denique nullam esse, si ipsa vage et sentiat, et agat, nec a certo principio proficiscatur; sine quo ne impelli quidem ad (recte) agendum animus possit. Rationem adeo ipsam tolli, qua virtus perficiatur, § 23-27. Sique omnia visa (ex Philonis sententia) vel falsa esse possent : nec notiones discernendi rationem dari, nec philosophiam, neque denique sapientiam : cujus decretorum nullum sine scelere prodi liceat; quæque omnia tam certa esse debeant, ut nulla ratione moveri possint, § 27. Inde hoc esse, quod heri Hortensius, Antipatri exemplo, id certe a sapiente perceptum poni voluerit, nihil posse percipi : cui acute occurrerit Carnea-

des, quum tale quid plane inconsentaneum et repugnans diceret. Antiochum autem idem accuratius esse rimatum. Quum enim Academici hi dogmatis loco ponerent, nihil posse percipi; verique constitutio totius philosophiæ regula sit; hoc certe eos dogma in perceptis relinquere debuisse, § 28, 29.

Escendit jam disputatio altius, et naturam hominis ipsam spectat : quanta perfectione sit quum animans omne, tum homo potissimum; quæ vis in sensibus, et mente, quæ sensuum fons sit, vel ipse potius sensus; quaque homo ad scientiam, vitæque constantiam sit aptissimus. Evertere ergo eos, qui comprehendi quidquam posse negent, vitam, et orbare animantem animo, § 30, 31. (Hæc contractius Lucullus, ne ansas adversariis ex rerum abstrusitate præberet.)

Negatur deinde apparere, quo consilio isti sic statuant, aut quid intendant. Si enim queraris, incerta fere omnia, si quæ statuant vera sint; tum istos, id nihil ad sese, nec hanc ipsorum culpam esse, sed naturæ. Alios argutius facere, qui inter incerta, et ea, quæ percipi non possint, distinguant, probabile quiddam statuentes criterii utriusque (veri, vitæque) loco, § 32. Sed nullum dari criterium notione veri falsique confusa; ne ullam veritatis notam quidem. Nam ineptum hoc esse, si dicant, reliquis admissis, id unum se non concedere, posse quidquam (verum) videri, quod non æque falsum quoque videri possit, quum id tollant, a quo solo omne veri judicium pendeat. Semper igitur ad visi definitionem (a Zenone propositam) revertendum esse : in qua si communitas cum falso admittatur, veri falsique judicium, confusis veri falsique notis, nullum erit, § 33, 34. Similiter errare eosdem, quum perspicua a perceptis distinguere conentur, et verum in animo quidem impressum, sed quod percipi non posset, dicant : nullam enim rationem esse, unde verum menti impressum, statuas, si dijudicari nequeat, vere, an falso animus sentiat, § 34.

Sed si quæras, qualenam illud istorum probabile sit? sive, quod cuique, primo velut adspectu, objiciatur, id tale accipiant; sive circumspecto judicio consideratum: tamen eos hærere, quum partim visa, quibus nulla adsit judicandi norma, omni fide careant; partim quod sapientem, etsi quidem diligentissime caverit, tamen errare posse dicant : ita enim omnem veri inveniendi per-

ire fiduciam. Plane autem esse absurdum, rei alicujus signum (ut verum) sequi, quod vel falsum, vel nihil plane esse possit, § 35, 36.

Adduntur his, satis dijudicatis, pauca de συγκαταθέσει, quum ea res antea in veritatis sensuum defensione jam præmunita sit; quumque animal non possit, quin agat, id est, sentiat, et assentiatur. His igitur animum pæne eripi, quibus isti nec sensus (certos) nec assensionem concedant. Ut enim lanx libræ pondere addito deprimatur, ita animum adigi, ut perspicuis cederet, eaque approbaret. Sequi inde etiam, sine assensione constare nec memoriam, nec notiones communes, nec, quæ ex his constant, artes posse: et, quod gravissimum sit, nihil in potestate nostra esse, si assensus omnis cohibendus sit. Ita virtutem esse nullam, quippe quæ sola in nobis posita sit. Tolli igitur agendi rationem et viam, si visi veritas assensusque tollatur, § 37, 38, 39.

Jam ipsæ adversariorum rationes propius spectantur, præmissa totius eorum contra visorum veritatem συστήματος adumbratione. Definiri visorum vim, et genera sic, ut τὸ καταληπτὸν iisdem prorsus cum stoicis verbis ponatur. Addi duo, in quibus totius quæstionis caput versetur. Alterum: Quæ visa ita sensibus se offerant, ut alia visa eodem prorsus modo, et sine ulla differentia, sensibus æque se offerre possint: non eorum posse hæc percipi, illa non percipi. Alterum: Sine ulla differentia non solum ea esse, quæ plane ejusdemmodi sint, sed ea quoque, quæ discerni nequeant. His præmissis, complecti eos totum causæ argumentum una conclusione; cui alia duo (consectariorum loco): Quæ visa sensibus offerantur, eorum alia vera, alia falsa esse: et, Omne visum tale esse, ut, quum a vero sit, a falso quoque possit esse. Hæc duo accurate et distincte tractari. Primum de sensibus; deinde, quæ ad sensus, et omnino ad consuetudinem (cui confidi nolint) pertineant: tum eo descendere, ut, ne ratione quidem et conjectura percipi quidquam posse, statuant. Hæc in suas quæque partes diligenter dividi, eorumque singulis in partibus id agi, ut efficiant, omnibus veris visis, alia falsa adesse, quæ a veris discerni nequeant: ut nihil comprehendi possit: § 40, 41, 42.

Hæc excogitata quidem esse subtiliter; sed hanc ipsam subti-

litatem ad causam ipsorum quadrare minime. Sic enim versari iis modo licere, qui his, quæ disputent, ut firmis certisque confidant: non iis, qui, hæc ipsa nec vera, nec falsa esse, jactent, § 43. Nam si vel dixerint, hæc sibi esse perspicua, nec, ut falsa, apparere, tum nihil aliud dixerint, quam se hæc comprehendere. Si vera visa a falsis distinguendi facultatem negarint, nullam admitti ulterius concludendi viam; quum conclusio locum habere nequeat, nisi præmissis accurate probatis. Pugnare autem secum maxime, si ratione a comprehensis rebus profecta concludatur, nihil comprehendi posse. Sed errorem eorum clarissime tum apparere, ubi hæc duo, *Esse quædam falsa*, et, *Inter falsa ac vera visa nihil differre*, tamquam convenientia (auctore Philone) ponant; quum in enunciato priore differentia sumatur, in posteriore tollatur, § 44.

Jam singulis adversariorum argumentis examinandis hoc præmittitur. Esse quidem perspicuitatem (ἐνάργειαν) per se tanta vi, ut res, quales sint, vere indicet: diligentia tamen, arte adjuta, opus esse, quo firmius in perspicuis perstes: idque Epicuri exemplum monere. Adversari autem ἐναργείᾳ duo maxime: primum non satis attendi ad ea, quæ perspicua sint: deinde deseri veritatem ob fallaces quasdam ratiunculas, contra quas armatos esse oporteat, § 45, 46.

Sequuntur deinceps argumenta illorum ipsa. I. Multa a rebus vere profecta videri posse, licet plane sint inania: moveri enim animos rebus talibus, quæ per se nullæ sint, non secus ac si vere sint. Ejus generis esse visa somniorum, oraculorum, auspiciorum, extorum, si a deo profecta credantur. Nam non apparere, quomodo ea deus, si falsa (i. e. non re comprobata) sint, facere probabilia possit (sc. ut talia habeantur): talia autem, quæ quam proxime a vero absint, efficere non possit. (Si enim posset, mitteret, quum jam ex remotiori conjectura nascantur). Et si vel hæc possit, cur illa non (proxime ad verum ut accedant, efficere) possit, quæ internoscantur quidem, sed perdifficiliter: et si hæc etiam, cur non talia, ut (inter hæc et verum) nihil plane intersit, § 47. — II. Quum mens sola vi sua moveatur, ut in abstracta cogitatione, in somno, in furore, sæpe fit, probabile sane esse, eam sic quoque moveri, ut verum a falso dignoscere plane nequeat, ut in tremore et pallore ex re subita orto, etc. — III. Si

nulla visa sint probabilia, alia ratione, quæ falsa sint, quæri debere. At si probabilia vere sint; posse etiam esse, quæ (vera falsane sint) difficile dignoscantur : posse esse, quæ plane dignosci nequeant, idque maxime, quum Antiochii cum Stoicis statuant, sapientem in furore ab omni assensu abstinere; quippe qui hac in conditione distinguere vera visa a falsis nequeat, § 48.

Contra hæc omnis generis visa inania Antiochum, sumpto diei spatio, multa disputasse : quorum hoc loco solummodo capita ponuntur. Primum reprehendi, quod isti Soritis utantur, eo conclusionis genere, quo facile vitia tegantur. Sed neminem (ex primo illorum argumento) daturum, omnia deum posse; aut, si possit, facturum. Prave etiam sumi, tamquam ex rei similitudine sequatur, ut ea res cum altera postremo sit eadem. Sic v. c. lupi cum canibus iidem dicendi forent. Sic vel honesta et inhonesta etc., eadem forent, quum quædam inter hæc similitudo intercedat. Ita adeo ne repugnantia quidem discerni posse, quum nulla similium transferendorum ratio detur, § 49, 50. Quæ deinde illi ex visis inanibus argumententur, ea una hac ratione redargui. Perspicuitatem his omnibus adesse nullam, facileque inter perspicua et inania discrimen sentire eum, qui ex ejusmodi visis ad se redierit, § 51, 52. Quod autem vel ipsum sapientem in furore assensum retinere dicant; id item ab eo sæpe fieri sensibus languidis, visis obscurioribus, tempore ad perspiciendum nimis coarctato. Etsi hoc ipsum, sapientem nonnumquam assensum sustinere, contra ipsos sit : quum, si inter visa vera, et falsa nihil differret, ille hunc vel semper sustinere teneretur, vel numquam. Sed cupere eos levitate sua miscere omnia, § 53. Ne illud quidem eos videre, omnia sic vaga et incerta reddi; licet id nolint. Si enim visa sani, et insani nihil differant, neminem de sua sanitate certum esse posse. Quod autem similitudines geminorum, etc. urgeant, pueriliter eos facere, quum non negetur, multa inter se esse similia : modo ne statuant, quod per rerum naturam non liceat, non cuique rei suam propriam naturam esse, sed reperiri inter duas, pluresque res communitatem nulla re differentem, § 54 (quæ jam refelluntur, usque § 59, ea hesterno die disputarat Cicero, cf. § 79 : inde ad hunc solum sermo dirigitur); concedi ova ovorum, apes apium, item geminos, esse simillimos; nihil igitur esse, cur hic pugnet : sufficere hoc ei

debuisse; at eum eos dicere prorsus similes (in textu *non* necessario delendum est: quod neglexímus. Eos pertinet etiam ad *ova* et *apes*), quod fieri plane nequeat. Applicare deinde se eum ad physicos (quos hi Academici ubique exagitent), et postulare ex Democriti mundorum innumerabilium paritate, ut in hoc etiam mundo reperiatur, quod alteri plene par sit: sed rejicere se hanc Democriti sententiam, subtilioribus physicis, esse vere singulis rebus propriam suam naturam, clare docentibus. Geminos autem, et ova, arte quadam adhibita, et usu, internosci recte posse. Esse omnino regulam, a qua si vel tantulum discedatur, misceri omnia: ea visa in veris ponenda, quæ falsa esse nequeant, § 55-58. Id contra absurdum, quum isti hæc se, ut probabilia, sequi dicant, in quibus judicium ipsorum nihil impediatur: quum id pugnet cum eo, quod falsa a veris nihil differre statuant, nec omnino criterium iis esse possit. Inde necessario ἐποχὴν illam enasci debuisse. Sed in ea magis sibi constare Arcesilam, quam Carneadem, qui vel opinationem a sapiente non alienam duxerit, § 59. Denique exagitatur, quod illi dicant pro omnibus dici oportere idque veri reperiendi causa, § 60.

Causa ita exposita, monetur Cicero, ne, quum tantopere philosophiam singulari libro laudarit, talem ipse sequi videatur, quæ pessima sit: et eam maxime, quam ipse, qui juratus, res occultissimas comperisse se, dixerit, defendere omnium minime debeat, nisi atteri rerum præclare gestarum auctoritatem velit, § 61, 62. Tum Hortensius, eximie admiratus hanc Luculli in disserendo subtilitatem, hortari æque Ciceronem ad sententiam mutandam. Catulus autem hunc in eadem magis confirmare, et ad contradicendum excitare. Ita ipse, commotus æque atque in causis judiciorum gravioribus solebat, defensionem ingressus est, § 63.

Orationem Luculli se quidem probare; sic tamen, ut ei responderi posse putet: sed auctoritati maximæ ejus cedendum esse existimasse, nisi pari sua Catulus intercessisset. Aggressurum igitur se rem, ex quo pauca in sui defensionem præmiserit, § 64. Contulisse ipsum sese nec ostentandi, nec certandi studio ad recentiorem Academiam; nec inde stultitiæ accusandum, nec mores et ingenium in invidiam vocandos esse, quasi aliter diceret, atque sentiret: quod gravi oratione a se removet,

§ 65. Cupere se verum invenire : hoc inde patere, quod de verosimili, si quid invenerit, gaudeat. At, si verum invenire laudem mereatur, falsis assentiri turpe esse debere : etsi quidem ab errore se non immunem censeat. Visorum se vi interdum cedere, si resistere non possit : licet in eo sapientis virtus cernatur maxime, si recte, ne capiatur, caverit, § 66. De firmitate autem sapientis, ex qua Lucullus secum statuat, opinionem in hunc non cadere, jubet accuratius intueri conclusionem, probatam Arcesilæ, qua sapiens nec opinari, nec assentiri dicatur, atque inde elicit : quum assentiendi consuetudo, si vel percipi quid possit, tam prona sit ad errorem; sustinendum potius sapienti omnem assensum, quam ut ille in tam præcipitem ad lapsum locum detrudatur. Quod si nolit, probandum sibi esse, nihil posse percipi, quippe in quo totius rei cardo versetur, § 67, 68. Transit deinde ad Antiochum, cujus acumen laudatur, inconstantia, quum a Philonis magistri sententia desciverit, reprehenditur : neque enim novi quidquam attulisse, mere stoica amplectentem; nec recte stoica, quum Academiæ veteri annumerari velit. Esse inde, qui eum hoc novæ sectæ condendæ cupiditate fecisse velint : sibi potius eum videri communem philosophorum in Academicos novos impetum sustinere non valuisse. Inde factum, ut, quibus verbis alios apostatas coercuisset, iis jam ipse peti possit, § 69, 70, 71.

Jam in ipsam responsionem ingreditur. Et primum quidem, quod in antiquis philosophis nominandis seditiosorum civium instar faciat, id Anaxagoræ, Democriti, Metrodori Chii, Empedoclis, aliorum auctoritatibus infirmatur. Neque ab his Socratem et Platonem segregandum esse; quippe quos intime tales norit, § 72, 73, 74. Nec se, ut Saturninum, illustres modo viros nominare, sed hos solos imitari etiam. Alios sibi plures fuisse, sed minus illustres, quorum σοφίσματα eos haud parum exercerent. Sed his nihil sibi opus esse, quum Chrysippus, Stoæ fulcrum, tot contra sensuum, et consuetudinis fidem collegerit. Credi hunc ea dissolvisse, idque per se quidem licere ; etsi sibi secus videatur : tot tamen hujus generis eum collecturum non fuisse, nisi refelli hæc difficile posse intellexerit, § 75, 76.

Arcesilam deinde non recte dici Zenoni esse obtrectatum : nam verum serio quæsisse. Primum illum hoc vidisse, posse

hominem opinionem vitare, et sapientem necessario debere. Inde profectum (cum Zenone quasi disputaturus fingitur), eo rem deduxisse, ut doceret, nullum visum a vero ortum, tale esse, ut non ejusdemmodi visum a falso possit ortum esse. — Opinatione sane perceptioneque sublata, consequens esse, assensum plane esse retinendum : unde, si ipse, nihil posse percipi, ostenderit, illi concedendum esse, omnem assensionem esse sustinendam, § 77, 78. Nihil ergo percipi posse, si ne sensus quidem vera videant. Quorum veritatem illum tueri argumentis communibus, licet, ne hoc fieret, a sese heri multa contra eos, nec loco necessario, disputata sint. Nec recte ea de infracto remo, etc. negligi. Alia heri eadem de re a se esse dicta, quæ nisi refellantur, discerpta causa judicium nullum valere. Veraces Epicurum sensus velle ! Lucullum scilicet hujus semper auctoritate uti, qui ei gravem litem intendat. Et sane hunc falli : sed illum, qui visa sensuum alia vera, alia falsa velit, id velle sine certa distinguendi nota, § 79, 80. Quod ille deinde, integris his sensibus, deo optionem offerente, meliores haud desideraturum se dicat; his perparum sane hominem valere, quum vix paucorum milliarium spatium oculorum acies intendi possit. Et quod non amplius se desiderare dicat : talpam lumen quoque non desiderare; neque, si desideraret, tam expostulaturum cum deo, quod parum videret, quam quod falsum. Navem incitatam, a terra eam videntibus, stare, nautis ea, quæ in terra sint, moveri videri. Solem, quem mathematici tantum statuant, quasi pedalem oculis apparere, § 81, 82.

Sed totam hanc controversiam, ne magnam et gravem putent, in parvis et minutis versari. Quatuor nempe capita esse, unde, nihil percipi posse, concludatur : 1° esse visa, quæ fallant; 2° hæc non posse percipi; 3° quæ visa nihil differant, (i. e. quorum non certa distinguendi nota sit), eorum nullo modo alia percipi posse, alia non posse; 4° nullum esse verum sensuum visum, cui non obstet aliud visum, quod ab eo nihil differat, atque ita percipi non possit. Horum capitum tantummodo quartum ab illis oppugnari. Negari tam similes in natura res esse, ut nihil plane differant. At videri certe tales posse. Inde sensum falli : qui si fallatur, incerta evadere omnia, criterio ita sublato. Dici, nihil esse, quod non suo genere, i. e. sua

propria natura, a reliquis omnibus differat. Disceptare se nolle : sed si vel homines plene similes esse nequeant; posse statuas, posse sigilla annulo impressa, § 83, 84, 85. At artem adhibendam sensibus ! magnis nempe artificiis ad videndum, audiendum, etc. opus esse ! Illud autem, qua sapientia mundus fabricatus sit, magis etiam docere, quantopere opinandi temeritas cavenda sit, quum ista omnia sola opinatio pepererit, § 86, 87. Sed venire se ad visa dormientium, vinolentorum, furiosorum; de quibus ab utriusque partis philosophis integra volumina conscripta sint, tractata ab illo diligenter. Sine causa ea imbecilliora dici, quam quæ sint vigilantium, etc. Neque quemquam negare, experrectis, et ex furore ad se revocatis, visa talia, qualia sint, id est, inania videri; sed quæri, qualia tum, quum offerantur, videantur. Tum autem parem hæc fidem habere, quam illa vigilantium. Idem de insanis valere, § 88, 89. Inde certissimum illud effici, nullum inter vera et falsa visa discrimen esse, cui animus assensum suum addicere possit, § 90. Sed, missis sensibus, etiam ratione percipi nihil posse. Quod enim dialecticam ut veri falsique judicem commendent, id nec in artibus reliquis, nec ipsa in philosophia valere. Quæcumque judicet, ea ad se ipsam pertinere. At illos ei nimiam vim tribuere, quæ, singulis ejus partibus examinatis, nuspiam appareat. Continere eam etiam soritas, quos ille vitiosum rationis genus dixerit. At istius vitii causam in ipsa rerum natura quærendam. Si vero soritæ (per se) vitiosi sint, solvendos illis esse, ne iis irretiantur. Sed illo Chrysippeo ἡσυχάζειν nihil profici, quum in iis nusquam nec firmiter progredi, nec insistere, liceat. Nihil igitur dialecticam eos juvare, § 91-94. Tollere adeo eamdem ipsa decreta sua. Licet enim ea hoc fundamenti loco ponat, omne aut verum esse, aut falsum; tamen rationes illas, qualis illa sit, quæ *mentiens* dicatur, inexplicabiles dici. Id sane magis offendere debere, quam quæ a se non percepta dicantur. Ipsam autem istam effati definitionem si spectes, et tamen illas inexplicabiles, nec a Chrysippo solutas, rationes in nec approbandis, nec improbandis, poni videas; incongrue eos facere fatendum esse; nec concedi posse, quod postulent, ut pro inexplicabilibus illæ accipiantur. Cautiorem esse Epicurum, dialectices contemptorem, qui tale effatum neget, quo non concesso tota dialectica

corruat. Cum hoc igitur pugnandum esse, non secum, qui eamdem cum illis, Antiocho magistro, dialecticam sequatur. Licet autem ipse hujus præcepta presse sequatur, tamen his nihil profici, § 95-98.

Sed missis spinis his, Carneadis sententia, Clitomacho auctore, proponitur, qua Antiochea omnia concidant. Duplici enim visorum distinctione facta : sic ut alia visa percipi posse, alia non posse, deinde, alia probabilia esse, alia non probabilia, ponantur; quæque visorum veritati adversentur, ea omnia ad priorem referantur : colligi, nihil esse, quod percipi possit; quæ probari, multa. Probanda igitur multa sensibus : sed hac lege, ne quid in his tale, quod a falso certa nota differat, statuatur. Probabilibus autem his uti sapientem ad vitam regendam omnem. Vel Stoicorum Antiocheorumque sapientem probabilia multa sequi debere, nisi omnem agendi rationem confundi velit. His aptare eum consilia, quæ capiat; his animo et mente moveri : idque sine certa illa nota, qua percipi quid possit. Ipsos Stoicos, falli sensus in multis, consentire. At negare Epicurum, percipi quidquam posse, si vel in uno sensus fallantur. Hoc accepto, et altero Stoicorum addito, esse visa, quæ falsa sint; sequi per se, nihil posse percipi. Cum Epicuro igitur, non cum ipso pugnandum esse, qui posterius concedat. Sed mirum esse, in primis in Antiocho, quod talia in recentiores Academicos dicantur : elevari enim reprehensionem, quum hi probabilia admittant, § 99-102.

Carneadeæ sententiæ proprium Clitomachi judicium additur. Esse quidem res dissimiles, i. e. ita distingui res posse, ut aliæ probabiles videantur, aliæ secus : sed hanc dissimilitudinem non esse tantam, ut etiam percipi, et contra, possint. Multa enim falsa quum sint, tamen esse probabilia : falsum autem in perceptis cognitisque poni non posse. Non igitur ab hac Academia sensuum vim eripi, quippe quæ res sensibus subjectas minime neget, veri modo notam, his impressam, non agnoscat. Duplici deinde ratione, sapientem cohibere assensus, dici : si vel omnino rei nulli assentiatur; vel si modo in sermone se contineat, ne quid aut neget, aut pro certo affirmet. Utrumque placere; sic tamen posterius, ut probabile, ubicumque aut adsit, aut desideretur, id ille in sermone testetur. Admisisse Clitomachum etiam

eam visorum claritatem, ut iis ad agendum provocari rite possemus. Sermone quoque promere licere, quod ut verum visum sit, si modo sine assensu fiat : ea tamen solum visa approbanda, quibus nihil obstet, unde minus vera videri possint, § 103, 104. Quæ Clitomachea si ab illis probari non possint, licere ea falsa credere, modo ne invidiose exagitentur. Non ipsos lucem rebus eripere; sed quæ illi *percipi* dicant, ea ipsis *videri.*

His expositis, quomodo introductum et constitutum sit probabile, id maxime cui nihil obstet quominus approbetur, irritam reddi Luculleam perspicuitatis defensionem. Uti utrumque sapientem sensibus : modo quod hic ipsorum sensuum visis, utpote fallacibus, non assentiatur, § 105. Neque memoriam inde nullam esse, si nihil percipiatur, quum etiam non percepta meminisse liceat. Prave enim hanc ab illis perceptarum comprehensarumque rerum dici, quippe quum etiam falsorum, quæ ex ex illorum sententia percipi nequeant, meminerimus. Stare etiam artes et disciplinas; scilicet quæ ipsæ, se maximam partem conjectura niti, fateantur, § 106, 107.

Sed in duobus his maxime causæ eorum cardinem versari. I. Fieri non posse, ut quis nulli rei assentiatur. II. Non dari agendi rationem, re nulla assensu comprobata. At prius clare Panætii, tanti inter Stoicos viri, exemplo refelli, qui divinationem, rem Stoicis reliquis certissimam, assensu suo confirmare dubitet : quodque huic liceat, id sapienti de reliquis quoque licere; quippe cui dubitatio libera esse debeat, idque maxime, quum, assensu remoto, probabilitatem nihil impeditam sequi possit. In posteriore ante omnia quærendum esse, in quo adeo assensus ponatur; quum sensus ipsos Stoici assensus esse dicant : ad quos quum appetendi vis se applicet, sequi sic actionem. Inde omnem veritatem tolli dici, si visorum veritas tollatur. Quam rem, multis ab utraque parte et dictis et scriptis agitatam, paucis totam posse dirimi. Licet enim ipse, assensus cohibere, difficillimam rem judicet, et cum Clitomacho, hunc quasi Herculis laborem exantlasse Carneadem, credat, assensione, quæ eadem cum opinatione sit et temeritate, velut immani bellua, ex animis extracta : tamen, si vel hæc res in defensione prætereatur, nihil referre, quum ejus judicium in agendo nihil impediatur, qui probabilia, quibus nihil obstet, sequatur. Istos quoque plurimis in

rebus, præter probabile, nihil habere, ad quod in agendo se applicent, § 107, 108, 109. Quod autem Antiochus contra Carneadem *pressius* monuisse dicatur, hoc certe decretum, quo sapiens nihil posse percipi perhibeatur, in perceptis criterii loco relinqui debuisse. Sed sequi sapientem ipsorum pari ratione hoc, nihil posse percipi, qua probabilia sequatur, quum certa veri nota careat. Ita ei non metuendum, ut vera cum falsis confundat, § 109, 110. Nec omisisse Lucull. illud Antiochi, quo Philo, ut de pugnasecum commissa, vehementer perturbatus dicatur. Sed nullam hunc admisisse pugnam, quum verum non tollatur omnino. Quum vera, tum falsa agnosci; sed ut probabilia, non ex criterio, § 111.

Queritur jam de nimia contra hæc disputandi exilitate. Si enim id, quod percipi possit, simpliciter, v. c. Peripateticus quis, ἀπὸ ὑπάρχοντος ἐναπεσφραγισμένον definiret, nec, quo res tantopere mutetur, ἀπὸ ὑπάρχοντος κατ' αὐτὸ τὸ ὑπάρχον, diceretur; haud magna contentione opus foret. Ne tum quidem, si sapiens nonnumquam opinari statueretur; quum Carneades ab hac sententia non longe abfuerit. At nunc quum talia mutet, non principum Academiæ veteris philosophorum aliquis, sed qui vel Polemonis ætate minor sit, nihil se videre, cui accommodare se possit. Non percepto assentiri, quod nihil aliud sit, quam opinari, per vett. Academicos quidem licere, non licere per Stoicos et Antiochum: quamquam hunc ut hominem amarit, et ut philosophum, ex ingenii acumine, maximi æstimet. Sed quum hic se Academiæ veteris esse dicat, tamen cum Zenone ea statuere, quæ plane ab illa discrepent: licet vel ipse utrumque hoc probet, id unice percipi posse, quod cum falso nullo modo confundi possit, et, sapientem numquam opinari, § 111, 112, 113. Hoc autem probare se nullo modo posse, quod quum non cognito assentiri Lucullus vellet, tamen ipse σύστημα omnis sapientiæ proponat, quasi in tam innumerabilibus, ab omni lapsu et opinatione immunem præstare possit! Ad quod si ipsum rapiat, idem licere etiam philosophorum reliquis. Si sua sola vera dicat: arrogantes esse, qui scire se solos omnia putent. Si sapientem *scire* dicat: a non sapiente igitur explicari sapientiam! Sed quum hæc quæstio ad solum sapientem pertineat, de hoc se nunc acturum, § 114, 115.

In tres igitur partes quum communiter dividatur sapientia, esse

de unaquaque seorsim dicendum. (De physicis agitur, § 118-128; de ethicis, § 129-141; de dialecticis § 142-146.) Antequam vero hanc ipsam disputationem ingreditur: negat esse quemquam ita opinionibus inflatum, qui eorum omnium certam esse cognitionem credat, quum tot rationes ex sola conjectura pendeant. Ipsos Geometras, qui rationibus suis cogere credantur, principia sua, ut concessa, non ut probata, ponere. Nec sapientem, solem tot partibus terra majorem esse, quot illi doceant, juraturum. Si igitur ne horum quidem rationibus sapiens confiderit, multo minus iis philosophorum. Et, si vel maxime velit, quorum tandem præ ceteris? Fingat sibi quis nunc maxime *fieri*, nondum *esse*, sapientem, qui, ingenio præditus divino, aliquam physicorum disciplinam sibi præ ceteris eligat, profectusque a Thalete ad Platonem usque singulas singulorum de principiis rerum tam diversas inter se sententias cognoscat. Quamcumque autem hic, neglectis tot, tantisque (posteriorum temporum) philosophis, ex illorum sententiis eligat, eam certissimam esse debere; tam certam, quam stoico scilicet sapienti, mundum sapientem esse, et mente, omnium effectrice atque rectrice, præditum: stellas, terram, mare, deos esse, etc. § 116-120. Hæc (Stoicorum) vera ut sint, per se licere: sed percipi non posse; neque concedi a reliquis, v. c. Aristotele: Lucullo autem eadem, ut vitam, et famam, defendenda esse. Sic perire (ne tangatur, quam leve sit temere assentiri) ipsam judicandi libertatem. V. c. quum deum statuant omnia hominum causa facere, et quæratur, unde tot in natura rerum his noxia? tamen his ipsis tantam sapientiam inesse dici, ut sine deo effici nequeant; cujus providentiam vel ad minimas res adhibeant. At isti quum a deo omnia fieri dicant, Stratonem contra Lamps. ad mundi existentiam, et gubernationem, deorum ope nihil indigere. Ita non deum solum gravi opere solvi: sed timore etiam homines; qui ex perpetua illa dei cura non possint, quin deorum numen horreant. Se quidem, quum ista densis tenebris obscurentur, neutri assentiri; probabilius jam hoc, jam illud videri. Et tantum abesse, ut mentis acie res et cælestes, et terra reconditas, percipere liceat, ut vel corpora nostra ignoremus, quæ tamen sectione nosci possint. Non igitur liquere, utrum terra fixa sede utatur, an medio in cælo pendeat; non, habitata sit luna, necne: nihil de Antipo-

dibus, etc. In corpore autem nostro naturam et nervorum et venarum latere. De animo denique omnia esse incerta, multimodasque sententias. Horum aliquam sententiam istorum sapienti certam videri, huic autem ipsorum, ne ullam quidem admodum probabilem, § 120-124.

At si modestius secum agatur, sic ut Lucullus ipsum non suæ sententiæ, sed alicui cuicumque assentiri voluerit; sique ipse a se impetrarit, ut cuiquam assentiatur, v. c. Democrito : omnes et Stoicos et Antiocheos esse contra ituros, atomos illius, et innumerabiles mundos objicientes, judicantesque rectius esse, nihil, quam tam vitiosa, sentire. Quare nihil huc pertinere, ut ipse alicui assentiatur, nedum Lucelleæ sententiæ, quippe quæ ipsi ne probabilis quidem videatur : quum nec divinationem, nec fatum, probet, ne mundum quidem hunc Dei sapientia conditum judicet; certe, ita sit, necne, ignoret, § 125, 126. Nihil autem esse, quare ipse tam cupide in invidiam ex eo adducatur, quod nihil scire se dicat. Stoicos ipsos de rebus gravissimis inter se dissentire : Zenonem cum reliquis æthera; Cleanthem, illius auditorem, et magnum philosophum, solem dicere summum deum et rerum omnium dominum. Ita dissensione sapientum fieri, ut dominum suum ignorare cogatur, quum scilicet nesciat, soli an ætheri sit *serviendum!* Ex his nimirum incertum esse, uter ipsorum sit modestior ! — Has tamen physicorum quæstiones se non abjiciendas judicare : acui potius alique inde animos et ingenia naturali via. Licere igitur eas utrique sapienti : sed cuique suo modo. — Antequam ad ethica pergit, hoc ad superiora addit. Istos, quum tantopere physicis nitantur, non videre, frangere se inde auctoritatem vel earum rerum, quæ minus sint obscuræ. Pari assensu approbare eos, statuam, quæ illic conspiciatur, mensura ejus accurate inita, sex pedum esse; ac solem, cujus mensura nulla sit, plus 18 partibus terra esse ampliorem. Inde hanc valere conclusionem : si quis, quum solis magnitudo percipi non potest, cetera pari modo, quo magnitudinem solis, approbet, eum cetera non percipere : qui igitur hanc, quæ percipi non potest, ita approbet, ac si percipiat, nihil istum percipere. Neque se pugnare, si hanc percipi posse dicatur, si modo cetera pari modo percipi dicant. Non enim iis licere distinctione (inter plus minusque perceptum) uti, quum nulla in καταληπτοῦ definitione notetur, § 127, 128.

De Ethicis autem, in quibus fines bonorum malorumque constituendi sint, dissensionem inter summos philosophos esse maximam omnium. Commemoratis diversorum philosophorum, familiarumque eorum sententiis, quam earum ipse sequatur, quærit. Si Stoicos sequi velit, ne licere id quidem per Antiochum: qui tamen, perpaucis mutatis, quum Academicus vocaretur, purus putus esset Stoicus. Periclitari jam rem, quum aut Stoicus, aut veteris Academiæ sapiens, sit eligendus: uterque simul autem non possit, quum contentio inter utrumque ad totam rem, non ad partem aliquam pertineat, et a ratione, qua summum bonum definiatur, omnis agendi ratio pendeat. Quod si igitur Polemoneus (veteris Academiæ) sapiens eligatur, rejici, ut a vero abhorrentem, hunc Stoicorum: et ita versa vice. Si igitur, qui neutri parti assentitur, numquam prudens sit, quærendum esse, qua prudentia is sit, qui alterutri assensum suum addicat, § 129-132.

Quid? Antiochum ipsum in eo, quod in nonnullis a Stoicis, quos amplectatur, discedat, docere, non posse hæc recte probari sapienti. Ita v. c. valde hunc hoc illorum, quo omnia peccata paria dicant, improbare. Nisi igitur ipse deliberet, utrum eorum sequatur: verendum esse, ne scelus committat; quum Lucullus in scelere posuerit, si dogma proderetur. Cavere igitur se ex dogmate utrisque communi, ne non cognito assentiatur. Majorem adeo dissensionem hanc esse, quum vitam beatam Zeno in virtute unice; Antiochus in eadem beatam quidem, sed non beatissimam statuat. Atque in eo illum velut deum se, hunc ut homuncionem præbere: licet ille nimium virtuti tribuere videatur. Hunc autem pæne secum pugnare, qui, concessis quibusdam corporis fortunæque *malis*, tamen sapientem *beatum* statuat, si vel his omnibus prematur. Alterutrum horum verum esse debere; sed ex hac dissensione sese distrahi, § 133, 134. Ne hæc quidem, in quibus uterque consentiat, ut vera probari posse, v. c. In sapientem nec cupiditatem cadere, nec lætitiam: Eumdem neque timere umquam, nec dolere. Hoc, etsi durum sit, Zenoni esse necessarium: Antiocho secus; cui, præter turpe, mala multa. Talia autem Academiam veterem numquam, quæ affectuum etiam utilitatem docuerit. Displicere quoque illa Stoicorum παράδοξα (ab Antiocho adscita), quæ, licet quidem maximam par-

tem Socratica sint, tamen numquam sint ab Academicis Peripateticisque adhibita. Ea sane Lucullo, Antiochum consectanti, defendenda esse ut patriam : ipsius nihil valde referre, § 135, 136, 137. Si autem de ipso solliciti sint, ne, quod nolint, ad opinionem prolabatur, non cognito assentiens, velle se eos sibi auctores, quamnam ex tribus illis solis sententiis, quas defendi posse de finibus bonorum Chrysippus dicat, sequatur, honestatem, an voluptatem, an utrumque? Dissentire se quidem, et ægre a Polemoneo summo bono, quod idem Peripateticorum et Antiochi sit, abstrahi : sed altera parte allicere voluptatem (Aristippi Epicurique finem), altera retrahere virtutem (Zenonis finem) ad sese; et quum utramque velit, Calliphontem cum Carneade sequutus, adversari ipsam rectam rationem, quæ hominem cum bellua jungi nolit. Ruere etiam omnem virtutem, nisi ea sit gratuita. Contra vero omnium bonorum fontem in corpore dici; eamque regulam esse naturæ : ut qui secus statuerit, ei nihil fore, quod in vita sequeretur. Se hominem esse, hisque moveri; nec aliter Lucullum. Hoc modo interesse, hunc, quum sit commotus, acquiescere et tum assentiri, idque, cui assentiatur, in perceptis ponere : se, si assentiatur, assentiri falso putare; quum verum a falso internosci nequeat, neque quidquam ad verum videndum dialectica valeat, § 138-141.

De hac tertia philosophiæ parte aliud judicium esse Protagoræ, aliud Cyrenaicorum, Epicuri, Platonis : quorum nullum Antiocho probetur. Hunc ne eos quidem sequi, quorum partibus annumerari velit : Chrysippi eum premere vestigia unice. Non igitur eos sequendos esse, qui inter se dissideant. Ne in elementis quidem dialecticos consentire, § 142, 143. Nihil igitur esse, quare ipsum Lucullus in invidiam adducat, et vel ipse, ut seditiosus tribunus, concionis turbam in se incitet : quæ vice versa in istos facile concitari possit, si doceatur, ab iis omnes, qui concioni intersint, exsules, servos, insanos, verbis vere invidiosis, appellari; neque hos quidquam scire, quum solus sapiens scire dicatur. Idque ita esse, gestu Zenonem exposuisse. Quod si sit, neminem, nisi sapientem, num lux sit, in ipsa meridie scire. Hæc, quamquam sint minus eleganter et subtiliter dicta, tamen æque invidiosa esse. Ita se illi, pro eo, quod, nisi sit κατάληψις, artificia esse nulla possint, reponere, artem sine

scientia (quæ in solo sapiente sit), locum habere non posse. Accurate majores in jurejurando fecisse, formulis additis, ex animi sententia, et, si sciens fallo : et quod in teste, vel si ocularis esset, *arbitrari* ; a judice jurato, quod cognorit, *videri*, pronunciatum voluerint, § 144, 145, 146.

Sed quum nauta missus, et ipse Favonii exorti susurrus, navigationem suaderent, ita perorat, ut auctor sit, si in posterum talia quærantur, potius de discordiis summorum philosophorum, de difficultatibus, quibus naturæ cognitio impediatur, et similibus, disseratur. Lucullus, placere sibi tales sermones, eosque repetitos velle; Catulus, se ad patris Carneadeam sententiam, qua sapienti opinari liceat, redire; *pariter* autem cum Cicerone ἐποχῇ favere : Hortensius denique jocosa ambiguitate, *Tollendum*, pronuntiat. Quod ita arripit Cicero, ac si ille, proprio hoc recentioris Academiæ verbo, τὸ καταληπτὸν tollendum dixerit, § 147, 148.

M. T. CICERONIS
ACADEMICORUM
POSTERIORUM
LIBER SECUNDUS,
QUI INSCRIBITUR LUCULLUS[1].

I. MAGNUM ingenium L. Luculli, magnumque optimarum artium studium, tum[2] omnis liberalis et digna homine nobili ab eo percepta doctrina, quibus temporibus florere in foro maxime potuit[3], caruit 1

1. *Lucullus.* Inscriptio libri variat. Plures etenim et scripti et vetus editi, *Luculli* loco, ei *Hortensii* nomen ponunt. Neque de hujus tituli veritate Jo. Baptistæ Pii, Bononiensis, ætate dubitatum esse, hujus ipsius Emendd. et annotamenta in M. Tullii ad Hortensium opus, clare docent. Præferunt idem nomen ex nostris fr. cod. et Wratisl. Sed nihil quemquam hic titulos per librarios corrumpendi mos movere h. l. debet. Repererant isti inter personas colloquentes Hortensii nomen, et hunc inde pro illo deperdito libro habentes, hoc ipsum fronti libri præfixerunt. G.—De vero titulo, cf. Plutarch. in Lucull. cap. 42, et Introd. ad Acad. p. 5, seqq.

2. *Magnumque..... tum.* Gud. 2, *tamen.* Erl. et Wrat. *quum:* sed ex scribarum vitio, in hac insolentiore particulas jungendi ratione ubique obvio. Conf. Div. V, ep. 13: « casus enim gladiatorii, similitudinesque hæ, tum rationes in ea disputatione collectæ, vetabunt». Vide supra Acad. I, c. 4, § 16; et infra c. 14, § 43: «Definitiones ...et...tum, etc.» At Hüls. non hæc solum, sed totum primum caput, ut spurium, uncis inclusit. « Serioris enim, inquit, esse manus, satis clamat verborum tinnitus rhetoricus, et peccata historica ». G.

3. *Ingenium L. Luculli... studium ... doctrina... quibus temp. potuit, caruit.* Hülsem. ante *quibus*, puncto maximo posito, sua sponte *Qui* addit, quippe quod severa Cic. scriptura

omnino rebus urbanis[4]. Ut enim, admodum adolescens, cum fratre, pari pietate et industria prædito, paternas inimicitias[5] magna cum gloria est persequutus, in Asiam quæstor profectus, ibi per multos annos[6] admirabili quadam laude provinciæ præfuit; deinde absens factus ædilis, continuo prætor (licebat enim celerius legis præmio[7]); post in Africam; inde

postulet: quodque si non addatur, primum cerni alienæ manus vestigium. Offenditur enim ille, quod tria substantiva simplici verbi numero junguntur. Sed dudum regula hæc ex frequenti auctoris usu deducta esse debebat, qua plura substantiva, ad unam velut notionem juncta, simplici verbi numero comprehenduntur. Id quidem in nominibus propriis satis notum est. Conf. Orat. III, 18, 68. Sed, idem etiam in substt. rerum usu venire, quum minus hucusque observatum sit, factum est, ut sat multa in Cic. loca pro virorum doctorum lubidine correcta legantur. G.

4. *Rebus urbanis. Ut enim, admodum adolescens.* Non debebat Grut. lectionem plurium codicum (ad quos etiam Gud. 2, Erl. et Oxon. ψ. refertur), « rebus humanis. Ut enim urbanis adm. » adeo probare, ut eam in texta reciperet. Est enim et per se nihil, et ortus ejus a scriba repetendus, qui quum torpente animo *humanis* scripsisset, veram voci lectionem superaddebat: quam alii ut omissam vocem loco, quem aptum putabant, inseruerunt. Hinc inde in reliquis, qui non ex hoc fonte fluxerunt, codicibus h. l. nullum variantis lectionis vestigium cernitur. In Vien. ordine verborum mutato, *urbanus enim* legitur: quo magis id, quod diximus, probatur. G. — *Caruit o. r. urb.* J. V. *Leclerc* vertit: *Il fut privé du séjour de la ville.* Bene. Nam, inquit Davis. post adolescentiam in opera forensi positam, tota florens ætas peregrinata abfuit ab oculis et fori et curiæ. Acto triumpho de Mithridate, tum solum Lucullus Romam reversus est; nec obiit mortem, nisi postquam senex fuit motæ mentis, luxuriæque perditissimæ. Vide Plut. Lucull. pag. 518-520.

5. *Patern. inimic.* Nam pater Luculli ἑάλω κλοπῆς, accusatore Servilio augure. Hic a Lucullo peculatus insimulabatur; at incolumis evasit. Vide Plutarch. Lucull. p. 491. Davis.

6. *Quæstor . . . per multos annos.* (Sic enim distincte cum edd. vett. et tribus scriptis meis pro *permultos* dedimus), nempe ab anno 668, quum Sulla in Asiam profectus, haud ante 675 rediit, quippe quo ædilis fuerit. Paullo inferius, § 2, « quæsturæ diuturnum tempus » dicitur. G.

7. *Legis præmio.* Legitimum præturæ tempus biennio post ædilitatem erat. Cf. Pitisci Thes. Antt. in *Ætas prætoria*, et eos quos hic laudat. In verbis autem his ne offendas, notanda est curtata dictio, qua « legis præmio » ponitur pro « lege, quæ hoc bene meritis præmii loco concedebat ». Conf. Orat. I, 58, 247. Quænam deinde lex ea fuerit, negat Ernest. sibi liquere. Haud dubie *Cornelia*, qua

ad consulatum[8] : quem ita gessit, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium agnoscerent[9]. Post ad Mithridaticum bellum missus a senatu, non modo opinionem vicit omnium, quæ de virtute ejus erat[10], sed etiam gloriam superiorum. Idque eo fuit[11] mirabilius, 2
quod ab eo laus imperatoria non admodum exspectabatur[12], qui adolescentiam[13] in forensi opera, quæ-

licebat iis, qui Sullæ partes essent sequuti, magistratus ante tempus capere. Simili ratione M. Crassus ex Cornelia lege prætorius consulatum ambisse dicitur. Conf. Appian. Bell. Civ. c. I, 21. Et, nisi plane fallor, illa de magistratibus anno 674 lata : quam plurium capitum fuisse, vel ex his clarum est, quæ de ea innotuerunt. G.

8. *Post in Africam ; inde ad consulatum.* Interpretes applicant hæc ad ea, quæ Plut. Lucull. cap. 2 narrat : ubi missus a Sulla Lucullus in Africam Ægyptumque esse dicitur, ad classem contra Mithridatem colligendam ; conf. *Castillon* Comment. ad h. l. pag. 219. At hoc est tempora miscere. Nam quæ in primos Luculli quæsturæ annos 668 et 669 cadunt, ea haud parvo anachronismo ad ann. 677 ab hujus prætura proximum, transferuntur. Plut. in Luculli vita, nihil plane de hac Luculli, proprætoris, provincia refert, atque ita hunc laude privat, quam Aurel. Vict. cap. 74, his verbis testatur : « Prætor Africam justissime rexit ». G.—In hac interpretatione Gœrenzio J. V. *Leclerc* assentitur.

9. *Agnoscerent.* Gœr. dat *cognoscerent.* Sic, inquit, codices nostri et omnes scripti, exceptis binis Gulielmii, et totidem Davisii. Nonius exempla plura ex Cicerone affert, ubi *cognoscere* pro *agnoscere* dicitur, coll. *Bremi* ad Fin. II, 25, pag. 214 sq. *Corte* ad Div. XI, ep. 22.

10. *Omnium, quæ de virtute ejus erat. Omnium* debebat post *erat* poni. Defendi tamen hæc structura potest, si verba « quæ... erat », tamquam in parenthesi posita, celerius pronuntientur. G.

11. *Idque eo fuit mirabilius.* Plures scripti cum Wrat. *eo* ignorant. Sed cave spurium judices, nisi etiam *fuit* ejectum malis. Nam nusquam Cic. in ejusmodi structura *eo* omittit, verbo subst. posito, v. c. « idque facilius », vel « rectius », vel, quod omnium maxime amat, « idque magis ». Alias autem scribit, « idque mihi eo magis est cordi ». Conf. Læl. 4, 15, etc. Neque quis ex more repetito *eo*, sed sententia diverso, mendi quidquam subodoret : talia enim ab auctore minime sunt aliena. G.

12. *Exspectabatur.* Plures libri et scripti, et vetus editi, *spectabatur*; quibus se addunt Erl. Vien. et ψ. Inde conjicit Davis. *sperabatur.* G. — At qui fit ut « laus imperatoria » non exspectaretur ab eo cujus Plut. Lucull. 2, 3, antequam cum imperio adversus Mithridatem mitteretur, tot strenue gesta commemorat ? Responderi potest eum nondum tamquam *imperatorem* egisse. Vide infra § 2, not. 17, ad vv. « rei militaris rudis ».

13. *Adolescentiam.* Id est, ad ætatis

sturæ diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, in Asiæ pace consumpserat [14]. Sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam [15]. Itaque quum totum iter et navigationem consumpsisset partim in percunctando a peritis, partim in rebus gestis legendis; in Asiam factus imperator [16] venit, quum esset Roma profectus rei militaris rudis [17]. Habuit enim divinam

25 annum, qui quæsturæ legitimus erat. Ad hoc modo tempus usque in causis occupato, non licebat ad plenam dicendi laudem pervenire. Matura enim viri ætas oratori ipsi maturitatem affert. Quod idem supra auctor expressit his verbis: « quibus temporibus florere in foro maxime potuit, caruit omnibus rebus urbanis ». G.

14. *In Asiæ pace consumps.* Gœr. dat *in Asia, pace, cons.* Sic, inquit, mei libri, quibus, paucis exceptis, reliqui omnes consentiunt. Vulgatur *Asiæ*, quod primum a Grut. ex solo Palat. 2, tribus, haud sane admodum probatis, Davisii libris adstipulantibus, receptum est. At quis non videt, hanc varietatem scribis deberi, qui non intelligerent *pace* ad ablativos decurtatos referri debere, ad quos particula cogitanda omittitur. Ita sæpius *bello*, et Legg. III, 16, 37, « hoc populo » ponitur, ubi nos vide. Ex eodem fonte etiam altera lectionis varietas, « in Asiam », fluxit, cujus loco Davisius, auribus reclamantibus, « in Asia in pace » suadet. — Nobis autem Gœr. correctio valde probanda videtur.

15. *Indocilem usus discipl.* Id est, quæ non docetur, quæ doceri nequit. Eodem sensu Propertius, lib. I, Eleg. 2, vers. 12: « Et sciat indociles currere lympha vias ». Ovidius, Fast. III, 119: « Ergo animi indociles et adhuc ratione carentes ». *Indocilis* autem dicitur *usus disciplina*, quia, quod per se ingenio intelligitur, opponitur experientiæ. J. V. *Leclerc* vertit: « Il n'eut pas besoin d'une expérience que tous les préceptes ne donnent pas ». Apul. de habit. doct. Platon. lib. II, pag. 606: Justitiam, inquit, artem vivendi ac disciplinam putat, et nunc *docilem* esse, nunc *usu* et *experiendo provenire*.

16. *Factus imperator.* Non debebat Walkerus *factus* in *perfectus* mutatum velle, quod, si vel codd. præberent, mera tamen illius glossa foret. Ita enim sæpe auctor *factus* ponit, ut, similitudine ab argento, si *factum* perhibetur, ducta, unumquodque in suo genere *elaboratum* et *perfectum* intelligatur. Orat. III, 44, 184; coll. Brut. 8, 1; Verr. IV, 57, 192. Accedit huc, quod *perfectus* ne vere quidem dictum fuisset, quum usus imperatorem perficiat. Cogitate igitur *factus* ponitur. G.

17. *Profectus rei militaris rudis.* Reprehendit h. l. Pet. Fabro duce, apertum Pseudo-Ciceronem suum Hülsemannus. Clamare enim contra hæc historiam, clamat. Laudatis autem Plut. (Lucull. vit. cap. 2, 3), Appianique (Bell. Mithrid. cap. 65) locis, quibus multa alia a Lucullo jam ante

quamdam memoriam rerum, verborum majorem Hortensius. Sed, quo plus in negotiis gerendis res, quam verba prosunt, hoc erat memoria illa præstantior [18]: quam fuisse in Themistocle, quem facile Græciæ principem ponimus, singularem ferunt. Qui quidem etiam pollicenti cuidam, se artem ei memoriæ, quæ tum primum proferebatur, traditurum, respondisse dicitur, oblivisci [19] se malle discere: credo, quod hærebant in memoria quæcumque audierat, vel viderat [20]. Tali ingenio præditus Lucullus adjunxerat etiam illam, quam Themistocles spreverat, disciplinam [21]. Itaque, ut literis consignamus, quæ monumentis mandare volumus; sic ille in animo

præclare et audacter gesta memorantur, quærit, « quomodo in tertium bellum Mithridaticum (680) venisse putandus sit Lucullus, ignarus rei bellicæ? » Sed *Rudis rei militaris* poterit etiam is dici, cui multum ad « perfectum imperatorem » desit: ita enim optime præcedentia coeunt, « ab eo laus imperatoria non admodum exspectabatur », quippe quibus tamen aliqua exspectatio admittatur. Licebit deinde etiam « rei militaris rudem », ex oppositionis ratione, eum intelligi, qui haud sit « in arte imperatoria exercitatus »: quamvis multa strenue gesserit. G.

18. *Verb. m. H. Sed... præstantior.* Hæc sic scribit Gœr. « mem. rerum— verb. præstantior—: quam ». Hæc, ait, male vulgo a præcedd. virgula, et ante *sed* puncto maximo distincta, nos lineis, parentheseos loco, a reliquo contextu dijunximus. Cohærent enim verba, « memoriam rerum..... quam fuisse in Them. » Gud. 2, frag. cod. et ψ. « hæc memoria erat illa pr. » Erl. *nec*, quod item ex *hæc* natum est. Inde puta, quod scribæ *illa* sextum casum putabant.

19. *Oblivisci se malle discere.* Inseritur a tribus meis, aliisque aliorum cum edd. vett. multis *quam*. Guyetus contra *oblivionis* suadet, ut « arti memoriæ » e regione ponatur: quod multi probant. Sed illud falsum; hoc ingeniosius esse, quam verius, docet locus, quo eadem res plenius refertur, Orat. II, 74, 299. Supple, « quam meminisse ». G.

20. *Audierat, vel viderat.* Gœr. dat « et audierat, et viderat ». *Et* posterius, inquit, ex tribus meis, Vien. et editis vett. pluribus, pro *vel* dedi, quod vulgatur. In aliis et manu et prelo scriptis *aut* variatur. Unde facile videre est ad diversam verborum notionem librarios disjunctivam quæsisse. Priorem copulam ex solo frag. cod. addidimus, quam in reliquis vel *e* in *quæcumque* hausit, vel scribarum latinitas respuit, ut sexcenties observare licet. Sic ad Att. II, ep. 4: « et audivi, et sensi ».

21. *Illam... disciplinam.* Ars memo-

3 res insculptas[22] habebat. Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, præliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiusque belli instrumento et apparatu[23], ut ille rex post Alexandrum maximus[24] hunc a se majorem ducem cognitum, quam quemquam eorum, quos legisset[25], fateretur. In eodem tanta prudentia fuit in constituendis temperandisque civitatibus, tanta æquitas, ut hodie stet Asia[26] Luculli institutis servandis, et quasi vestigiis persequendis. Sed, etsi[27] magna cum utilitate reipublicæ, tamen diutius, quam vellem, tanta vis virtutis atque ingenii peregrinata abfuit[28] ab oculis et fori, et curiæ. Quin

riæ intelligitur, inventa ab Simonide, et a Metrodoro absoluta; quam omnes tum oratoriæ arti dediti, exercebant. Orat. II, 86-89.

22. *Insculptas* dixit, non, ut alias, *inscriptas*, ad tenacitatem hujus memoriæ designandam. G.

23. *Instrumento et apparatu.* Ita, præter Dr. scripti mei omnes, idque ex perpetuo auctoris more. Dicit enim « instrumentum triumphi, artium, oratoris »; et sæpius « instrumentum et supellex » jungit. Recte igitur, post Victorium et Manutios, Davis. et Ernest. sic pro *instrumentis* reposuerunt. G. — Quæ scriptura scilic. *instrumento* longe commodior profecto est; nam est illa usitata Ciceroni ἐπεξήγησις commodissima, in qua, si *instrumentis* diceretur, *apparatibus* item dicendum fuerat; neque aliud est hic *instrumento*, unitatis appellatione, quam in lib. I de Fin. « Quid enim opus tanto instrumento in optimis artibus comparandis? » P. Faber.

24. *Rex post Alex. mag.* Mithridates, quocum belligeravit Lucullus. H.

25. *Quos legisset.* Decurtate dictum pro, « de quibus relatum legisset ». Conf. Legg. I, 1; Orat. I, 60, 265. Effugisse hoc Mithridatis dictum Plutarchum videtur. Recte autem hic ibidem docet, Lucullum utriusque regis (Mithridatis et Tigranis) vires ita fregisse, ut facilis Pompeii opera fuerit in iisdem penitus opprimendis. G.

26. *Ut hodie stet Asia ... servandis.* Haud male suadet Drakenb. ad Liv. V, 27, 2. *hodieque;* coll. Verr. V, 25, 64, 1; Orat. I, 22, 103. Et sane hanc conjecturam, ut unice veram, textis intulissemus, nisi *hodie* in prima soni sede positum esset, unde eamdem fere vim accipit, qua « vel hodie » dicitur. Ceterum quo hæc beneficia spectent, quibus Lucullus Asiam provinciam erexerit, exponit Plutarch. in Lucull. cap. 20. G.

27. *Sed, etsi.* In pluribus scriptis, in quibus sunt Wrat. Dr. et ψ. desideratur *Sed.* At causa, unde exciderit, in oculos incurret, si vicinas syllabas spectaris, et memineris olim *set* scriptum esse. G.

28. *Abfuit ab.* Sic scripti mei omnes. Davisius Lambinum et binos hu-

etiam, quum victor a Mithridatico bello revertisset, inimicorum calumnia triennio tardius, quam debuerat, triumphavit[29]. Nos enim consules introduximus pæne in urbem currum clarissimi viri: cujus mihi consilium et auctoritas[30] quid tum in maximis rebus profuisset, dicerem, nisi de me ipso dicendum esset; quod hoc tempore non est necesse[31]. Itaque privabo illum potius[32] debito testimonio, quam id cum mea laude communicem[33].

II. Sed[1], quæ populari gloria decorari in Lucullo debuerunt, ea fere sunt et græcis literis celebrata, et latinis[2]. Nos autem illa externa cum multis; hæc 4

jus codd. sequutus, *afuit* edidit: quibus adhæsit Hülsem. At hoc in certissimis positum mihi est, h. l. auctorem *afuit* neque scripsisse, nec scribere voluisse. Ratio est in præpositione *ab* denuo addita, quam, hoc verbo præcedente, etiam consona sequente, auctor reponit. Orat. II, 37: « quæ absunt ab forensi contentione ». Div. III, ep. 5. Neque denique ullus in Cic. locus reperitur, ubi « afuit ab » legatur. G.

29. *Quin etiam... triumphavit.* Hæc sic intelligenda sunt: « Quid? Lucullus etiam reversus per tres annos forum et curiam non attigit, quum ei triumphus recusaretur ». Nam imperatori urbem intrare non licebat, nisi deposito hoc honore et dignitate. Quare per omne hoc tempus Lucullum urbe caruisse, certum est. De ipsa re vide Plut. l. l. cap. 37. G.

30. *Consilium et auctoritas... profuisset.* Malebat Davis. ex Eliensi suo *profuissent;* atque illico sic edidit Hülsem. Servandum esse singularem numerum supra ad libri initium docuimus. Addas licet exempla ex Off. I, 23, 7; Cluent. 10, 9; Tusc. III, 3, 5. G.

31. *Non est necesse.* Academicos libros Cicero scripsit eversa a Cæsare republica. Si in illis consilia Luculli, qui semper a Cæsare dissenserat, laudavisset, Cæsarem prorsus offendisset. Ideo illi de hoc silendum est. J. V. L.

32. *Itaque privabo illum potius.* Gœr. dat « Ita privabo potius illum ». Cum fragmentis, inquit, cod. Erl. Camerar. aliisque editis vett. pluribus *que* delevimus, satis memores, quam sæpe *Ita* consecutionem adjuvans, a scribis in *itaque* mutetur. Deinde verso ordine « potius illum » eorumdem scriptorum auctoritate dedi.

33. *Communicem* cum optativi vi positum, plane ex græci verbi κοινωνεῖν usu dicitur. Similis locus Div. XII, ep. 2. G.

II. 1. *Sed.* Post hanc vocem uncum invertit Hülsem. At docenda scilicet ars interpolatoris erat, qui tam apte interpolata cum veris junxerit! *Sed* h. l. transeuntis est, quam ubique fere *autem* subsequitur. G.

2. *Ea fere sunt... et latinis.* Erl.

interiora cum paucis ex ipso sæpe cognovimus. Majore enim studio Lucullus quum omni literarum generi, tum philosophiæ deditus fuit[3], quam, qui illum ignorabant, arbitrabantur. Nec vero ineunte ætate solum, sed et pro quæstore[4] aliquot annos, et in ipso bello[5]; in quo ita magna rei militaris esse occupatio solet, ut non multum imperatori sub ipsis pellibus[6] otii relinquatur. Quum autem e philosophis ingenio scientiaque putaretur Antiochus, Philonis auditor, excellere, eum secum et quæstor habuit, et post aliquot annos, imperator. Quumque esset ea memoria, quam ante dixi[7], ea sæpe audiendo facile cognovit, quæ vel semel audita meminisse potuisset.

« sunt fere », quem positum his contextis aptiorem judicamus. Proximorum verborum ordinem agnoscunt Gud. Erl. et Vien. Ante Davis. vulgabatur, « et latinis celebrata ». Scribæ scilicet has non pervagatas verborum series ad suum palatum aptare solent. G.

3. *Tum philos. deditus fuit.* Hæc, et quæ sequuntur, testatur Plutarch. Lucull. 42, nisi hic sua ex hoc ipso loco hausit : laudat certe ibidem hunc librum. G.

4. *Pro quæstore.* Davis. cum Pet. Fabro *quæstor* corrigit, verba « pro quæstore » non intelligens. Lambinus quidem dicit scribi sic in codd. quibusdam; sed haud dubie eos putat, in quibus, omisso *pro*, simplex *quæstore* legitur. Sed multum interest inter *quæstor* et *pro quæstore.* Ut reliqui Romanorum magistratus, ita quæstura quoque annua erat. Si autem quæstor uno anno plus in provincia erat, tum non amplius *quæstoris* nomine muneri huic præerat, sed « pro quæstore ». Lucullus igitur quum per 9 pæne annos quæstoris potestate in Asia functus esset, 8 fere annis ibi « pro quæstore fuit ». Per abusum igitur auctor scripsisset, si h. l. *quæstor* posuisset. At supra recte, § 1 : « in Asiam quæstor profectus est ». G.

5. *Et in ipso bello.* P. Man. edidit « ipso in bello », cui consentit Ven. 1494. Suspectam hæc vaga sedes nobis præpositionem fecit, ut eam abesse malimus, et ad verba « ipso bello », « flagrante », vel tale quid intelligamus. G.

6. *Sub ipsis pellibus.* Ubi sc. reliquis militibus otium esse solet. *Pelles* autem pro *tentoriis* dici, res notissima est; conf. Cæs. Bell. Gall. III, 29; Liv. V, 4. De « castris stativis » sermonem esse facile intelligitur. G. — Vid. Lips. de Milit. Rom. lib. V, dial. 5, et Tacit. Annal. XIII, 35, 4.

7. *Quam ante dixi.* Suadet Bentl. pro, « quam ante dixi », « qua ante dixi ». Recte, si *eum* addidisset auctor : sine pronomine autem conjecturam hanc minus recte probaris. *Dixi* est *descripsi*, *exposui*, ut sæpe. G.

Delectabatur autem mirifice lectione librorum, de quibus audiebat[8].

Ac vereor[9] interdum, ne talium personarum, quum amplificare velim, minuam etiam[10] gloriam. Sunt enim multi, qui omnino græcas[11] non ament literas; plures, qui philosophiam; reliqui[12], etiamsi hæc non improbent, tamen earum rerum disputationem principibus civitatis non ita decoram[13] putent. Ego autem, quum græcas literas M. Catonem in senectute didicisse acceperim; P. autem[14] Africani,

8. *De quibus audiebat.* I. e. quos laudatos audiebat. Cf. Legg, II, 3, 7. Vult igitur auctor, non adeo studuisse literis Lucullum, ut omnes libros qui ei in manus incidissent legeret; sed in eorum lectione substitisse, quos in præcipuis numerari intelligeret. G.

9. *Ac vereor.* Gœr. dat *At vereor.* Invitis, inquit, et scriptis et editis libris omnibus, vulgatum *Ac* correximus, ab hoc loco alienissimum.

10. *Minuam etiam gloriam.* Plures et codices, in quibus Wrat. et edd. vett. v. c. Ven. 1404, *imminuam.* Sed ex ultima verbi præcedentis syllaba id natum putabis. Duo Davisii omittunt *etiam.* Sed non viderunt scribæ hanc part. h. l. *adeo* notare. G. — Vide etiam ejusmod κακοφωνίας supra, I, 7, 17; Nat. Deor. II, 43; de Fin. V, 14, IV, 5; Tusc. I, 41; Divinat. I, 27, 12, II, 42, 7, etc.

11. *Qui omnino græcas... literas.* Erunt, qui in hujus loci structura offendant. Scribæ variant, « non ament græcas literas », ut frag. cod. Ven. 1494, Ascens. 2, aliæque veteres. G.

12. *Reliqui, etiamsi.* In vulgatis ante Davis. *qui* inseritur, plane ineptum, miroque modo ab Hülsemann. retractum. Sed præter duos Davisii, idem quatuor mei ignorant. Scribæ enim *reliqui* ad *Sunt* referebant, quumque *qui* opus esset, id facile, repetita præcedente syllaba, invenerunt. Sed languet locus, si *reliqui* ad verb. subst. retuleris. Bentl. qui suadet, « aliqui, qui etiam si hæc non improbent..... putent », vix paucis hanc rationem argutulam probabit. G.

13. *Putent.* Gœr. dat *putant.* Ita, inquit, cum Davisio, ex ejus binis, dedimus, quod item frag. cod. et Wrat. præbent: quæ est haud dubie vera lectio. *Putent* enim, quod vulgata refert, ortum suum ex præcedd. subjunctt. traxisse videtur. Ita demum constructio bene procedit: « Sunt multi; plures: reliqui ... putant ». Paullo post « non ita », pro « parum », auctor sæpe, Legg. I, 1, 4.

14. *P. autem Africani, historiæ... Panætium unum omnino comitem fuisse.* Vide Athenæum libro VI, pag. 273. Tum vero (obs. Dav.) comitem ei fuisse Panætium, docet Plut. Apophthegm. pag. 200, et in libro, « cum principibus philosopho esse disputandum », pag. 777: « Ceterum Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ, et auctor

historiæ loquantur, in legatione [15] illa nobili, quam ante censuram obiit, Panætium unum omnino comitem fuisse [16], nec literarum græcarum, nec philoso-
6 phiæ jam ullum auctorem requiro [17]. Restat, ut iis respondeam [18], qui sermonibus ejusmodi nolint personas tam graves [19] illigari. Quasi vero clarorum virorum aut tacitos congressus esse oporteat, aut ludicros sermones, aut rerum colloquia leviorum. Etenim, si quodam in libro [20] vere est a nobis philosophia laudata, profecto ejus tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est : nec quidquam aliud videndum est nobis [21], quos populus romanus hoc in

et admirator fuit, ut Polybium, Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit ». Quemadmodum testatur Vell. Paterc. lib. I, 13, p. m. 37, ed. Krause et Jani ; Ammian. Marcell. lib. XXIV, 7 ; Cic. de Finib. IV, 9 ; Horat. carm. lib. I, 29, 14, ibi Cel. Mitscherl. H.

15. *In legatione.* Vide, quæso, ut ex alio vitio scribis aliud subnascatur. Plures codd. ex compendio, *legione ;* inde quidam *regione*, et ex hoc rursus, lineola compendii servata, *religione.* Deinde ex *inletione* frag. cod. *intentione.* G. — De legatione illa vide intt. ad Val. Maxim. IV, 8, 13 ; Athen. lib. VI, pag. 273 ; Justinum lib. XXXVIII, cap. 8 ; Strabon. lib. XIV, pag. 985 ; Plut. in Apophtheg. et Ant. Bandinellum loc. controvers. § 15.

16. *Comitem.* Recte Panætius solus *comes* dicitur : nam servi comitum voce minime intelliguntur. G.

17. *Auctorem requiro. Auctor* is dicitur, cujus exemplo meam agendi rationem defendere licet. Conf. Ern. Clav. voc. *auctor*, n. 3. Jejune igitur Bentl. *fautorem* suadet : sed Davisius jejunius etiam *auditorem.* G.

18. *Ut iis respondeam.* Gœr. dat « ut his resp. » Vulg. *eis*, inquit Gœr. recte damnant fragm. cod. Gud. 2, et Erl. cum Ven. 1494, Camer. multisque edd. vett. aliis. Ubique enim *his* ita ponit, ut ad superiora relatum, « quem dixi » notet. Sunt autem h. l. *hi*, quos § 5 tertio loco posuerat. G.

19. *Personas tam graves.* Nobili loco natis indignum esse philosophiæ studium, adunco naso fastidioque quidam ejus generis romani, ἄμουσοι, dixerant ; in quos invehit sæpe Cicero in prooemiis librorum philosophicorum. Vide de Fin. I, 1, coll. Tuscul. II, 1, III, 1-3 ; de Divin. II, 1. H.

20. *Quodam in libro.* In Hortensio, cujus nonnisi fragmenta habemus ; vid. p. 1092-1098, Ern. vol. IV (hujusce Cic. part. tert. volumen ultimum). Ad rem vide Isocrat. Paneg. cap. 13, et prolegg. H.

21. *Nec quidquam aliud videndum est nobis.* Mire variant in his scripti : sic tamen, ut hoc solum inde pateat, librarios verbi *videre* vim non ce-

gradu collocavit, nisi ne quid privatis studiis de opera publica detrahamus. Quod si, quum[22] fungi munere debeamus[23], non modo operam nostram[24] numquam a populari cœtu removemus, sed ne literam quidem ullam facimus, nisi forensem : quis reprehendet nostrum otium, qui in eo non modo nosmet ipsos hebescere et languere nolumus[25], sed etiam, ut plurimis[26] prosimus, enitimur? Gloriam vero non modo non minui, sed etiam augeri arbitramur eorum, quorum ad populares, illustresque laudes, has etiam minus notas, minusque pervulgatas adjungimus. Sunt 7
etiam, qui negent in iis[27], qui in nostris libris[28] dis-

pisse ; atque ita pluribus modis loco, quem affectum putabant, suppetias ferre voluisse. Lectionem *innitendum* nil nisi glossam esse, ex Gryphiano, cui se Gud. addit, patet, ubi *vel* glossam cum glossato jungit, cum quibus etiam Paris. 5 facit. *Videre* pro *curare* dici, facile cernitur. Sic Orat. III, 1, 2 : « Philippo quem dixisse constabat, *videndum* sibi aliud esse consilium ». Cf. lib. V ad Att. ep. 1. G.

22. *Quod si, quum.* Nescio quid librarii in *quum* hæserint. Gud. *tamen* ex comp. Erl. *tam*, fr. cod. *tum*, Vien. *eo*, sed *cum* superscripto. *Quum* equidem verum judico ; sic tamen, ut « tum, quum », sicut toties auctor solet, scribatur : nam *quum* sola has turbas excitasse non videtur, quippe quæ in « quoniam », « quomodo, etc. » plerumque mutetur. G.

23. *Debeamus.* Habent quidam scripti, cum Gud. et Ven. 1494, *debebamus*, quo probato, Durandus etiam *removimus* et *fecimus* conjicit. Haud male ; inprimis si tempora, quibus hæc scripsit auctor, reputes. Sed tunc sane Cicero non solum supra « tum, quum », verum etiam in seqq. « quis nunc reprehendet », scripsisse putandus erit. G.

24. *Non modo op. nostr. numquam.* Erl. « nullo modo... umquam ». Sed causa mutati *non*, in *umquam* quærenda est ; quod vitium plerique scripti communicant. G.

25. *Qui in eo.... nolumus.* Ven. 1494, *nolimus*. Bene. Sed *qui*, non solum pro « quum nos » cum subj. immo etiam pro « quod nos », cum indicat. ponitur. At pro « in eo », vel simpliciter *eo* scribi, vel utramque vocem, ut glossema, abjici malim. G.

26. *Sed etiam, ut plurimis.* Gœrenz delet *etiam*. Gud. inquit, et fragm. cod. particulam toties inculcatam nesciunt ; delevitque eam cum edd. vett. nonnullis Ald. Nepos. In eadem dicendi forma delenda fuit, Legg. III, 7, 17, ubi nos vide. Vim ubique, sic neglecta, orationi addit. Conf. Orat. II, 89, 362. Hoc loco illa vel ideo suspecta esse debebat, quum « sed etiam » statim recurrat.

27. *In iis.* Gœr. dat *in his* ex 4 suis, quibus se Ven. 1494, Camer. aliæque vetus editæ plures addunt.

28. *In nostris libris.* Quod tres

putent, fuisse earum rerum, de quibus disputatur, scientiam. Qui mihi videntur non solum vivis[29], sed etiam mortuis invidere.

III. Restat unum genus reprehensorum, quibus academiæ ratio non probatur. Quod gravius ferremus, si quisquam ullam disciplinam philosophiæ probaret, præter eam, quam ipse sequeretur. Nos autem, quoniam contra omnes dicere, qui scire sibi videntur[1], solemus, non possumus, quin alii a nobis dissentiant, recusare. Quamquam nostra quidem causa facilior est[2], qui verum invenire sine ulla contentione volumus; idque summa cura studioque conquirimus. Etsi enim omnis cognitio multis est obstructa difficul-

mei, Vin. et ψ. *in* ante *nostris* respuunt, in eo non paremus, quum ubique auctor huic verborum structuræ *in* adjiciat. Cf. Legg. I, 6, 20. G.

29. *Non solum vivis, sed etiam mortuis.* Gœr. delet *solum.* Recte, inquit, vidit Davis. part. *solum*, quæ post *non* vulgatur, abesse a tribus codd. ejus et Ven. 1471 : abest etiam a Gud. et fr. cod. eoque rectius, quum *etiam* h. l. *adeo* notet, et, illa omissa, totius loci vis augeatur. Conf. Balb. 4, 10 : « non postulanti imperia, verum etiam recusanti, etc. »

III. 1. *Qui scire sibi videntur.* Sic Wrat. et fr. cod. At Pal. 2, et Erl. *quæ*, verbis *scire sibi* omissis. Gud. *quæ* vel *qui scire*, abjecto *sibi.* Cum his si Davisianorum varietates contuleris, causam turbarum in *quæ* videbis. Gud. duplicem lectionem textis inseruit. Cf. § 8, « qui se scire arbitrantur ». Ex quo loco ne forte codicis Ursiniani transpositio (quam etiam fr. cod. refert), *sibi scire*, arrideat. Sensum etiam alium enasci, *sibi* præposito, facile videbis. G. — Academici, « percipi nihil posse » dicebant, præter unum illud, « nihil posse percipi »; (v. cap. 33). In hac autem hæresi Cic. quum esset, non erat cur alios dissentire, moleste ferret; id enim ab iis solet fieri, qui scire sibi videntur; contra quos academici solent dicere. H. — Lectio *quæ videntur* omissis verbis *scire sibi* minime placet. Non enim contra omnes docere quæ videbantur soli Academici solebant, quod commune erat omnium; sed contra omnes qui scire videbantur, quod proprium erat academicorum negantium quidquam sciri et affirmari posse. P. Man.

2. *Nostra...causa facilior est.* Vulgata *facilis* refert. Sed receperat jam Davis. lectionem meliorem selectioremque; quem sequi Ern. debebat. Est enim ea non solum plerorumque scriptorum, sed meorum omnium. Si quis vel parum ad loquendi usum auctoris attenderit, intellectum habebit, quam sæpe noster comparativos sic ponat; ut eorum relatio ex contextis conjici debeat. « Nostra causa facilior est », i. e. « quam eorum, qui scire se aiunt »,

tatibus, eaque est[3] et in ipsis rebus obscuritas, et in judiciis nostris infirmitas, ut non sine causa et doctissimi[4], et antiquissimi invenire se posse, quod cuperent, diffisi sint; tamen nec illi defecerunt, neque nos studium exquirendi defatigati relinquimus[5], neque nostræ disputationes quidquam aliud agunt, nisi ut, in utramque partem dicendo[6], eliciant, et tamquam exprimant aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proxime accedat. Neque inter nos, et eos, 8
qui se scire arbitrantur, quidquam interest, nisi quod illi non dubitant, quin ea vera sint, quæ defendunt; nos probabilia multa habemus[7], quæ sequi facile, af-

i. e. « dogmaticorum ». Conf. Cæcin. 3, 8. G.

3. *Eaque est.* Obstinate tot scripti, cum tribus meis optimis, pro *que*, *quidem* obtrudunt, ut facile ad id adducaris, non esse integrum locum. Solent sane scribæ in hac *que* explicativa haud raro offendere: sed tum fere in alia omnia abeunt. Malim igitur, *que* in *quidem* mutari, et verba, « ea quidem est... diffisi sint », in parenthesi poni. G.

4. *Et doctissimi, et antiquissimi.* Gœrenz dat « et antiquissimi, et doctissimi ». Ita, inquit, scripti plerique, meique omnes; modo quod Erl. et Wrat. cum aliis *et* priorem, ut assolet in repetite posita, omittunt. Vulgo hi superlativi transpositi leguntur. Sed nostra ratio verissima: sic enim, « non solum antiquitate, sed etiam doctrina præ ceteris insignes », notantur. Nemo autem non novit, quantum Cicero antiquitati tribuat, quippe quam diis, atque ita veritati, proximam judicet; ex sensu nempe veri adhuc incorruptiore. Inde hanc horum mentem statuimus: « non solum, qui ob antiquitatem sensu veri minime pravato essent, sed doctrinæ etiam soliditate adjuti ». Philosophos ante Socratem intelligi, patet ex Acad. I, 12, 44.

5. *Relinquimus.* Ita ex nostris, Gud. Wrat. et Erl. rescripsimus, quam lectionem recte Davis. et Ern. alteri *relinquemus*, prætulerunt, quippe quæ sit præsenti, quod sequitur, unice accommodata. G.

6. *In utramque partem dicendo, eliciant.* Ita Gud. fr. cod. Wrat. Vien. ψ, qui verba, in aliis codd. addita, *et audiendo*, ignorant; a Lamb. primum jure deleta, repetita a Grutero, Lambini scriptis diffidente. Sed Davis. et Ern. rectiora sequuti sunt. Quum enim *disputationis* mentio interjecta esset, librarii voces « in utramque partem » ita acceperunt, ut ad eos referendæ essent, qui his disputt. interessent. Itaque quum *dicentes* adessent, *auditores* deerant. Nihil igitur mirum, si *et audiendo* ex sua ipsorum sapientia addiderunt. G.

7. *Probabilia multa habemus.* Πιθανὰ πολλὰ ἔχομεν; ex his græcis verbi *habere* vis plenius intelligitur. G.

firmare[8] vix possumus. Hoc autem liberiores et solutiores sumus, quod integra nobis est judicandi potestas; nec, ut omnia, quæ præscripta et quasi imperata sint[9], defendamus, necessitate ulla cogimur. Nam ceteri primum ante tenentur adstricti, quam, quid esset optimum, judicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore ætatis aut obsequuti amico cuidam, aut una alicujus, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis judicant[10], et, ad quamcumque sunt disciplinam quasi tempestate de-
9 lati, ad eam, tamquam ad saxum, adhærescunt. Nam, quod dicunt omnino se credere ei[11], quem judicent fuisse sapientem, probarem, si id ipsum rudes et indocti judicare potuissent (statuere[12] enim, qui sit

8. *Affirmare.* Ne cui *affirmare*, absolute positum, suspicionem moveat, ut cum fr. cod. *ea* additum velit: sæpe sic Cicero. Cf. Att. VIII, ep. 8, init. « Quid opus est de Dionysio tam valde affirmare? etc. » Sens. « quæ probabilia amplecti quidem possumus, sed ea pro firmis certisque judicare vix possumus. G.

9. *Quæ præscripta et quasi imperata sint, defendamus.* Gœrenz dat « quæ præscripta, et quibus, et quasi imperata sint, defendamus ». Edidimus, inquit, ut scripti nostri omnes, Vien. etiam, et ψ. præbent: ut magna suspicio sit, verba, *et quibus*, in omnibus omnino scriptis reperiri, neglecta a VV. DD. quum ea non cepissent. Idem etiam de edd. vett. judicandum est, in quibus (quot certe nos inspeximus) æque frustra quæruntur. Nos ea genuina judicamus, ita quidem ut *verbis* cogitetur. Ceterum patet sententia: « non simpliciter modo præscripta omnia defendamus, sed verbis iisdem, et quidem pæne servili anxietate adstricti ».

10. *De rebus incognitis judicant, et.* I. e. « persuasi ab aliis, non ipsi de veritate disciplinæ quæsiverunt, atque ita judicium suum ad eam applicavere ». *Incognitum* denique auctor de re non accurate cognita sæpius; conf. infra 36, 114, etc. G.

11. *Nam, quod dicunt omnino se credere ei.* Editur, « nam quod dicunt, omnia se cr. e. » At merito quæras, quid h. l. *omnia*? Melior est sane recepta lectio, eaque longe frequentior, obvia in Gud. fr. cod. multisque edd. vett. At Dr. et ψ. cum Balliol. « vel omnino omnia »: in quo, ut jam Davis. vidit, utraque scriptura commissa cernitur. Nec, quod Ven. 1494, fecit, « omnino omnia » legendum; nam in his loco huic vis quærenda nulla est. Male autem in olim editis ante *omnino* interpungebatur. G.

12. *Statuere.... sapientis.* Hæc verba sunt, παραδόξως, et, ut omnia

sapiens, vel maxime videtur esse sapientis): sed, ut potuerunt[13], omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis judicaverunt[14]; aut, re semel audita, ad unius se auctoritatem contulerunt. Sed nescio quo modo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam adamaverunt[15], pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quid constantissime dicatur[16], exquirere.

Quibus de rebus et alias sæpe nobis multa[17] quæ- 9
sita et disputata sunt, et quondam in Hortensii villa,

fere ejusmodi acute dicta, κατά τι capienda. Ad quæ apte citat Faber Xenophanis illud ap. Diog. Laert. IX, 20: σοφὸν γὰρ εἶναι δεῖ τὸν ἐπιγνωσόμενον τὸν σοφόν. Fontem, unde hoc dictum hauserit Cicero, vides. G.

13. *Sed, ut potuerunt*, etc. Gœrenz dat « sed aut, ut potuerint ». Quot editores, inquit, hic locus, tot pæne correctores habuit. Sed inter 18 VV. DD. correctiones (tot enim collectas habemus), nullam deprehendimus, quæ, contextis probe aptata, ex auctoris usu esset, facilitateque aliqua sua commendaretur. Vulgatur « sed, ut potuerunt », atque ita scripti omnes; modo quod plures *potuerint* variant, cum quibus facit fr. cod. et ψ. Loco *aut* deinde codd. nescio qui *autem* præbent: in quo nostri nihil variant. Vulgatam incommodam esse, licet in ea Ern. nihil hæserit, dubitari nequit. — Deinde suam correctionem tuetur Gœr. ex antecedentibus et sequentibus. Ex his, inquit, latins expositis, patere videtur, esse primo *ut potuerint* legendum; nam *ut*, pro *utut*, nusquam recte, nisi cum subjunctivo construi, certissimum est (vide nos ad Legg. I, 14, 40), deinde *aut* ante *ut* addendum; quippe quæ particula in hujusmodi disjunctivis enuntiationibus abesse nequeat.

14. *Judicaverunt.* Hærent nonnulli in *judicaverunt:* quam recte, ipsi videant, si auctori rectius adsueverint; qui frequentissime *judicare*, pro *judicatum sequi*, scribit. G.

15. *Adamaverunt.* Nonnulli ex Nonio *adhamaverunt:* sed bonus ille grammaticus ex vitiosa scriptura decipi se passus est. G.

16. *Quid constantissime dicatur.* « Quod ejus generis sit, ut in eo defendendo numquam tecum pugnes ». Opponitur « pugnacissime defendere », quod supra, i. e. vel apertissime absurdam disciplinam omni, quo possis, modo defendere. G.

17. *Et alias sæpe nobis multa.* Gœrenz delet *nobis*. Abest, inquit, in 6 Davisianis, 5 nostris, Vien. quoque et ψ. abest idem etiam in edd. vett. pluribus. Accipit quidem ex omisso vagi quid sententia, quod tamen ex contextu facile tollitur. Possis etiam putare, a scribis non *nobis*, sed *a nobis* proficisci potuisse: sed potuit pron. ab docta aliqua manu esse additum. Nam, eo retento, nescio quid lentum et male profluens loco subnascitur. Accedit, quod auctor voc.

quæ est ad Baulos[18], quum eo Catulus, et Lucullus, nosque ipsi postridie venissemus, quam apud Catulum fuissemus. Quo quidem etiam maturius venimus, quod erat constitutum, si ventus esset, Lucullo in Neapolitanum, mihi in Pompeianum[19] navigare. Quum igitur pauca in xysto[20] loquuti essemus, tum eodem in spatio consedimus.

IV. Hic Catulus, Etsi heri[1], inquit, id, quod quærebatur, pæne explicatum est, ut tota fere quæstio tractata videatur[2]; tamen exspecto ea, quæ te pollicitus[3] es, Luculle, ab Antiocho[4] audita, dicturum.— Equidem, inquit Hortensius, feci plus quam vellem.

sæpe multus, et ordine verso, vicinas ponere amat. Tusc. I, 30, 74; Quint. 13, 43; Off. II, 6, 5, etc. G.

18. *Ad Baulos*. Bauli, Hortensii villa, ab oppido vicino dicta, conf. Plin. H. N. III, 5, IX, 55, posita ad sinum maris Baianum, coll. Tacit. Annal. XIV, 4. G.

19. *Neapolitanum... Pompeianum*. Neapolis et Pompeii, oppida ad eumdem maris sinum sita erant, et juxta ea Luculli et Ciceronis prædia, ad quæ hi trajecturi venerant. G.

20. *Xysto*. Xystus videtur locus subdialis, ante domum positus, et pro vario dominorum ingenio variis modis ornatus. Vide sis J. F. Gronovium ad Senecæ de Ira lib. III, cap. 18, et Aug. Buchnerum ad Plinii lib. IX, ep. 7. Dav.—De *xysto*, cf. Vitruv. IV, 5 : « Nostri hypæthras ambulationes xystos appellant, quas Græci περιδρομίδας dicunt ». G. — Vid. Gierig. ad Plin. Epp. lib. II, 17, 17, post alios; Cicer. Brut. cap. 3; intpp. ad Phædr. II, 5, 18. H.

IV. 1. *Heri... explicatum est*. In libro priore, Catulo. Jacturam igitur non nimis pœnitendam fecimus, quum eamdem disp. hic liber repetere dicatur. H.—De iis quæ primo libro continebantur, cf. infra, p. 245, not. 19, et Gœr. Introd. fin.

2. *Ut... videatur*. Recte quidem defendit hæc contra Gruterum Davis. cui de glossemate suspicio erat; sæpe enim jam de hoc pleonasmi genere egimus : sed h. l. ea defensione ne opus quidem est, quum *ut* pro *adeo ut* dicatur. Conf. Nostrum, Acadd. lib. I, cap. 9, § 33. G.

3. *Quæ te pollicitus... dicturum*. Tirones monemus, ad verba dicendi auctorem pronomina amare præposita. Cf. Acadd. I, 5, 18. G.

4. *Ab Antiocho*. Antiochus ille prodierat ex schola Philonis, a cujus præceptis ita abhorruit postea, ut quintam Academiam institueret. Vid. Sext. Emp. adv. math. VIII, s. 113, et P. Hyp. II, s. 220, p. 185, Fabric. Id agebat, ut cum academia reliquas sectas conciliaret, et a Carneadis sententia, vel sensuum evidentia deficiens, Stoicam scholam probavit. Vid. Sext. Emp. adv. math. l. VIII, sect. 235,

Totam enim rem Lucullo integram servatam oportuit[5], et tamen fortasse servata est. A me enim ea, quæ in promptu erant, dicta sunt; a Lucullo autem reconditiora desidero.

Tum ille, Non sane, inquit, Hortensi, conturbat me exspectatio tua; etsi nihil est iis, qui placere volunt, tam adversarium[6]: sed quia non laboro, quam valde ea, quæ dico[7], probaturus sim, eo minus conturbor. Dicam enim, nec mea, nec ea, in quibus, si non fuerint[8], non vinci me malim, quam vincere.

infra c. 22, 35, 43, 45, de Finib. l. V, 3, sqq. H.

5. *Lucullo integram servatam oportuit.* Mei quoque codd. *Catulo*, ut plerique omnes. Quam lectionem nimium exagitat Davis. contra Grut. qui suo more amplius cogitandum pronuntiat. Licet enim *Catule* legi. Male etiam me habet, quod paucis lineis *Lucullo* recurrit. *Servatam* deinde pro vulg. *servari*, ex quatuor Davisii, aliis Allemanni, tribus meis, probantibus jam Davis. et Ern. reposuimus. Ita « dictum, factum, communicatum, interemptum oportuit », dicitur. G. — J. V. L. vertit : « j'aurais dû laisser toute cette tâche à Lucullus, et peut-être lui reste-t-elle en entier ».

6. *Tam adversarium.* Sc. « quam nimia exspectatio »; quippe cui satisfacere difficillimum sit. G.

7. *Quæ dico.* Offendit me, *quæ dico*, quod verum esse non potest : quomodocumque enim id defenderis, tamen cum auctoris usu pugnabit, et cum ipsa linguæ natura. Nam hæc in universum dicta accipere, quasi in nulla re Lucullus laboret, quam valde eam probaturus sit, incongruum fuerit atque absurdum. Sic, *dixero* scribendum, judico. G.

8. *Nec mea, nec ea, in quibus, si non fuerint, non vinci*, etc. Turbant in his scripti. Primo enim quatuor mei cum multis aliorum, *nec ea;* deinde iidem *non*, ante *vinci*, ignorant : ut facile Gruterum audias, qui legendum commendat, *nec mea, in quibus, si non fuerint, vinci*, etc. Sed si vel *in quibus* pro *ut in his*, dictum putes, quod recte licet; tamen *nec* simplex in ejusmodi structura admitti nequit. Sed salva res est. Librarii enim pro *nec mea, nec in ea* scribebant, ut expresse Gud. et frag. cod. exhibent; atque inde *nec ea* sua sponte abjecerunt : idemque deinde etiam in *non* accidit. Sed etiam VV. DD. turbarunt. Quum enim primus Lamb. ex aliquo libro, « si non fuerint vera », scripsisset, Davisius ex binis suis, « si vera non fuerint », edidit; quod Ern. cum reliquis sequutus est. Sed sedes certe vaga vocis Davis. et reliquos monere debuisset, ut accuratius quærerent. Atque jam Gruterus, ex forma, *Sunt ista*, prius vulgatam defendit; unde æque, « Non sunt ista », recte dicitur : ita etiam, ut nostro loco. At Davisius, hujus et illius formæ rationem plane diversam pronuntiat. Paullo altius igitur repetamus. Elliptica dicendi

Sed mehercule, ut quidem nunc[9] se causa habet, etsi hesterno sermone labefacta[10] est, mihi tamen videtur esse verissima. Agam igitur, sicut Antiochus agebat. Nota enim mihi res est. Nam et vacuo animo illum audiebam, et magno studio, eadem[11] de re etiam sæpius; ut etiam majorem exspectationem mei[12] faciam, quam modo fecit Hortensius. Quum ita esset exorsus, ad audiendum animos ereximus.

11 At ille, Quum Alexandriæ pro quæstore, inquit, essem[13], fuit Antiochus mecum, et erat jam antea

ratio est, et a Græcis mutuata, « Sunt ista » : sed semper ad contexta proxime refertur, ut non *vera* sit cogitandum, sed « ita, ut dico, dicis, etc. » ut etiam alibi plenius additur. Quod quum certissimum sit; « Non sunt ista », pari ellipsi, rectissime poni posse, necessario cogitur. Jam si, « fuerint ista », bene tum diceretur, si « ita, ut dixero », cogitare licebit : nulla dubitatio relinquitur, recte dici « ea, si non fuerint ». G. — Totam sententiam vertit *Castillon :* « Ce système n'est pas de moi ; et, s'il est faux, j'aime mieux être vaincu et désabusé, que de vaincre en combattant pour l'erreur ».

9. *Quidem nunc.* Tirones h. l. teneant, non perinde esse, sic, an ordine transverso, *nunc quidem*, (ut alias frequentius hæ partt. struuntur), scribatur. Illa ratione vis enuntiati in asseveratione cernitur, Brut. 17, 65 : « oratorum, qui quidem nunc sunt » : hac, in temporis notatione, Att. VI, ep. 5. « Nunc quidem profecto Romæ es ». G.

10. *Labefacta.* ψ. et Vien. in consuetiore participii forma, *labefactata*, peccant; sed hic ex correctione. Reliqui omnes *labefacta* præbent. G.

11. *Eadem de re.* Peccant in his scribæ. Codd. plures *addere.* Erat enim per comp. *ead.* scriptum, et prima syllaba perierat. Pejus deinde corruptum corruperunt : hinc Gud. *arridere.* Ex eodem comp. est aliorum, *ea de re.* Erl. *eadem* simpliciter. Quod placebit, quum *res* statim præcesserit. Sed ita sæpissime auctor. Cf. Divin. I, 52. Nihil igitur mutamus, idque maxime quum vel aperte corruptæ lectiones veritatem vulgatæ testentur. G.

12. *Exspectationem mei.* Wrat. Dr. cum aliis aliorum *ei;* ut res ad Antiochum referatur. Sed contexta *mei* requirunt, ut vidit Davis. quamquam, ut idem ille vult, necesse non fuerit, ut tum, si *ei* valeret, Antiochus ipse huic sermoni interesse debuisset. Sed peccant ubique scribæ in genitt. *mei, tui, sui;* idque h. l. eo facilius potuerunt, eadem litera præcedente. G.

13. *Alexandriæ pro quæstore, inquit, essem.* Verum vitium admisit Davis. quum *quæstor* ex libris suis, nescio quibus, corrigeret : neque meorum codex ullus hoc vitium communicat. Certum enim est Lucullum non primo quæsturæ anno, sed tertio Alexandriæ fuisse : igitur vere et proprie tum *pro quæstore* erat, ut supra

Alexandriæ familiaris Antiochi Heraclitus Tyrius [14]; qui et Clitomachum [15] multos annos, et Philonem [16] audierat, homo sane in ista philosophia, quæ nunc prope dimissa revocatur, probatus et nobilis: cum quo [et] Antiochum [17] sæpe disputantem audiebam; sed utrumque leniter [18]. Et quidem isti libri duo Philonis, de quibus heri dictum a Catulo est [19], tum erant allati Alexandriam, tumque primum in Antio-

docuimus. Sed loco *essem* scripti plures *issem* (ab *ire*, pro venire); in quibus est Gud. et ψ. Quod non plane negligendum est, quum toties *isse* a scribis in *esse* mutatum reperiatur. Si admiseris hanc correct. *Alexandriam* scribendum est. Cf. Drak. ad Sil. Ital. XV, 151, et Broukh. ad Tibull. I, IX, 36. G.

14. *Et e. j. a. Her. Tyr.* Ex his necessario sequitur, in Luculli comitibus Antiochum tum Alexandriam venisse. Nulla alia igitur ex causa h. l. Antiochi præsentia Alexandriæ narratur, quam ut disputationum ejus cum Heraclito Tyrio mentio fieret. De quo Academico, præter ea, quæ h. l. narrantur, nihil amplius constat. Bene dignoscendus ab Heraclito Peripatetico; cum quo confunditur a Menagio ad Laert. IX, 17. G.

15. *Clitomachum.* Clitomachus, Carthaginiensis, successor erat Carneadis. Vid. infra c. 32, coll. Jonsio Hist. philos. l. II, c. 14. Meminit ejus Numen. ap. Euseb. Pr. ev. p. 726. H.

16. *Philonem.* De Philone, Larissæo, multi perhibuerunt. Auctor est quartæ Academiæ, et usus est doctrina Clitomachi, quem sequutus est Ol. 170. Vid. Jonsium l. c. p. 185, seqq. Celebritatem famæ nactus erat Ciceronis ætate, qui eum bello Mithridatico profugum, Romæ audiverat. Perierunt ejus libri, in quibus duas esse academias negaverat, cum ipsis titulis. Operæ pretium igitur est circumspicere fontes historiæ philosophiæ veterum, et inprimis acquiescere in excerpto Io. Stobæi ecl. phys. l. II, c. 7, p. m. 38, sqq. Heeren. H. — Adde Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. l. I, sect. 235, p. 55. Mund. Nec silendum de Numenio qui ap. Euseb. Pr. ev. l. XIV, c. 9, p. m. 739, de Philone loquitur. H.

17. *Cum quo [et] Antiochum.* Vulgo post *quo*, inseritur *et*, a Davisio jam ex 6 codd. ejus rejecta, revocata citra jus ab Ernestio. Ignorant eamdem cum Vien. et ψ. omnes 5 mei, damnatque ipse auctoris usus, qui *et* pro *etiam* respuit. Omnia enim loca, quæ, copulam sic poni, afferuntur, falsa sunt quum scribarum, tum interpretum vitio; id quod, dato loco, luculente probabimus. G.

18. *Leniter.* Recte hoc Ern. restituit, ut multi vett. edd. recte pro *leviter* præbent, et cum Regio Davisii fr. cod. et Vien. G.

19. *De quibus heri dictum a Catulo est.* Omittit ψ. *est*, quod fr. cod. post *dictum* ponit. Unde suspicio haud parva enascitur, *est*, quod toties ad participia omitti solet, hoc loco esse spurium. — Ceterum ad hæc verba si ea contuleris, quæ supra ab Hortensio

chi manus venerant: et homo natura lenissimus (nihil enim poterat fieri[20] illo mitius) stomachari tamen cœpit. Mirabar; neque enim umquam antea videram[21]. At ille Heracliti[22] memoriam implorans, quærere ex eo, viderenturne illa Philonis, aut ea num vel e Philone, vel ex ullo academico audivisset aliquando? Negabat. Philonis tamen scriptum agnoscebat[23]; nec id quidem dubitari poterat. Nam aderant mei familiares, docti homines[24], P. et C. Selii[25], et Tetrilius Rogus[26]; qui se illa audisse[27] Ro-

dicuntur, quæque § 12, dicuntur; illud satis clare inde elucere videtur, Catulum priore libro, ipsi cognomine, quum in universum Academiæ rationes, per singula tempora eundo, exposuisse, tum in Arcesilæ maxime Carneadisque philosophia ita substitisse, ut simul ea, quæ Philo novaverat, accuratius enarraret. His Hortensius eo modo respondit, ut Antiochia omnia opponeret. E quibus Antiochiis sibi Lucullus illa « de sensuum veritate et de assensu » separatim sumpsit, quæ hoc in posterioris libri sermone diligentius tractaret. G.

20. *Fieri i. m.* Locus hic e paucis est, in quo scribæ *fieri*, pro *esse* positum, non tentarint. Cf. N. D. II, 17, 45 : « quo nihil fieri excellentius potest ». G.

21. *Neque enim...antea videram.* Gœr. dat *nec enim...ante v.* Ita, inquit, codices mei pro vulgato « neque... antea vid. » illud Gudiano modo excepto; posterius, ne hoc quidem. Nec aliter Vien. Consentit in *nec* Davis. quippe quod ex suis tacite (ita enim solet), ediderit: in *ante* etiam ψ. Ven. 1494, cum aliis vetus excusis. G.

22. *Heracliti*, illius Tyrii, de quo supra, § 11, init.

23. *Scriptum agnoscebat. Scriptum* est pro *scribendi genere;* σύγγραμμα (*le style*). Noluit enim auctor hoc in contextu *scriptionem* ponere, quod alias solet. G.

24. *Docti homines.* Recte Davis. et Ern. *et*, quæ olim ante *docti homines* addebatur, delerunt, ignoratam etiam nostris codd. Neque denique Grut. audiendus, qui pro *homines*, *omnes* probat: ita enim scribæ ubique peccant. Hoc loco Ciceronem vel ex recentioris latinitatis abusu loqui jusseris. G.

25. *P. et C. Selii.* De quibus nihil amplius constat, quam eruditos fuisse L. Luculli amicos, Philonisque auditores. H.

26. *Tetrilius Rogus.* Erl. reliqui mei, cum plerisque, expresse *Tertilius*. Frag. cod. ut scripti quidam Ursini, *Tetrinius*. Quid mirum, si in ignoto homine scribæ peccant? Sed *Tetrilii* nomen nuspiam reperitur: inde VV. DD. « Tertullius, Cretilius, Trecilius, etc. » *Terrinius* quidam legitur apud Suet. Aug. 54, ubi æque scripti miscent. Equidem utroque loco *Tertinius* malim. Cf. Grut. Inscrr. 563, n. 7. G.

27. *Audisse.* Scripti tres mei et Vien.

mæ[28] de Philone, et ab eo ipso[29] duos illos libros di-
cerent descripsisse. Tum et illa dixit[30] Antiochus, quæ 12
heri Catulus commemoravit a patre suo dicta Phi-
loni, et alia plura; nec se tenuit[31], quin contra suum
doctorem librum etiam ederet, qui Sosus[32] inscribitur.
Tum igitur et quum[33] Heraclitum studiose audirem
contra Antiochum disserentem, et item Antiochum
contra academicos, dedi Antiocho operam diligen-

vetusque editi sat multi *audivisse*, sed vulgatum bene habet. Vide ad Acadd. I, 1, in. G.

28. *Romæ*. Philonem Romam venisse, testatur auctor Brut. 89, 306, eo enim confugerat, Athenis a Sulla 665, oppugnatis. G.

29. *De Philone, et ab eo ipso... descripsisse*. I. e. non ipsum quidem Philonem audisse, sed ex aliis, quæ ille seorsim sentiret, accepisse; descripsisse autem ab ejus autographo, etc. Nam *de* pro *a* positum putare, inprimis cum *ab* sequatur, mei palati non est; licet tria loca in Ciceronis scriptis ejusmodi abusum defendere videantur. G.

30. *Tum et illa dixit Ant.... Philoni*. Sententia hæc est : « Tum in redarguenda Philonis sententia Antiochus ea argumenta adhibuit, quibus, patrem coram Philone usum esse, heri dixit Catulus ». At de quanam re? Altum servant interpretes silentium. Facile res expedietur, si contuleris Acad. I, 4, 13 : « Philo... negat in libris... duas Academias esse, erroremque eorum, qui ita putarunt, coarguit. Est, inquit, ut dicis : sed ignorare te non arbitror, quæ contra Philonis Antiochus scripserit ». Id vero ideo Philo faciebat, ut, Arcesilæ et Carneadis exemplo, veteres Academicos, ipsumque Platonem in suam sententiam traheret, *nihil posse comprehendi*. De quo inferius multis. Inde autem argumentorum ratio et tenor sponte se prodit, quibus hi contra Philonem usi dicantur. G.

31. *Nec se tenuit, quin*. Quisque Lamb. interpunctionem, « nec se tenuit. Quin », ad hæc contexta coactiorem videt. G.

32. *Qui Sosus inscribitur*. De *Soso*, Antiochi contra Philonem scripto libro, inferius plura patebunt : ipsa enim Luculli disputatio ex eo maximam partem hausta est. G. — Alii legebant *Solus* quod Gruterus ductum volebat ex urbe Solo vel Solonte, in Sicilia. Durandus *Solus* interpretabatur, *tamquam Solus suæ sententiæ*, ironice adversus Philonem. Sed e Fabricio Bibl. Gr. lib. III, cap. 25, colligas ex Ascalone urbe, Antiochi patria, præclaros etiam alios ortos esse philosophos, quos inter eminent, *Sosus*, *Antibius*, et *Eubius*. Inde probabile est Antiochum operi suo nomen civis sui *Sosi* inscripsisse, quum opera plerumque nomina eorum quibus dedicarentur, usurparent, quod patet ex Ciceronis *Bruto* et *Hortensio*. J.V.L.

33. *Et quum... et*. Aperte transpositæ sunt partt. nam proprie *quum et* scribendum erat. Sed alibi jam servandas in auctore ejusmodi transpositiones diximus Legg. II, 1, 1. G.

tius, ut causam ex eo totam cognoscerem. Itaque complures dies, adhibito Heraclito, doctisque compluribus, et in his Antiochi fratre Aristo [34], et præterea Aristone [35], et Dione [36], quibus ille secundum fratrem plurimum tribuebat, multum temporis in ista una disputatione consumpsimus. Sed ea pars, quæ contra Philonem erat, prætermittenda est [37]. Minus enim acer est adversarius is, qui ista, quæ sunt heri defensa, negat academicos omnino dicere. Etsi enim mentitur, tamen est adversarius lenior [38]. Ad Arcesilam Carneademque veniamus.

13 V. Quæ quum dixisset, sic rursus exorsus est: Primum mihi videmini (me autem nomine appellabat),

34. *Aristo.* Aristus, frater Antiochi, conditoris Academiæ quintæ, diversissimus est ab Aristone (de quo infra). H.

35. *Aristone.* Hunc Chium esse philosophum, propter suam dicendi dulcedinem clarum, Zenonis Cittiei coævum, docet Hüls. Comment. ad h. l. pag. 453. Quem sic mordaciter carpit Gœrenz: Vivacem sane et annosum hominem nobis in hoc Aristone sistit Hülsem. quippe 200 fere annos natum. Si enim vere hunc Aristonem Zeno Cittieus loquacem dixit, prout hic testatur, Zeno autem a. U. C. 483 mortuus est; facile ratio hæc nostra constabit, si idem ille 669 Alexandriæ fuit. Vitium in eo est, quod Aristo ille Chius cum eo, qui h. l. memoratur, confusus est; quem Alexandrinum esse, judico, cujus mentionem facit Diog. Laert. VII, 164, quique, eodem auctore, V, 61, Peripateticus, Alexandriæ vixit. Eumdem bis cum Antiocho junctum, vide Tusc. V, 8» (ubi tamen pro *Aristone*, *Aristo*, abl. casu, Doctiss. VV. legendum videtur). G.

36. *Dione.* Dio h. l. memoratur Academicus, de quo vid. pro Cœlio, c. 10, et Strab. l. XVII, p. 1147: missus erat ab Alexandrinis Romam, legatus, ut ibi Ptolemæum Auletem accusaret. H.

37. *Quæ contra... prætermittenda est.* Gud. Dr. et cum Ven. 1494, edd. vett. plures verba, *prætermittenda est*, ante *quæ contra*, etc. ponunt. G.

38. *Adversarius lenior.* Lamb. mavult *levior.* Davis. qui sic, ut nihil mirum est, in tribus suis reperit, in neutram partem pronuntiat. At nos ne probaremus quidem, si auctoritate scriptorum confirmaretur omnium. *Levitas* enim apud auctorem maxime *mentientis* est: oriretur inde ambiguitas quædam, ut de corrigendo loco cogitandum foret. Sensus est, « Etsi quidem argumenta, quibus oppugnet, fingit: tamen vel sic parvam sane vim habent ». Repetite hæc etiam ponuntur, quæ paucis ante variatis modo verbis dixerat, « minus enim acer est adversarius ». *Acri* autem, veluti vino, ubique *lenius* opponitur, ut *lenioribus* virtutibus *ferventiores* Off. I, 15, 2. G.

quum veteres physicos [1] nominatis, facere idem, quod seditiosi cives solent, quum aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuisse populares, ut eorum ipsi similes esse videantur. Repetunt a P. Valerio [2], qui, exactis regibus, primo anno consul fuit; commemorant reliquos, qui leges populares de provocationibus tulerint, quum consules essent; tum ad hos notiores [3], C. Flaminium [4], qui legem agrariam aliquot annis ante [5] secundum Punicum bellum tribunus plebis tulerit, invito senatu, et posteà bis

V. 1. *Veteres physicos.* Velim sane discere ex Ern. cur ipsi et h. l. et pluribus, vox *physicus* adeo suspecta fuerit, ut eam edd. vett. quarumdam auctoritate, deleret; quæ tamen toties de philosophis ante Socratem apud Ciceronem legatur. Nos contrà eamdem accuràte delectam, seu potius a Græcis recte mutuatam, judicamus, ad eos philosophos distinguendos, qui pleraque omnia ad morum doctrinam referebant, quosque idem ille eximie *philosophos* appellat. Nihilo secius tamen duo sunt, quæ Ernestianæ sententiæ pondus adjungere valeant. Primo enim *veteres* additur, quum alibi semper *physici* simpliciter dicantur; deinde iidem infra 23, 72, *antiqui philosophi* dicuntur. At *veteres* h. l. consulto adponitur, ut *antiqui clari viri* oratione eo accommodatiore comparentur. *Physici* autem communi philosophorum nomine ubique recte appellantur; modo ne contra scriptorum fidem *philosophos* inferas, ubi distinctiore voce *physici* leguntur. G.

2. *Repetunt a P. Val.* Scripti turbant; sed ut solent in selectiore latinitate. Plerique enim « jam P. Valerium ». E nostris fr. cod. Vien. et, ni fallor, Wrat. cum aliis aliorum receptam recte servant. Tusc. I, 48, 116, « repetunt ab Erechtheo »; Divin. I, 1: « ut ab ultimis auctoritatem repetam, etc. » Additur etiam *usque* Orat. I, 20, 91; Invent. II, 2, 6, sed nusquam *jam*: recte igitur Davis. hanc part. h. l. magis etiam ineptam delevit. — Consul fuit ille P. Valerius, Publicola Livio dictus l. II, 8 (p. m. 270, ed. Drackenborch.); ille (c. 7.) Etruscorum spolia legit, triumphansque Romam rediit. Fuit apud pop. rom. in immensa gratia; quapropter intra muros urbis sepultus est. Cf. de Legg. II, 23, et de harusp. resp. c. 8. H.

3. *Tum ad hos notiores.* Davis. particulam desiderat, v. c. *et*, *autem*, etc. Cur? ignorabat nempe, *tum* referri ad supra omissum *primo*, quod in verbis *Repetunt a* latet. Sic item poni *deinde* solet. At idem si *ad* sollicitat, orationem enervat. Sæpe sic auctor, et in hac structura eleganter etiam *veniunt* suppressit. G.

4. *C. Flaminium.* C. Flaminius h. l. dicitur tribunus plebis, cujus mentionem fecit Cicero in Brut. c. 14 et 19, et qui in lacu Trasimeno, consul periit. H.

5. *Aliquot annis ante.* Frag. Cod. Erl. et vetus impressi plures *annos*.

consul factus sit; L. Cassium, Q. Pompeium[6]; illi quidem etiam P. Africanum[7] referre in eumdem numerum solent; duos vero sapientissimos[8] et clarissimos fratres, P. Crassum et P. Scævolam[9], aiunt Tib. Graccho auctores legum fuisse, alterum quidem, ut videmus, palam; alterum, ut suspicamur[10], obscurius: addunt etiam C. Marium, et de hoc quidem nihil mentiuntur: horum nominibus tot virorum atque tantorum expositis, eorum se institutum sequi di-
14 cunt. Similiter vos[11], quum perturbare, ut illi rempublicam, sic vos philosophiam bene jam constitutam velitis, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum,

Ex vitio nempe scribis pervagato, qui, *ante* postposito tamen præpositionis vim inesse sibi persuaserant. G.

6. *L. Cass. Q. Pompeium.* De Lucio Cassio neque Cicero, nec ejus interpp. certi aliquid statuerunt. Non veri absimile videtur eum fuisse auctorem legis tabellariæ; vid. ad Herenn. lib. IV, 34; Brut. c. 25, 27; de Legg. lib. III, 16. Populi auram captasse fertur. — Non magis constat de Q. Pompeio, utrum forsan fuerit Bithynicus, de quo vid. Cic. Brut. c. 68. H.

7. *P. Africanum.* H. l. Cicero dicit Scipionem *minorem*, nepotem majoris, ab eversa Carthagine famam immortalem nactum, quam imperio romano adjecit. De *majore* illo constat, bellum cum Carthaginensibus Hannibale victo eum ad exitum perduxisse. Vid. Livium l. X, 11, 25, sq. XVII, 12, 16, 20, sq. 27. H.

8. *Duos vero sapientissimos..... fuisse.* Egregie turbant scripti; sed, ut facile videre est, inde, quod librarii *Crassum* et *Scævolam* noluere agnoscere *fratres.* Qua de re satis accurate egit Davis. Cf. Gron. Obss. II, c. 6, p. 198. Vulgata verissima est: nec audiendi sunt Vien. Erl. Dr. etc. qui transposite *legum auctores;* sententiæ enim vis in regente subst. inest. G.

9. *P. Crassum et P. Scæv.* P. Crassus h. l. est ille Mucianus Dives. Vid. Cic. Brut. c. 26; Orat. 1, 37, 57; or. Phil. XI, 8. — De P. Mucio Scævola vid. Cic. Brut. cap. 56, et Pompon. de orig. jur. l. II, § 39. H.

10. *Ut suspicamur, obscurius.* Gœr. dat *ut suspicantur.* Sic, inquit, jam ex pluribus codd. Davisius legendum statuebat: atque ita sane ab Ern. edi debuisset. Sed putabat hic sc. ad *videmus* esse referendum. Immo vero ad *aiunt* refer, hoc sensu: « Crassum, confirmant, palam (ut in aperto est), Ti. Graccho legum rogandarum auctorem fuisse; de Scævola, se idem suspicari dicunt ». Bene comparat Davis. Plut. in Gracchis p. 828. *Obscurius* addidit auctor, ut *palam* haberet, cui opponeretur. Nostri libri ad unum omnes, prout edidimus.

11. *Similiter vos,... sic vos.* Ern. posterius *vos* inclusit, sed prius deletum mavult: ita enim, « ut illi... sic

Parmenidem, Xenophanem[12], Platonem etiam[13], et Socratem profertis. Sed neque[14] Saturninus (ut nostrum inimicum potissimum nominem) simile quidquam habuit veterum illorum; nec Arcesilæ calumnia conferenda est cum Democriti verecundia. Et tamen

vos», Ciceronis more eleganter opponi. Elegantia structuræ, auctorisque mos, negari nequit. Cf. § 15. Sed hoc unum addubito, an non comparationis vis in tam longo contextu frangatur, si *vos* prius deleveris. Posterius autem si attigeris, aptissimum contentionis tenorem, «ut illi remp...... sic vos philos.» turbabis. Nihil igitur mutandum, inprimis quum duplex *vos* non ad idem verbum, sed prius ad *profertis*, posterius ad *velitis* pertineat. Quod vix Ern. vidit; alias enim ante *quum* interpunxisset: prout nos quidem fecimus. Ceterum quod in pluribus codd. *Simile*, aut *Similes* scribitur, ex compendio *Sr* non accurate expresso, factum putabis. G.

12. *Xenophanem.* Dubitari nequit, hanc veram esse lectionem; licet scripti plures, in quibus etiam Erl. et U. numeratur, *Zenonem* hujus loco ponant, et Victorius hunc illi prælatum velit. Sed pergit auctor in his nominibus recensendis accurate retrogradiendo, sic ut recte discipulum magistro præponat. Si *Zenonem* (Eleatem puta) voluisset, eum haud dubie ante Parmenidem posuisset, quippe hoc ætate provectiorem. Deinde infra 23, 74, pari ordine Parmenidem Xenophanes, sine omni lectionis varietate, sequitur; idque eo ipso loco, ubi ad hæc ipsa respondetur. Denique h. l. scripti plerique *Xenophontem* variant, quocum nomine fere ubique illud *Xenophanis* confunditur. G. — De Empedocle, Anaxagora, Democrito, vid. Sext. Empir. adv. math. lib. VII, sect. 396, sq. ibi Fabric. — De Parmenide et Xenophane, quæ dicenda erant, exposuit *Fülleborn*, in *Beitr. z. Gesch. d. philosoph.* part. VI, seq. post Stephani poes. philos. H.

13. *Platonem etiam, et S.* Ne hi duo quoque in physicis numerari viderentur, consulto auctor *etiam* addidit. Ceterum si *Tennemann. Geschichte der Philos.* tom. IV, p. 399, conjicit, hunc totum locum esse ex Antiochi vel scriptis contra Philonem, vel prælectionibus, mutuatum; fateor equidem, non fieri id non potuisse: sed quum comparatio ista nihil nec peregrini, nec a Cicerone alieni coloris habeat, solaque ab eo exspectari possit, qui rerum romanarum interiorem sibi notitiam compararit, esse ea ingeniosior, quam probabilior videtur. Ceterum hæc proxime ad Arcesilam pertinere testatur Plut. ad Colotem p. 1121, F. Xyl. G.

14. *Sed neque Saturn... verecundia.* Sensus horum est: « At ut Saturninus, seditiosus civis (cf. supra § 13), plane distat ab claris illis antiquitatis viris, quorum exemplis abutebatur ad suam agendi rationem probandam: ita penitus differt modesta dubitandi ratio Democriti a calumniosa Arcesilæ, verum cognosci posse negantis, ratione; licet hic Democriti ceterorumque physicorum exemplo hanc suam rationem defendat ». Saturninus nempe, furiosissimus popularium, seditiosorum reliquorum civium loco ponitur, prout

isti physici[15] raro admodum, quum hærent aliquo loco, exclamant, quasi mente incitati, Empedocles quidem[16], ut interdum mihi furere videatur: abstrusa esse omnia[17]; nihil nos sentire, nihil cernere; nihil omnino, quale sit, posse reperire. Majorem autem partem mihi quidem omnes isti videntur nimis etiam quædam affirmare, plusque profiteri se scire[18], quam sciant. Quod si illi tum in novis rebus[19], quasi modo

Arcesilas, princeps ejus Academiæ (mediæ), quæ de assensu suo ubique retinendo præcipiebat, pro reliquis hujus sectatoribus. Cur autem Lucullus Saturn. *inimicum* suum appellet, frustra quæritur. *Calumnia* vero Arcesilæ invidiosius tribuitur; qua suam sententiam, *nihil sciri posse*, Xenophani, Parmenidi, et reliquis veteribus physicis, tribuebat. (De Democriti modestia simpliciter ἐν βυθῷ ἀλήθειαν statuentis, vide ad Acadd. I, 12, 44). Nisi forte sales etiam intelliguntur, quibus hic adversarios perfricare solebat. Inde idem Diog. Laert. IV, 33, ἐπισκώπτης θ' ἱκανῶς καὶ παῤῥησιαστὴς dicitur. Hinc Cic. infra in responsione 24, 76, eum ab *obtrectandi* studio defendit. Coll. 6, 16, et I, 12, 44. G. — Vid. Liv. epitom. 69; Plut. Mar. cap. 28, sq. Appian. Civ. I, 28; Vell. Pat. lib. II, 2, extr. Flor. III, 16; Aurel. Vict. c. 73. H.

15. *Isti physici.* H. l. pejus etiam fecit Ern. qui *philosophi* correxerit: ita enim *philosophos* nullos alios recte intelliges, nisi ab Arcesila profectos; quod plane incongruum fuerit. Si edd. veteres illæ ex scriptis hoc hausisse putandæ sunt, ex compendio *phici* ortum vitium puta, quo, hoc utroque loco, utuntur Gud. et fr. cod. G.

16. *Empedocles quidem* (supple *exclamat*)... *videatur.* Pro *quidem* præbet Erl. *enim;* asseverantem nempe vocis vim scriba non capiebat. Quod autem idem hic cod. *mihi*, quod sequitur, ante *ut* transponit, non est plane abjiciendum; nam auctor *me ut, te ut*, etc. haud raro; et soni vi sic in pronomine fixa, dictum erit pro, *ut mihi quidem.* G. — Idem Gœr. vulgata interpunctione damnata, verba *Empedocles...videatur* parenthesi includit, quo locus facilius intelligitur.

17. *Abstrusa esse omnia.* Rem ipsam ex fragmentis perspicimus, a Sexto Empirico adv. math. l. VII, sect. 124, collectis. H.

18. *Profiteri se scire.* Plures aliorum cum binis scriptis meis *se* omittunt, quod Davis. abesse posse statuit: recte quidem; nec desunt exempla; sed caute versandum esse judico in eo quum abjiciendo, tum addendo. Hüls. *se* uncis coercuit. G.

19. *In novis rebus, quasi modo nascentes.* Ciaconus minus h. l. carpendus est, qui verba, « quasi modo nascentes », sine justa causa rejecerit, quam Davis. qui misere ipsa tuetur. Dicit enim, Ciceronem antiquos philosophos *infantibus* comparare, qui de rebus omnibus dubitent, judicio nondum ab experientia confirmato. Sed quid, quæso, istud est? *nascentes* ergo biennes aut triennes infantes dicuntur? Sensum quidem verborum ille

nascentes, hæsitaverunt[20], nihilne tot sæculis, summis ingeniis, maximis studiis, explicatum putamus? Nonne, quum jam philosophorum disciplinæ gravissimæ constitissent, tum exortus est[21], ut in optima republica Tib. Gracchus, qui otium[22] perturbaret, sic Arcesilas, qui constitutam philosophiam everteret, et in eorum auctoritate delitesceret[23], qui negassent[24] quidquam sciri, aut percipi posse? quorum e numero tollendus est et Plato, et Socrates: alter, quia reliquit perfectissimam[25] disciplinam, peripateticos et academicos, nominibus differentes[26], re con-

aliquo modo repererat, non verba sensum rite declarantia. *Novæ* res sunt animo nunc quidem primum conceptæ. In quo illi philosophi infantibus similes erant, qui partu primum in dias auras enituntur. G.

20. *Hæsitaverunt.* « Hæsitare » est, « ex rerum imperitia consulere sibi non posse ». Cf. Orat. I, 10, 40. G.

21. *Tum exortus est, ut... sic Arcesilas.* Ita præter Palatt. aliquosque bonæ notæ codd. frag. cod. et Erl. prætereaque multi vetus editi, in quibus est Ven. 1494, atque ita etiam Grut. dederat. Davis. et Ern. reliquos codd. sequuti, *ut* ante *exortus* posuere. Sed ut taceam probabilius esse, scribas *ut*, ex loco selectiore, in eum, quo vulgo ponitur, transposuisse; ita hoc non negligendum erat, hæc verba sic construi debere, « tum exort. e. sic Arcesilas... ut exortus... Ti. Gracchus ». Eleganter enim comparandum comparato postponitur. Cf. Cato Maj. 18, 65. Quod si est, longe melius verba, « tum exortus est », recta via ad Arcesilam referuntur, quippe in quo vis sententiæ insit. Wetzel loci vim frangit, quum *ut* plane tolli jubet. « Exoriri » autem « de ingruente repentina vi malove » poni, satis notum esse debet. Cluent. 5, 18; Dejot. 1, 3; coll. Sull. 27, 75. G.

22. *Tib. Gracchus, qui otium pert.* De Tib. Graccho, vid. Vell. Pat. l. II, 2, p. 67, ed. Lips. maj. H.

23. *In eorum auctoritate delitesceret.* Omnes mei *auctoritatem*, et haud dubie omnes omnium; ut ubique fere omnis scribarum grex in hujus verbi structura peccat. Bene verbi vim et usum docet Mencken. Obss. h. v. G.

24. *Negassent.* Gœrenz dat *negavissent.* Omnibus, inquit, codd. nostris paruimus: quod idem fecit Davisius, qui, ut in his levibus solet, tacitus plenam verbi formam sequutus est. G.

25. *Perfectissimam disc.* Noli Lambini quamvis ingeniosam conjecturam, « perfectissima disciplina », amplecti: tum enim hæc verba ad Platonem referenda forent, quod neve re, neve auctoris mente verum est. Nam *reliquit* non presse accipiendum: sed sensus est: « Ex Platonis disciplina prodiit perf. disciplina Peripatetica et Academica, re congruens, verbis modo inter se diversa ». Cf. Acadd. I, 4, 17, et quæ ibi notavimus. G.

26. *Nominibus differentes, re cong.*

gruentes; a quibus stoici ipsi verbis magis, quam sententiis dissenserunt. Socrates autem de se ipse detrahens in disputatione, plus tribuebat iis, quos volebat refellere: ita quum aliud diceret atque sentiret [27], libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Græci εἰρωνείαν [28] vocant; quam ait etiam in Africano [29] fuisse Fannius; idque propterea vitiosum in illo non putandum, quod idem fuerit in Socrate.

16 VI. Sed fuerint illa vetera [1], si vultis, incognita: nihilne est igitur actum, quod investigata sunt,

Scilicet ita putabat Cicero, quia obiter rem attigerat, non interiorem philosophiæ naturam perspexerat. H.

27. *Quum aliud diceret atque sentiret.* Nostri quoque codd. uno Erl. excepto, non *diceret*, sed vel *cognosceret*, vel *agnosceret*. Sed recte VV. DD. fecerunt, quum ex paucissimis scriptis illud reponerent: in eo modo non probandi, quod harum diversarum lectionum causam indagandam aliis reliquerunt. Neque causa in hoc verbo ipso quærenda est, sed in *atque*, cujus vim h. l. miselli scribæ quum non viderent, copulam putantes, facili via in hæc devia delati sunt. G.

28. Εἰρωνείαν. De εἰρωνείᾳ Socratis hic locus est classicus; vid. Wyttenb. Logic. p. 86, ed. Hal. et universe de Socrate *cive* videndus doctissimus Jo. Luzac orat. 1795. Lugd. Bat. habita; et ib. 1796, impressa. Nostratibus innotuit ephem. liter. univers. (tum) Jenens. 1799. Jun. Nr. 185. Cf. Lucian. Demonact. § 6, ib. Wiel. H. — Confer et Brut. 85, 292 et quæ ad Off. I, 30, 10. Heusingeri docuerunt. Goer.

29. *Afr.* De Scipione *Africano* apte Davis. Orat. II, 67, 270, contulit. G.

VI. 1. *Sed fuerint illa vetera, s. v. i. n. e. i. actum, quod inv.* Gœrenz dat « sed fuerint illa veteribus s. v. i. n. e. i. actum? quot inv. » Certissimam primo, inquit, Davisii conjecturam, probatam Ernestio, receptam Durando, prout meruerat, in texta traduximus; nam *vetera* misere locum afficit. Nec absunt gravia ejus probandæ momenta. Si enim contexta paullo altius repetiveris, facile intelliges, totum locum a verbis inde, « Quorum e numero », ad hæc usque, quæ tractamus, velut in parenthesi esse positum, redireque auctorem his, « Sed fuerint, etc. » ad argumentum. Jam initio § 15, sic scripserat: « Quodsi illi (veteres) tum in novis rebus... hæsitaverunt, nihilne tot seculis... explicatum putamus »? Ex illo igitur quasi episodio recipiens sese, eadem ipsa variata oratione repetit: *Sed fuerint illa* (quæ dixi) *veteribus... incognita... Quot*, etc. Sic deinde etiam vulg. *quod* ineptum esse apparebit, neque opus defensione erit, si *quot*, repertum in Ursini codice, repertum item Durando, Ernestii commendatione auctori reddidimus. Quid? accuratius etiam hæc ratio ex iis probatur, quæ ad hæc infra respondentur, c. 24, § 76. — Has correctiones, quamvis in textum non

posteaquam Arcesilas Zenoni[2], ut putatur, obtrectans, nihil novi reperienti, sed emendanti superiores immutatione verborum[3], dum hujus definitiones labefactare vult, conatus est clarissimis rebus tenebras obducere? Cujus primo non admodum probata[4] ratio, quamquam floruit quum acumine ingenii, tum admirabili quodam lepore dicendi, proxime a Lacyde[5] solo retenta est; post autem confecta[6] a Carneade,

recipiat, in versione gallica sequitur J.V. L. post *Durand* et *Castillon*.

2. *Arcesilas Zenoni... obtrectans.* De quo conf. Sext. Emp. P. H. I. 33, 233, sq. adv. math. VII, 150, 227; Diog. Laert. IV, 28; de Orat. III, 18; Gellium N. A. XI, 5. H.

3. *Nihil novi... immutatione verborum.* Aperte hæc, inquit Gœrenz, παρενθετικῶς inseruntur. Sed hoc ipsum est, quod nos h. l. torquet. Ex ipso enim Cicerone didicimus, parentheses proxime ad eam vocem ponendas esse, ad quam proprie pertineant: eamque ille, quasi legem, tam religiose servat, ut multa loca excitari possint, ubi vel coactius loqnutus esse videri possit, ne ista norma, ipsa linguæ natura quodammodo comprobata, violetur. At enim istam ipsam normam h. l. læsam videas, et ita læsam, ut contexta violenter, sine probabili causa, interrupta videantur. Liceat quidem v. *Zenoni* transpositam putare: sed consulto, ut solet, hæc nomina auctor proxime junxit. At proba datur expediendi ratio. Nam sensus hic est: « Ex quo Arcesilas Zenoni, ut creditur, obtrectans (et obtrectans ei, qui nihil novi reperiebat, sed dudum reperta terminologia (sit venia verbo) accuratiore emendabat), quum Zenonis definitiones suspectas reddere studet, res ipsas, dudum ante Zenonem clare demonstratas, tenebris involvere conititur ». Ita demum hæc verba ad *obtrectantem* posita, suo loco erunt. Ceterum ex hac Antiochi de Zenone sententia sæpe judicat Cicero; cf. Fin. III, 2, et IV, c. 2-10, etc. Atque hinc inde idem Acad. I, 9, 35.

4. *Non admodum probata ratio.* Vigebant enim jam tum præ ceteris Stoa, et Epicuri horti: et sane ingenio insigniore ad hanc disciplinam obtinendam opus erat. Prius magis etiam Lacydis tempore valebat: neque hic cum Arcesilæ ingenio comparandus erat. Et tamen contra ea, quæ h. l. Lucullus statuit, dicitur hic οὐκ ὀλίγους ἐσχηκὼς ζηλωτάς. Cf. Diog. Laert. IV, 59. Comparate igitur ille dixisse accipiendus est: nisi de uno, qui tum dignus erat, ut commemoraretur, hæc intelligi malis; quod unice amplector. Carneadis autem eximium plane ingenium, et eloquentia multos in ipsius admirationem rapiebat. G.

5. *Lacyde.* Lacydes dicitur (a Cicerone) retinuisse Arcesileam philosophandi rationem. Locus de eo classicus est Numenii ap. Euseb. Pr. ev. p. m. 734. seq. H.

6. *Confecta.* Sic optime correxit vulgatum *conficta* Lambinus. Nam qui possit intelligi Arcesilæ ratio conficta a Carneade, qui fuit, ut hic dicitur, quartus ab Arcesila? Potuit etiam

qui est quartus ab Arcesila. Audivit enim Egesinum[7], qui Evandrum audierat, Lacydis[8] discipulum, quum Arcesilæ Lacydes fuisset. Sed ipse Carneades diu tenuit : nam nonaginta vixit annos[9]; et qui illum audierant, admodum floruerunt; e quibus industriæ plurimum in Clitomacho fuit : declarat multitudo librorum[10]; ingenii non minus in hoc[11], quam in Char-

confirmare ex his verbis lib. I, de Nat. Deor. « Hæc in philosophia ratio contra omnia disserendi, profecta a Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata a Carneade, etc. » Convenit cum *confecta* : id autem valebat idem quod *absoluta*, ut in lib. II de Finibus : « Neque appellatur omnino beata vita nisi confecta et absoluta », et aliis locis compluribus, ut etiam *conficere* συντελεῖν veteres glossæ verterunt. P. Faber.

7. *Egesinum*. Non est sine causa, si ex græco Ἐγέσινος, *Hegesinum* cum Pet. Fabro scribi malis; (sic enim ille, non *Hegesimum*, quod operarum vitium repetiit Davis. et Hülsemann.) quum aspirationes auctor ubique addat, ubi ab aliis abjiciuntur, v. c. « Hannibal, Hasdrubal, Hegesias, Hellanicus, etc. » Sed scripti in *Egesino* sibi constant. Hinc Davisium non probo, qui sua sponte vocem asperarit, quum causam plane nullam dispiciam, cur scribæ ignoto ipsis homini *H* detraxerint. G.

8. *Lacydis*. Gœrenz dat *Lacydi*. Recte sic, inquit, Davis. nec bene sibi Ern. constat, quum ab hoc discesserit, vulgatamque *Lacydis* scripturam revocarit; quippe qui et infra 34, 108, *Herculi* admiserit, et alibi sæpius hanc genit. formam sequutus sit. Multa adhuc auctoris loca emendanda sunt, ut in iis auctoris mos agnoscatur, græca nomina tertiæ flexionis in *es* secundo casu in *i* finiendi. Receptam h. l. præter tres Davisii, quinque mei, et Oxon. V. confirmant. G.

9. *Nonaginta vixit annos*. Val. Max. VIII, 7 : « Carneades, inquit, laboriosus et diuturnus sapientiæ miles; siquidem, nonaginta expletis annis, idem illi vivendi ac philosophandi finis fuit ». — At ei LXXXV tantum annos tribuunt Lucianus Macrob. t. II, p. 474 et Laert. IV, 65. Dav. — De Clitomacho vid. quæ notata sunt supra ad § 11.

10. *Multitudo librorum*. Clitomachi *multitudo librorum* apud eumd. Diog. IV, 67, accuratius definitur, εἰς τοσοῦτον ἤλασεν ἐπιμελείας, ὥστε ὑπὲρ τὰ τετρακόσια βιβλία συνέγραψε. G.

11. *In hoc, quam in Charmada eloq*. Gœr. dat « In hoc homine, q. i. Charm. el. homine ». Sic, inquit, plene cum Paris. 1 et 2 præbet Erl. Ejus loco Gud. et frag. cod. *nomine* cum aliis pluribus, et, qui longius discedunt, *hac nonne*, ut Sr. Vict. Paris. 4, Reg. et Vien. VV. DD. in variata voce philosophi nomen quærunt, « in Bione, in Æmone, in Æschine », conjicientes. De *Æschine* aliqua veri species ex Orat. I, 11, 45, subnascitur; sed scripti nimium discedunt. At quis credet Cic. in Clitomacho modo industriam prædicasse, quum et infra 30, 98, *acutus* dicatur? Immo cum hujus laude, eam reliquorum Carneadeorum, qui sibi nomen repererunt,

mada[12] eloquentiæ, in Melanthio Rhodio suavitatis. Bene autem nosse Carneadem Stratoniceus Metrodorus[13] putabatur. Jam Clitomacho Philo vester operam multos annos dedit. Philone autem vivo patrocinium Academiæ non defuit.

Sed, quod nos facere nunc ingredimur[14], ut contra academicos disseramus, id quidam e philosophis, et ii quidem non mediocres, faciendum[15] omnino non putabant, nec verum esse[16] ullam rationem dis- 17

apte junxit, ut simul, quo modo inter se differant, intelligeretur.

12. *Charmada*. Hanc veram esse scripturam dubitari nequit. Nam præter *quinque* Codd. apud Davis. *tres* idem mei præbent; Gud. *Carmada*. Qui denique, quum hic homo, ut ubique, ita h. l. cum *Carneade* commisceatur, *Charmide* malunt, prout ille aliis scribitur, ii nihil præter aliquam veri speciem afferunt. Nam quid mirum, si scribæ nomen ignotius in sæpe ab ipsis pictum mutant? Equidem certe, Cic. ubique *Charmadas* scripsisse, non dubito. Pessime Hüls. loco *Charmada, Carneade* scripsit. G. — Charmadas (qui et Charmidas dictus) erat auditor Carneadis, cf. orat. c. 16, de orat. l. II, 88; Tusc. I, 24 (vid. l. V); coll. I. A. Fabric. ad Sext. Emp. P. Hyp. l. I, 33.

13. *Metrodorus*. Vid. de orat. I, 11; Diog. Laert. X, § 9.

14. *Ingredimur*. Sic 3 mei potiores. At Dr. Wrat. ψ. cum multis aliorum *aggredimur;* quod edidit Lambinus. Sed, ut hoc glossema agnoscas, ita Vien. ex correctione. De hoc autem verbi *ingredi* usu exemplorum silvam collegit Mencken. Obss. h. v. G.

15. *Faciendum*. Gœrenz *faciundum*, ex omnibus, inquit, nostris dedimus; qui vel expresse sic, vel corrupte *faciunt dum* exhibent. Quam lect. recepit J. V. *Leclerc;* nos tamen non admisimus, quum in omnibus aliis locis scribatur *faciendus, a, um.*

16. *Nec verum esse, ullam rationem disputare*. Gœrenz dat: « Nec enim esse ull. r. d. » VV. DD. inquit, vehementer laborant, ut *verum*, cujus loco *enim* posuimus, in ordinem et gyrum cogant: sed, quidquid moliantur, alienum a loco et est, et erit; scribæ enim hoc addiderunt, ut assolent, ex glossa loco male intellecto superscripta. Inde idem in scriptis multis, meisque *quatuor,* ante *enim* legitur. Quem locum quum alii scribæ male ei aptum vidissent, *enim* plane abjecerunt; et hoc facto denique, ut Erl. et alii in *verum* mutarunt. Accedit etiam infinitum tempus *disputare*, gerundii loco positum, in quo et scribæ et VV. DD. offendere solent: licet haud raro sic græco more auctor. Cf. Off. I, 12, 3; Philip. II, 17. Eodem more inf. pro gerund. in *dum* poni, exemplis idoneis firmat Korte ad Divv. I, ep. 5. Tam sæpe autem illud, et adjectivum, et adverbium, inculcatur, ut mirum non sit, si idem h. l. factum videris. *Enim* vero recte revocasse nobis videmur, quippe quæ particula asseverationem adjuvet, quæ loco ipsi inest. G. — *Nec esse ullam rationem* in-

putare cum iis, qui nihil probarent : Antipatrumque stoicum[17], qui multus in eo fuisset, reprehendebant; nec definiri aiebant necesse esse, quid esset cognitio, aut perceptio, aut, si verbum e verbo[18] volumus, comprehensio, quam κατάληψιν[19] illi vocant; eosque, qui persuadere vellent, esse aliquid quod comprehendi et percipi posset, inscienter facere dicebant, propterea quod nihil esset clarius ἐναργείᾳ, ut Græci : perspicuitatem[20], aut evidentiam nos, si placet, nominemus, fabricemurque, si opus erit, verba; ne hic sibi (me appellabat jocans) hoc licere putet soli. Sed tamen orationem nullam putabant illustriorem ipsa evidentia reperiri posse, nec ea, quæ tam clara essent, definienda censebant. Alii autem negabant, se pro hac evidentia quidquam priores[21] fuisse dicturos,

terpretandum est ἄλογόν ἐστι. Plato, quem Cic. sæpissime solet exprimere, dicit in Philebo : ἄλογόν ἐστι μηδὲν ἀγαθὸν εἶναι· quod item in Parmenide, aliisque in locis posuit, adjuncto verbo infinito, pro quo eodem οὐκ ἔχει λόγον, et οὐκ ἔχει φύσιν, et ille, et alii solent dicere. FABER. — *Castillon* vertit nostram lect. « parce qu'il n'est pas possible de discuter une opinion avec des gens qui n'en ont aucune ».

17. *Antipatrumque stoicum.* Tarsensis hic est, Posidonii magister. Divin. I, 3, 6. Sæpius ejus mentio fit hoc in libro. Conf. infra cap. 9, § 28; 34, 109; 47, 143. G.

18. *Verbum e verbo.* Laudat Reizius ad exempli sui marg. infra 10, 31, et Fin. III, 4, 15. Alibi enim non *e*, sed *de* in hac dicendi forma dicitur : occurrit tamen etiam illa forma Tusc. III, 4, 7 : « verbum hoc esset e verbo ». G.

19. Κατάληψιν. De *catalepsi* et *catalepto*, vide supra Excurs. V et VI ad I lib. pag. 197, 199, et Gœr. ad Legg. I, 9, 26.

20. *Perspicuitatem . . . . putet soli.* Recte hæc, inquit Gœrenz, parenthesi comprehendit Ern. quum *sed tamen* orationem interruptam resumat. Cf. præter Brut. 26 (101), maxime Orat. II, 18, 74. Eadem prorsus ratione Græci ἀλλὰ μέν τοι. Verba *putet soli*, transponunt inter se Erl. Dr. Ven. 1494, etc. Quod autem Wetzel. etiam verba, *ut Græci*, parenthesi addit, quum ad idem verbum, *nominemus*, pertineant, id nos quidem minime probamus ; facile enim ex prægresso *dicebant*, cogitare *dicunt* licet.

21. *Priores.* Explicat Ern. *sponte.* Recte quidem : nam inter duos, qui disputant, is, qui prior dicit, ex sese dicit, non accommodate ad alterius argumenta, quæ adhuc exspectantur. Sic *priores* interdum rei dicebant, qui, antequam accusator dixerat, causam

sed ad ea, quæ contra dicerentur, dici oportere putabant, ne qui fallerentur. Plerique tamen et defini- 18
tiones ipsarum etiam evidentium rerum non improbant; et rem idoneam, de qua quæratur, et homines dignos, quibuscum disseratur, putant.

Philo autem, dum nova quædam[22] commovet, quod ea sustinere vix poterat, quæ contra academicorum pertinaciam dicebantur, et aperte mentitur, ut est reprehensus a patre Catulo[23], et, ut docuit Antiochus, in id ipsum se induit[24], quod timebat. Quum enim ita negaret, quidquam esse quod comprehendi posset (id enim volumus esse ἀκατάληπτον[25]), si illud

suam defendere cogebantur; quale exemplum oratio pro P. Quintio præbet. G.

22. *Commovet, quod ea sustinere vix poterat.* Recte *commovet*, quamquam tres meorum et plures aliorum *commonet*: nam κινεῖν Græcorum expressit auctor: idque haud infrequenti exemplo. Vid. Mencken. h. v. Sed h. l. in Luculli ore, cum notione invidiosiore, ut fere alias *res novas moliri* dicitur. Deinde transponunt fr. cod. et Erl. *sustinere ea.* Equidem *ea* abesse malim; quo enim cumque loco ponatur, habet aliquid, unde displiceat. Sæpe autem ante relativum a scribis hoc demonstrativum addi, in vulgus notum est; ut paucis post factum videbimus. G.

23. *A patre Catulo.* P. Manut. *Catuli* scribi commendat, quum sit de mortuo sermo, nec ista dicendi ratio, nisi de vivis, usurpetur. Speciosum sane; alia tamen potius ex causa, quam quæ memoratur. Illa enim, de quibus *a patre Catulo reprehensus* Philo erat, hesterna disputatione exposuerat *Catulus filius*, conf. supra § 11: inde magis etiam *Catuli* exspectes. At tum etiam, ut ubique auctor de præsente, *hujus* desiderabis. Catil. IV, 6, 26, *hujus avus Lentuli*, etc. Sed præpositum prædicatum vim habet, ut in *pontifice Scævola*, Læl. 1, 1, *Scytha Anacharside*, Tusc. V, 32, 89, et id genus plurimis. Sic nihil offendor, imprimis quum ea res paucis ante 4, 11, narrata sit. G.

24. *In id ipsum se induit.* Nemini hæc verba suspecta esse debuerunt. Unde simile esset ductum, licuit videre apud multos; apud neminem tamen apertius, quam apud Ciceronem ipsum, qui in lib. III, accusationis: « hic videte, inquit, in quos laqueos se induerit, quorum ex nullo se umquam expediret ». In eodem libro: « videte, ut, dum expedire sese vult, induat ». P. Faber. — Gallice bene vertitur: « il se jette dans le filet auquel il voulait échapper ».

25. Ἀκατάληπτον. Reposuimus et scriptorum prorsus omnium, et Augustini etiam adv. Acadd. II, lectionem; quam quum stare non posse VV. DD. sibi persuasissent, auctore Tur-

esset, sicut Zeno definiret, tale visum (jam enim hoc pro φαντασίᾳ verbum satis hesterno sermone trivimus): visum[26] igitur impressum effictumque ex eo unde esset, quale esse non posset ex eo unde non esset: id nos a Zenone definitum rectissime dicimus. Qui enim potest quidquam comprehendi, ut plane confidas[27], id perceptum cognitumque esse, quod est tale[28], quale vel falsum esse possit? Hoc quum infirmat tollitque Philo, judicium tollit incogniti, et cogniti[29]; ex quo efficitur, nihil posse comprehendi: ita

nebo, negatione detracta, P. Manutii exemplo, a Davisio inde καταληπτὸν correctum vulgatum est. Sed equidem causam idoneam frustra quæro, si reputes, « negaret quidquam esse », ubique pro « diceret nihil esse », poni. Jam ad *si illud* intelliges καταληπτὸν, quod, his præmissis, addi opus non erat. Ita violenta illa ratione carere facile poteris. Sensus enim est: « Philo statuit, hoc pacto πᾶν ἀκατάληπτον εἶναι, si vera esset Zenonis definitio, καταληπτὸν esse tale visum, etc. » G. — Totus locus hic gallice vertitur: « Sans qu'on puisse rien saisir, si la perception *cataleptique* ou *compréhensible* n'est autre, comme la définit Zénon, que l'*objet* (*visum*), etc. »

26. *Visum.... unde non esset.* Cf. Sext. Emp. VII, 248. Καταληπτικὴ φαντασία οὖσα ἀπὸ ὑπάρχοντος, κατ' αὐτὸ τὸ ὑπάρχον ἐναπομεμαγμένη καὶ ἐναπεσφραγισμένη, ὁποία οὐκ ἂν γένοιτο ἀπὸ μὴ ὑπάρχοντος. Laert. VII, 50, quem Davis. laudat, inserit duobus præteriti partt. tertium ἐναποτετυπωμένη, et ex hoc idem Suidas: sed equidem hoc ex glossa adhæsisse judico, quum toties Sextus hanc definitionem laudans (cf. Pyrrhon. II, § 4, adv. Logicos VII, 250, 255, 402, 410, 426, maxime § 248, etc.), nuspiam illud tertium, quod etiam tertio, non secundo, loco ponendum fuisset, habeat: ut Cicero et hoc loco et alibi duo modo ponit. Ex græcis autem verbis, Pet. Fabro auspice, Lamb. h. l. pro duplici *unde*, bis *quod* correxit; suffragantibus infra 24, 77, « quoniam esset quod percipi posset ». Sed recte vidit Ern. *unde* non solum recte poni, sed etiam clarius sic dici. G. — De re ipsa vide *Tiedemann System der St. Phil.* I, p. 121; Acad. P. Valentiæ VI, § 66 et sqq. et Excursum I ad calcem hujus libri. Vertit *Castillon:* « l'objet imprimé et figuré en nous-même par ce qui est, et tel qu'il ne saurait l'être par ce qui n'est point ».

27. *Confidas, id perceptum.* Gœrenz delet *id.* Vagus primo, inquit, vocis locus, nam Erl. Wrat. Dresd. Vien. et edd. vett. cum Ascens. « perceptum id »; absentia deinde ejus a Gud. et fr. cod. scribarum etiam mos pron. hoc inculcandi, cf. Off. III 24, 4. Heusing. coll. ad Legg. I, 24, 62 et ibid. II, 29, 49, causæ sat graves nobis visæ sunt, cur deleremus, ex facillimo contextu intelligendum.

28. *Quod est tale*, pro « si id est tale » ponitur. Secus est paullo post. G.

29. *Judicium t. incogniti et cogniti.*

imprudens eo, quo minime vult, revolvitur[30]. Quare omnis oratio contra Academiam suscipitur a nobis, ut retineamus[31] eam definitionem, quam Philo voluit evertere. Quam nisi obtinemus, percipi nihil posse concedimus.

VII. Ordiamur igitur a sensibus. Quorum ita clara judicia, et certa sunt, ut, si optio naturæ nostræ detur[1], et ab ea deus aliqui[2] requirat, contentane sit suis integris incorruptisque sensibus, an postulet 19

Unus Durandus ex interpretibus hunc locum attigit. Dicit enim ille, admisisse Philonem primum Zenonianæ definitionis membrum, « verum visum esse, quale esset ex eo, unde esset », reliqua rejecisse, atque inde « judicium incogniti et cogniti » tollere visum esse Lucullo. Non male sane. Cf. infra 34, 111. « Quum enim (a Philone) sumeretur unum, esse quædam visa falsa; alterum, nihil ea differre a veris, etc. » conclusit ille nempe, vera visa a falsis nihil differre. Hac ratione Philo contra Zenonem. Inde idem supra πᾶν ἀκατάληπτον, inde, comprehendi id non posse, « quod sit tale, quale vel falsum esse possit »; inde denique tolli dicitur « judicium incogniti et cogniti, i. e. judicandi facultatem, quid in cognitionem humanam cadat, quidque non cadat ». Similiter Divv. I, ep. 7: « judicium facti », de iis, « quæ facienda sint », dicitur. G.

30. *Ita imprudens.... revolvitur.* Se ipsum induit Philo, quum, quod sumpserat, « esse quædam visa falsa », id, addito altero, « nihil ea differre a veris », tolleretur: sumptio enim differentiam inter visa admittit, assumptio eamdem negat. Confer infra 34, 111. G.

31. *Retineamus eam def.* Alias dicit auctor *teneamus*: sed hoc loco *ret.* oppositum est « voluit evertere », notatque ideo « defendendo eam caveamus ne evertatur ». Ignorant autem *tres* Pariss. apud Davis. *eam*; nec aliter e nostris Gud. Sed vel ob sonum loci *eam* retinendum est, quippe quod ex compendio præced. verbi *retineam'* excidere facile potuerit. Ponitur autem haud raro *is* cum vi aliqua, si *qui* oppositionem facit; ubi VV. DD. pronomen eleganter abundare dicunt. G.

VII. 1. *Si optio naturæ nostræ detur.* Sensus est, « si nobis, hac natura, qua sumus, opt. d. » Ita vero sæpius auctor Verr. I, 15, 40. G.

2. *Deus aliqui.* Ern. tacite ad *aliquis* recidit, licet alibi priscam formam servet, ut infra 26, 86; Off. I, 32, 115; ibid. III, 7, 33. Eodem idem modo *aliquis* correxit Tusc. V, 21, 62; sed Wolf. nuper rectissime *aliqui* restituit. Neque aliter h. l. fr. cod. Wrat. et Vien. At Gud. et V. *aliquid:* quod ex hoc natum putabis, quum eadem diversitas in loco ex Tusc. laudato obtineat. G. — *Qui*, *quiqui*, *aliqui* occurrunt apud bonos auctores pro *quis*, *quisquis*, *aliquis*. Plaut. Amph. I, 1, 1: « qui me alter est audacior homo »? Aulul. IV, 10, 45: « ab eo, quiqui est, inde posces ». Cœlius, ad Div. VIII, 8: « Cum qua sit

melius aliquid, non videam, quid quærat amplius. Neque vero[3] hoc loco exspectandum est, dum de remo inflexo[4], aut de collo columbæ respondeam. Non enim is sum, qui, quidquid videtur[5], tale dicam esse, quale videatur. Epicurus hoc viderit, et alia multa[6]. Meo autem judicio ita est maxima in sensibus veritas, si et sani sunt, et valentes[7], et omnia removentur, quæ obstant et impediunt. Itaque et lumen mutari sæpe volumus, et situs earum rerum, quas intuemur; et intervalla aut contrahimus, aut diducimus; multaque facimus usque eo, dum adspectus

aliqui deprehensus ». Vide Oberti Giffanii collectanea in Lucretium V, *qui* pro *quis*. Olivetus.

3. *Neque vero.* Gœrenz dat : *nec vero* ex omnibus scriptis suis et Vien. longa de his duabus locutionibus disputatione instituta, quam nos, ut inutilem, prætermittere non dubitavimus.

4. *De remo inflexo.* Sens. « non est; ut de sensuum fraude, quam exemplis de remo inflexo, etc. confirmare vulgo solent ». Utebantur enim his omnes, qui sensuum veritatem impugnabant. G. — Cf. Sext. Emp. Pyrrh. I, 119; Sen. Nat. Quæst. I, 3, § 7: « Nihil acie nostra fallacius, non tantum in his, a quibus subtiliter pervidendis illam colorum diversitas summovet; sed in his quoque, quæ ad manum cernit. Remus integer in tenui aqua fracti speciem reddit. Poma per vitrum adspicientibus multo majora sunt. Columnarum intervalla porticus longiores jungunt. *Solem*, quem toto orbe terrarum majorem probat ratio, acies vestra sic contraxit, ut sapientes viri *pedalem* esse contenderint. Quem velocissimum omnium esse scimus, nemo nostrum videt moveri. » Ista maxime pridie disputata erant; inde h. l. vix nominatim laudantur.

5. *Videtur.* Sic habet præter Palatt. Erl. quoque et Vien. *videatur*, sed ex proximo subjunctivo natum; quo vulgatum longe est melius. G.

6. *Et alia multa.* Sic Gud. Erl. Dr. cum quibus Davisiani consentiunt. Neque sane video, quænam religio Ern. ad vulgatam verborum seriem *et multa alia* retraxerit. Sic enim suo ordine auctor. Orat. III, 38, 153; Divin. II, 21, 48; Off. III, 13, 12; Acad. I, 7, 25.— Ceterum minus bene hæc Wetzel vidit. Lucullus enim ideo Epicurum tangit, quod hic, sensus numquam falli, statuebat. Huic illa de remo inflexo, etc. graves objectiones erant; non iis, qui, posse sensus falli, concedebant, nisi caute et circumspecte integris et sanis utaris. Ex quo ipso cernitur verba, « et alia multa », ad unius generis objectiones referenda esse, neque vage omnes Epicuri errores spectari; hinc legi malim, « et talia multa ». Cf. Tusc. I, 29, 71; V, 25, 71. G.

7. *Et valentes.* Gœrenz dat *ac val.* ex quatuor suis, Davisio tacite præeunte.

ipse fidem faciat sui judicii[8]. Quod idem fit in vocibus, in odore, in sapore: ut nemo sit nostrum, qui in sensibus[9] sui cujusque generis judicium requirat acrius. Adhibita vero exercitatione et arte, ut oculi pictura teneantur, et aures cantibus[10], quis est, quin[11] cernat, quanta vis sit in sensibus? Quam multa vident pictores in umbris, et in eminentia, quæ nos non videmus? Quam multa, quæ nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati? qui primo inflatu tibicinis[12] Antiopam[13] esse aiunt, aut Andro-

8. *Dum adspectus ipse fidem faciat sui judicii.* I. e. dum adspectus, repetitus et variatus, judicium prius captum comprobet atque confirmet. De forma, « fidem facere alicujus rei », cf. Orat. III, 27, 104, « ad fidem orationis faciendam ». Hinc mira illa dictio apud Plaut. Pers. V, 2, 8, « fidem non habui argenti », i. e. nolui ei argentum credere. Structura autem verborum, per totum hunc elegantissimum locum, soni rationi aptata est accuratissime. G.

9. *Ut nemo sit n. qui in sensibus.* Lambinus et Ursinus testantur in quibusdam libris hic abesse negationem, quæ vulgo ante *in sensibus* inseritur. Ea rectissime abest. Constat ex eo quod paullo ante dicit: « sensuum ita clara judicia et certa sunt, etc. » Et dicit inferius: « si quis deus te interroget, sanis modo et integris sensibus, numquid amplius desideres »? Quæ sententia Stoicorum et Antiochi est, qui nomine Academicus ex Academia vetere; re autem est, ut infra dicetur, germanissimus stoicus. P. Faber.

10. *Ut oculi... et aures cantibus.* Gœrenz delet part. *et*. Quatuor mei, inquit, optimi *et* ignorant. Recte: nam alias auctor ex suo more « et oculi... et aures » scripsisset. Sed Davis. totum hunc locum, ut addititium, ad uncos condemnavit, probante Wetzel. Ern. contra eum defendit; utcumque cum antecedentibus eum cohærere, si sic accipias, « perquam oculi et aures adsuefiunt libenter spectandis et audiendis picturis et cantibus, unde acrius cernere et audire discunt ». Immo accuratissime cohærent, si, habita soni ratione, intellexeris, verba *Adhibita... arte*, ob sententiæ vim ante *ut* esse posita, et *ut* pro *fac ut*, ut sæpe (cf. Ern. cl. h. v.), dici. Ita demum etiam videbis vv. *quis est* suo loco esse. Alias vix ferenda forent, nisi *ut... cantibus* in parenthesi positum putaris, quod pæne idem fuerit, ac si ea damnaris.

11. *Quin.* Pro *quin* præfert Lamb. *qui non*, ut præter alios Erl. habet. Sed scribæ in hac structura hæserunt. Inde præbet Dr. *qui*. Cf. Verr. V, 22, 93: quis est vestrum, quin intelligat? » etc. Inde justa causa non fuit, cur Hülsem. Lamb. imitaretur. G.

12. *Qui* (pro *nam hi*) *primo infl. tib.* Cf. inf. 27, 86: « simul inflavit tibicen, a perito carmen agnoscitur ». G.

13. *Antiopam.* Pacuvii tragœdia est, ex qua Nonius plura laudat. G.

macham [14], quum id nos ne suspicemur quidem. Nihil necesse est de gustatu et odoratu loqui; in quibus intelligentia [15], etsi vitiosa, est quædam tamen. Quid de tactu [16], et eo quidem, quem philosophi interiorem vocant, aut doloris, aut voluptatis? in quo Cyrenaici [17]
22 solo putant veri esse judicium, quia sentiatur [18]. Potestne igitur quisquam dicere, inter eum, qui doleat, et inter eum, qui in voluptate sit, nihil interesse? aut, ita qui sentiat [19], non apertissime insaniat? Atqui qualia sunt hæc, quæ sensibus percipi dicimus; talia

14. *Andromacham. Andromacha* autem Ennii, Divin. I, 13, 23: quamquam etiam Accius fabulam ejusdem nominis scripsit, vid. idem Nonius v. *longinque*, etc. G.

15. *In quibus intelligentia, etsi vitiosa*. Ern. *vitiosa* de *non perfecta*, imbecilla; quod nescio an explicatum sit doctius, quam verius. *Intelligentia* enim h. l. est accurata et subtilis, multo ex usu collecta, cognitio, quam auctor in his sensibus *nimiam*, et inde *vitiosam*, judicat. Cf. Opt. gen. or. 4, 11, ubi verba « est quædam tamen », ex contextu ita accipies: « etsi quidem intelligentia de vitiosa re non dicitur, tamen quodammodo sic dicere vere licet ». G. — Ernestianæ tamen interpretationi assentitur gallicus interpres, qui: « les notions qu'ils donnent sont défectueuses : mais ils n'en donnent pas moins. »

16. *Quid de tactu... voluptatis? in quo... sentiatur*. Gœrenz interpungit: « Quid de tactu.... voluptatis, (in quo... sentiatur) ». Si quis, inquit, vel parum de constructione, tam sæpe obvia, « Quid ?... num, non, nonne, ne », cogitaverit, nostram hanc rationem non poterit quin verissimam judicet. *Igitur* parenthesin excipit, ut sæpissime. Cf. § 22.

17. *Cyrenaici*. Quorum princeps erat Aristippus, Cyrenaicus. Præter sensuum humanorum motum nil veri posse percipi a nobis docebat, nec res extra nos positas (objecta) percipi. Vid. Brucker. Hist. crit. philos. t. I, p. 594, seqq. Buhle I, 413. Tennem. t. I; Garve ap. Fülleb. symb. XI, 184. H.

18. *Quia sentiatur*. Ita mei omnes. Aliorum scripti sic variant, ut intelligas, locum librarios non cepisse. Neque forte puta, plane hæc abesse posse. Addita sunt, ut Cyrenaici ab Epicureis rite dignoscerentur. Quum enim hoc utrique commune haberent, ut summum bonum in voluptate quærerent, in eo tamen distinguendi sunt, quod Cyrenaici voluptatem *in sensatione*, ἡδονὴν ἐν κινήσει, Epicurei *in quiete*, ἡδονὴν καταστηματικὴν, ponerent. Accurate egit de hujus utriusque familiæ discrimine Tennem. *Gesch. der Philos.* t. II, p. 113, seq. Nihil igitur dicit Davis. qui conjicit, *cui assentiantur*. G.

19. *Aut, ita qui sentiat... insaniat?* Ita sane verissime reposuit Ern. quatuor meis adstipulantibus. Nam quod Davis. *sentiet... insanit* dedit in eo non latine Ciceronem loqui fecit. *Aut* pro *aut potius*, non ita infrequenti ellipsi græco more ponitur, quo ἢ pro ἢ μᾶλλον sæpe dicitur. G.

sequuntur ea, quæ non sensibus ipsis percipi dicuntur, sed quodam modo sensibus; ut hæc : Illud est album, hoc dulce, canorum illud, hoc bene olens, hoc asperum. Animo jam hæc tenemus comprehensa, non sensibus. Ille, deinceps, equus est, ille canis[20]. Cetera series deinde sequitur, majora nectens; ut hæc, quæ quasi expletam[21] rerum comprehensionem amplectuntur: Si homo est, animal est mortale, rationis particeps[22]. Quo e genere nobis notitiæ rerum imprimuntur[23]; sine quibus nec[24] intelligi quidquam, nec quæri, aut disputari potest. Quod si essent falsæ no- 22
titiæ (ἐννοίας enim notitias[25] appellare tu videbare), si igitur essent hæ falsæ, aut ejusmodi visis impressæ,

20. *Ille, deinceps, equus est, ille canis.* Lucullus e ratione Stoicorum primum posuit ea, quæ singuli sensus percipiant, quæ propria eorum cujusque judicii sunt : ut *album*, sensus videndi; *sonus*, aurium, et ita deinceps. Sequuntur, quæ jam tenere nos animo, dicit. Φαντασία efficit, quæ etiam αἴσθησις vocatur a Stoicis, ut Plutarch. quoque nos monet de Placit. philos. l. IV. Φαντασία ergo illa ab iis definitur apud eumdem Plutarch. et alios, τύπωσις ἐν ψυχῇ. H.

21. *Ut hæc, quæ quasi expletam. Quasi* est, *fere*, *pæne.* Ceterum egregie per hæc gradatim ascendendo itur. Expletam autem rerum comprehensionem alibi, intelligentiam rerum enodatam (inchoatæ, adumbratæve oppositam, quæ manca quasi rerum comprehensio est), appellat. Vide ad Legg. I, 9, 26. Unde ἔννοιαι, notitiæ singulæ rerum, nobis impressæ, *allgemeine Begriffe.* Neque cum Walkero audiendus Davisius, qui voces *ut hæc* transpositas ante *si homo est*, malint. Tum *ut hac* scribendum, vel potius *hæc* delendum foret. Unum notionis explicatæ exemplum, instar reliquorum, simpliciter additur. G.

22. *Rationis particeps.* Ex mero torpore scribarum est, quod codd. plerique *ratione particeps* peccant. G.

23. *Quo e genere... imprimuntur.* Curtata est dicendi ratio pro, « quo e gen. sunt, quæ.... impr. » cujus exempla bene multa congessit Wopk. Lectt. Tull. p. 91, seq. G.

24. *Nec intel.... nec quæri, aut disp.* Præbent Gud. et Ven. 1494 : « Neque intelligi... neque, etc. » Conf. Divv. II, epist. 19. Ernest. *aut* deleta, *disputarive;* fr. cod. *at* scribit. G.

25. Ἐννοίας *enim notitias.* Hülsem. perquam incongrue fecit, quum vv. *enim notitias* deleret. Tum enim certe *sic*, vel tale quid, addendum fuisset. Quis autem ignorat, ejusmodi substantivorum repetitiones auctori perquam esse usitatas? *Enim* etiam a tribus meis abest : sed reliqui recte servant; et inservit hæc part. proprie parenthesi. G.

qualia visa a falsis discerni[26] non possent : quo tandem his modo uteremur? quo modo autem, quid cuique rei consentaneum esset, quid repugnaret, videremus[27]? Memoriæ quidem certe, quæ non modo philosophiam, sed omnis vitæ usum[28], omnesque artes una maxime continet, nihil omnino loci relinquitur. Quæ potest enim esse memoria falsorum? aut quid quisquam meminit, quod non animo comprehendit et tenet? Ars[29] vero quæ potest esse, nisi quæ non ex una, aut duabus, sed ex multis animi perceptionibus constat? quas si subtraxeris[30], qui distingues artificem ab inscio? Non enim fortuito hunc artificem dicemus esse, illum negabimus; sed quum alterum percepta et comprehensa tenere videmus[31],

26. *Qualia visa a falsis discerni.* Oxon. ψ. *a falsis* ignorat, quæ ne ex glossemate adhæsisse quis putet, monendum est; si enim h. l. auctor has voces omisisset, obscurus evasisset, quum visa etiam inter se discernenda sint, non modo quoad aut vera sint, aut falsa. G.

27. *Videremus.* Omnes pæne scripti *videmus*, quod stare nequit. Sed unculus facile negligi, aut perire potuit, quo *videremus* distinguitur. G.

28. *Sed omnis vitæ usum, omnesque artes.* Gœrenz dat : « Sed omnis vitæ usus, omnisque artes ». Ita, inquit, esse pro vulg. *usum* scribendum nemo non videt. Inde etiam dudum vidit Bremi ad Fin. lib. I, p. 38. Gud. et fr. cod. adjuvant hanc emendationem bis *omnis* præbentes, ut edidimus.

29. *Ars... constat?* Hæc sumpta sunt ex illa definitione artis, cujus auctores vetus interpres Hermogenis Stoicos esse testatur : τέχνη ἐςὶ σύςημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηςον τῶν ἐν τῷ βίῳ. Cf. Quintil. Inst. Orat. II, 17, 18. H.

30. *Quas si subtraxeris.* Hülsem. *quam* recoxit; quod quidem scriptorum plerorumque est omnium; sed perquam jejunum hoc loco. Nam quis dixerit, « arte subtracta artificem ab inscio non distingui? » Immo ipse tum artifex nullus erit. *Quas* autem *perceptiones* scribi debere, vel inde patet, quod « percepta et comprehensa » sequitur. Sensus autem est : « Quum ars quævis perceptionum multitudine contineatur, his autem perceptionibus subtractis, neque ars aliqua constare, nec, qui eam exercet, artifex possit : neve ars ab inscientia, neve artifex ab inscio different, quippe (qui unice) ex illis perceptionibus exsistant ». Dimisit auctor *artem*, et ad ejus conjugatum, *artificem*, orationem transtulit. G.

31. *Videmus.* Ern. suadet *videbimus* ob præcedd. futurorum rationem. Immo *viderimus* suadendum erat. Con-

alterum non item. Quumque artium aliud ejusmodi genus sit, ut tantummodo animo rem cernat; aliud, ut moliatur aliquid, et faciat[32] : quomodo aut[33] geometres cernere ea potest, quæ aut nulla sunt, aut internosci a falsis non possunt; aut is, qui[34] fidibus

structio plena enim hæc est : « sed tum alterum artificem dicemus, quum (eum).... viderimus ». Sed ex hac ipsa constructione sponte intelligitur præsens esse melius. Conf. infra 29, § 93 : « erunt enim (molesti soritæ), nisi cavetis ». G.

32. *Ut tantummodo animo rem cernat... ut moliatur aliquid, et faciat :* Gœrenz delet *animo :* auctoritate MS. Gud. qui illud ignorat. Ante multos jam annos, inquit, de loci hujus castitate dubitavimus. Nam primo non dispiciebamus, quomodo *ars* dici possit « animo cernere »; deinde jure nostro, si *animo* verum esset, ad proxima « moliatur aliquid », vel « extra », vel tale quid, requirebamus, idque ex oppositionis lege. Scribæ verbi *cernere* vim ignorabant, qua « de re deliberare, judicare, ut cernere hereditatém, etc. » notat. Cf. Ern. Cl. h. v. : addidere igitur glossema *animo* textis. Sententia est : « alterum artis genus rem » (i. e. materiam ipsi subjectam), « per se ipsam spectat, etc. » Distinguit enim auctor h. l. artes eo modo, quo Quint. Instt. Oratt. II, 17, 18, qui eas θεωρητικὰς, πρακτικὰς et ποιητικὰς vocat. « Quum, inquit, sint artium aliæ positæ in inspectione, i. e. cognitione, et æstimatione rerum, qualis est astrologia, nullum exigens actum, sed ipso rei, cujus studium habet, intellectu contenta, quæ θεωρητικὴ vocatur; aliæ in agendo, quarum in hoc finis est, et ipso actu perficitur, nihilque post actum operis relinquit, quæ πρακτικὴ dicitur, qualis est saltatio, etc. » Artium duplex genus etiam Cicero indicat verbis *moliatur*, et *faciat;* quorum loco paucis post, « in faciendo atque agendo », ponit. Primus fons hujus distinctionis videtur esse Plato. Cf. hujus Sophist. II, pag. 206-216. — Gallice verti posset, *arts speculatifs* et *arts actifs*, nisi quod prius artium genus jam non *art*, sed *science* proprie dicitur. Sed aliter *ars* e vett. finiebatur. Vide pag. sup. n. 29.

33. *Quomodo aut geometres.* Gœr. dat « quomodo autem geom. » Nos, inquit, sequuti sumus fr. cod. Dr. Vien. quum non solum particulam nexui inservientem desideraremus, sed etiam quadruplex *aut*, sic ut prima modo, et ultima, sibi responderet, insipidius judicaremus; *autem* reposuimus, quippe quam cum affectu aliquo quærentis poni, et enumerationi inservire, sciremus : quod utrumque h. l. valet. Cf. Divv. VII, ep. 12. Ceterum *aut* ex compendio nata est, unculo neglecto, quo syll. *em* notatur. Hæsisse scribas h. l. vel inde intelligitur, quod Gud. pro *autem*, *aliter* exhibet. G.

34. *Qui fidibus... versus?* Mirum est in his non hæsisse intt. Nos sane non videmus, quomodo a musicis requiratur, ut iidem *conficiant versus*, i. e. sint etiam poetæ? Dudum enim tempora desierant, ubi hæc juncta reperirentur. Hic horum si sensus fuerit, locum equidem affectum judicarim. Sed cuncta verba ad musicam

utitur, explere numeros, et conficere versus? quod idem in similibus quoque artibus continget[35]; quarum omne opus est in faciendo atque agendo. Quid enim est, quod arte effici possit, nisi is, qui artem tractabit, multa perceperit?

23 VIII. Maxime vero virtutum cognitio[1] confirmat, percipi et comprehendi multa posse. In quibus solis inesse etiam scientiam dicimus; quam nos non comprehensionem[2] modo rerum, sed eam stabilem quoque atque immutabilem esse censemus; itemque sa-

facultatem solam referenda hoc sensu: « Quomodo is, qui nervorum cantu utitur accurate ad numeros canere carminis simul, quod canit, ratione habita, singulos ejus versus numeris illis recte et ex arte accommodet ». Ad fides autem semper viva canentis vox olim applicabatur. G.

35. *Continget.* Tres mei *contingit.* Sed fut. recte se habet, sæpe a librariis tentatum. Cf. Heusing. ad Off. I, 41, 9. Hoc loco maxime Platonicum est, ab hac ellipsi pendens « si eas singulas videris ». G.

VIII. 1. *Virtutum cognitio. Cognitio* est h. l. κατάληψις, eo sensu, quem vulgus collectivum dicit. Cf. Fin. III, 5, 17, « rerum cognitiones... καταλήψεις appellemus licet ». Adhibetur autem hæc vox (quod h. l. haud intempestive monemus), ex ejus ipsius natura sic, ut comprehendentem rei, de qua dicitur, et contemplativam, ut vocant, notitiam indicet: unde etiam toties cum *contemplatione* jungitur. At *perceptio*, quæ est singularum rerum, per se spectatarum, sive notarum, sive notionum, accurata notitia, eaque uno notionum quasi gyro *comprehensa*, cognitionem gignit. Inde toties « cognoscere et percipere, cognitus et perceptus » junctim ponuntur. Hic addidit auctor « percipi et comprehendi multa posse ». G.

2. *Comprehensionem.... stabilem quoque atque immutabilem.* Gœrenz dat « stabilem et immut. » Omnes mei quinque, inquit, *et* referunt: et *quoque* insuper ignorant ex his Gud. frag. cod. Wrat. pluresque edd. vett. in quibus est Ven. 1494. Post *non modo* autem *quoque* vel *etiam* a scribis addi, sæpius jam vidimus. Vid. supra § 6; cll. Heusing. ad Off. I, 39, 3. Adde Timæ. 3, « in re stabili et immutabili ». — Intell. « non comprehensionem simpliciter, sed compreh. stabilem, etc. » Recte autem viderunt VV. DD. esse hanc Zenonis definitionem. Cf. Stobæus Ecll. eth. 171: εἶναι τὴν ἐπιστήμην κατάληψιν ἀσφαλῆ, καὶ ἀμετάπτωτον. Paullo aliter eamdem laudat Sext. Emp. VII, 150: ἐπιστήμην μὲν εἶναι τὴν ἀσφαλῆ καὶ βεβαίαν, καὶ ἀμετάθετον ὑπὸ λόγου κατάληψιν. Cf. Suid. v. ἐπιστήμη. Altera definitio, quam Davis. profert ex Diog. Laert. VII, 47, non Zenonis est, sed *Herilli*, vide eumd. Diog. ibid. § 165. Recte quidem interpp. monent, acceptam esse illam Zenonis definitionem a reliquis fere omnibus philosophis: nam vel Sext. Emp. Pyrrh. II, 214, eam quodammodo adsciscit, quum scien-

pientiam, artem vivendi, quæ ipsa ex sese habeat[3] constantiam. Ea autem constantia si nihil habeat percepti et cogniti, quæro, unde nata sit, et[4] quo modo? Quæro etiam, ille vir bonus, qui statuit omnem cruciatum perferre[5], intolerabili dolore lacerari potius, quam aut[6] officium prodat, aut fidem, cur has[7] sibi tam graves leges imposuerit, quum, quamobrem ita oporteret, nihil haberet comprehensi[8], percepti, co-

tiam, βέβαιόν τι καὶ ἀμετάπτωτον πρᾶγμα, vocat. Sed h. l. monendum est, etiam reliqua hæc Antiochi esse Stoica, ut hujus fere omnia.

3. *Quæ... habeat.* Ne offendaris cum librariis in subjunctivo tempore: Gud. enim *habebat*, et fr. cod. *habet*, sed correctum. Ponitur autem *quæ* pro *quum ea*, hoc sensu: « quum in ipsa sapientiæ natura constantia, i. e. stabilitas consilii, et immutabilitas, insit ». G.

4. *Et quo modo.* Gœrenz dat *aut q.* ex quinque suis, Vin. et ψ.

5. *Qui statuit.... perferre* (pro *perferendum esse*). Recte sequutus Ern. Davisium est, qui ex scriptis suis, et vetus editis, pro passivo, *perferri*, act. reduxit, quod idem constanter mei quoque servant. Eadem constructio est, Legg. I, 19, 50; quam sine causa ibi sollicitavimus. Cf. Quintil. Institt. Orat. VII, 1, 41. Adde Orat. III, 20, 74. G.

6. *Quam aut off. p. aut fidem.* Gœr. dat « quam ut off. p. aut fidem ». Vulgata *quam aut*, inquit, vel per se rejicienda erat, quum *fides* in omnis generis officii obsequio cernatur; atque distingui inter hæc duplici *aut* recte non possit. Recte igitur Lamb. et Davis. ex codd. sic correxerant, quibus e nostris Gud. frag. cod. magnaque edd. vett. caterva cum Ven. 1494, accedit. Ern. ad vulgatam rediit. Sed vel hinc male, quod Cic. post comparativos *quam ut*, vel *quam* simplex, intellecta *ut*, poni amat, cf. Tursell. Partt. p. 653. Ceterum auctorem h. l. Reguli exemplum in animo habuisse, ipsa verba docent. Vid. Fin. II, 20, 65, coll. Off. III, 27, tot. G.

7. *Cur has sibi.* Gœrenz dat: « Cur has igitur sibi ». Olim, inquit, fere vulgabatur, « cur has igitur s. » nec aliter duo Davisii, fr. cod. et Gud. modo quod hic cum Davisianis *sibi* omittit. Equidem *igitur* veram lectionem puto. Notus est enim hujus particulæ usus, quo parenthesin excipit; verba autem, « qui statuit.... aut fidem », sunt tamquam ex parenthesi dicta: nihil igitur dubitavimus vocem in suum locum reponere, quam scribis, Ciceroniani moris ignaris, nullo modo imputare licebat. Si hujus usus exempla quæris, cf. Matthiæ Miscell. phil. I, vol. 2, p. 299. Erl. *has* ignorat. Male; nam « has leges » est, « hanc et tales l. » ut sæpe; ponitur que pron. cum vi, quum sit v. *igitur* præmissum, cf. Orat 10, 33. « Referamus nos igitur, etc. » ubi *igitur* a Schützio transpositam nollem, cll. Divin. II, 3, 8. « Dicendum est mihi igitur »: et sic alibi sæpe. G.

8. *Comprehensi... constituti?* Ne hæc quatuor pro iisdem puta. « Com-

gniti, constituti? Nullo igitur modo fieri potest, ut quisquam tanti æstimet æquitatem et fidem[9], ut ejus conservandæ causa nullum supplicium recuset, nisi iis rebus[10] assensus sit[11], quæ falsæ esse non possunt.
24 Ipsa vero sapientia, si se ignorabit, sapientia sit, necne; quo modo primum obtinebit nomen sapientiæ? deinde quo modo suscipere aliquam rem, aut agere fidenter audebit, quum certi nihil erit, quod sequatur? quum vero dubitabit quid sit[12] extremum et ultimum bonorum, ignorans quo omnia referantur, qui poterit esse sapientia[13]? Atque etiam illud perspicuum est, constitui necesse esse initium[14], quod sapientia, quum quid agere incipiat[15], sequatur; idque initium esse naturæ accommodatum. Nam aliter appetitio[16] (eam enim esse volumus ὁρμήν), qua

prehendere est rem accurate; percipere, plene; cognoscere, cum ratione, intelligere; constituere autem, ex re sic intellecta consilium capere ». G.

9. *Ut quisquam tanti æstimet æquitatem et fidem.* Nobile exemplum est de Offic. I, 13, *de Regulo*, primo Punico bello a Pœnis capto. Qui, quum de captivis commutandis Romam missus esset, jurassetque se rediturum: primum, ut venit, captivos reddendos in senatu non censuit; deinde, quum retineretur a propinquis, et ab amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere. Vid. ibi Garvii notas. H.

10. *Nisi iis rebus.* Gœrenz dat *his* de more, Davisio præeunte.

11. *Assensus sit.* Non displicet Gudiani ordo *sit assensus*. At in eo hic idem cum Dr. et edd. vett. nonnullis, audiendus non est, quum in proximis *possint* præbet; quod natum est ex subjunctt. præcedentibus. G.

12. *Quid sit extremum. Sit* addidit Davis. ex quatuor suis, meis omnibus idem comprobantibus: habent etiam Vien. Ven. 1494, editæque plures. Desiderabis id, denique tua sponte, quum alias hiulca fiat oratio. Non igitur attendit Ern. quum vulgatam repeteret. G.

13. *Qui poterit esse sapientia.* I. e. « quo modo fieri poterit, ut vere sit sap. » Si aliter acceperis, mutanda erit verborum series. G.

14. *Constitui necesse esse initium.* Verbum de verbo vertit, ἀρχήν: infra § 29, « judicium veri » vocatur. Sic autem scripsit, ut opponeretur « extremo et ultimo bonorum ». G.

15. *Quum quid agere incipiat.* I. e. « quum sapientia judicando quid aggressa sit ». Cf. Legg. I, 7, 22: « Ratio quum adolevit atque perfecta est, nominatur rite sapientia ». Hæc enim omnia sunt pura puta Stoica, Antiochea veste induta. G.

16. *Appetitio.* ὁρμὴν intellige, quam Stoici λογικὸν vocant, cf. Fin. V, 6,

ad agendum impellimur, et id appetimus, quod est visum, moveri non potest. Illud autem[17], quod mo- 25
vet, prius oportet videri, eique credi: quod fieri non potest, si id, quod visum erit, discerni non poterit a falso. Quo modo autem moveri animus ad appetendum potest, si id, quod videtur, non percipitur, accommodatumne naturæ sit, an alienum? Itemque, si, quid officii sui sit, non occurrit animo, nihil umquam omnino[18] aget, ad nullam rem umquam impelletur, numquam movebitur. Quod si aliquid aliquando acturus est, necesse est id ei verum[19], quod occurrit, videri. Quid, quod, si ista[20] vera sunt, ratio omnis 26

17, cll. Salmas. ad Simpl. p. 42-50, Lugd. Cic. eamdem alibi « animi quoque vel appetitum, vel motum » vocat. Ista ὁρμῇ animus κινεῖσθαι iisdem illis proprie dicitur. Inde facilius, quæ sequuntur, patebunt. G. — Vid. Cic. de Fin. lib. V, 6: « Negabat (Carneades) ullam esse artem, quæ ipsa a se proficisceretur: etenim semper illud extra est quod arte comprehenditur. Est perspicuum, nullam artem in se versari, sed esse aliud artem ipsam, aliud quod propositum sit arti ». H.

17. *Illud autem... credi.* Ad hæc et sequentia cf. est Stob. Eclog. Eth. II, p. 164. Πάσας δὲ ὁρμὰς συγκαταθέσεις εἶναι, τὰς δὲ πρακτικὰς καὶ τὸ κινητικὸν περιέχειν. Ex his simul intelligitur, auctorem v. *credi* græcum συγκατατίθεσθαι exprimi voluisse. G.

18. *Nihil umquam omnino.* Gud. *inquam*, quod h. l. non quadrat. Erl. *omnino umquam*, qui ordo per se unice verus est. Præponi enim *omnino* particulis, « numquam, umquam, usquam, non », certa quadam regula solet. Sed hoc loco in *umquam* repetite posita dubitamus, cf. Parad. VI, 2, 2, « quam (abundantiam) tu, quoniam numquam assequere, numquam omnino es futurus dives ». Sic scripti omnes, et septem quoque mei. Ratio videtur in soni relatione esse posita. In his certe caute circumspecteque versandum est, quum, vel probante regula, peccaris. G.

19. *Necesse est id ei* (animo) *verum... videri*, de *interna* pariter, atque *externa* veritate intelligenda sunt. Notat igitur verum simul etiam « rectum, æquum, justum ». *Agit* autem *animus*, si *judicat*. G.

20. *Quid, quod, si ista... lumenque vitæ? tamenne.* Gœrenz dat: « Quid? quod si, si ista... lumenque vitæ; tamenne ». Quem audiamus: Davis. *quod* in *quum* mutari jubet; Ern. vulgata verba defendit. Sed non prospero successu. Quis enim hanc structuram feret, « Quid, quod tollitur? tamenne »? Quod quum Hülsem. vidisset, hic, *si* in *nisi* mutato, sic scripsit: « videri.—Quid? quod, nisi ista vera sunt, ratio om. tollitur, quasi ...vitæ! — Tamenne, etc. » Sed hæc multipliciter nihil sunt. Nam quid primo lineæ, incisi signa, his in contextis? Deinde *ista* auctor ad Philonis sententiam relata vult, quæ sic mire ad illam

tollitur, quasi quædam lux lumenque vitæ[21]? tamenne in ista pravitate perstabitis? Nam quærendi initium[22] ratio attulit; quæ perfecit virtutem, quum esset ipsa ratio confirmata quærendo. Quæstio autem est appetitio cognitionis; quæstionisque finis, inventio. At nemo invenit falsa; nec ea, quæ incerta permanent, inventa esse possunt: sed, quum ea, quæ quasi involuta fuerunt, aperta sunt, tum inventa dicuntur.

Antiochi traducuntur. Reliqua, ut signum interr. post *quid?* hac in interpunct. et *Tamenne* post punctum maximum, facile præterimus. Nos quidem, duplici *si* posita, locum restituisse putamus. *Si* autem vel in plano contextu, ubi iterandum sit, excidere solere, notissimum est: sed h. l. alteram scribæ data opera delevisse videntur, quippe qui ignorarent, *quod si*, sequente *tamen*, pro *quod etsi* poni. Conf. Orat. 43, 148. *Quid?* autem ob sequens *ne*, necessarium, male duo meorum ignorant. Ceterum consulto non junctis vocibus, ut nunc solet, « quod si » scribimus, quum alias « quod quoniam, quod quia, quod etsi », quæ plane eodem modo ponuntur, æque junctim scribenda forent. — J. V. *Leclerc* a se Gœrenzii correctionem probari non posse declarat.

21. *Lux lumenque vitæ.* Gœrenz dat: « dux lumenque vitæ ». Probamus, inquit, h. l. Hülsem. qui solam Bentleii apud Davis. conjecturam (nam codd. et edd. omnes « lux lumenque v. ») in textu receperit. Sed rationem, cur hæc præ ceteris probanda sit... (possis enim etiam « lex numenque v. » suadere, quum *numen* sic translate dicatur; idque maxime, quum ista stoice disputentur), nobis ille reliquit. Voluit autem auctor *rationem* ut *ducem* notare per noctis obscuritatem et tenebras *lumine* suo viam nobis prælucentem. Vulgata contra putida est, quippe ex qua *ratio* nobis *die noctuque*, modo *solis* instar, modo *lucernæ*, i. e. misera distinctione, luceret, cf. Fin. III, 14, 45: « Ut obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernæ, etc ». Ita vero auctor ἓν διὰ δυοῖν sæpissime; imprimis oratione paullo commotiore. Hoc autem loco sic accipienda verba sunt, ac si auctor scripsisset, « ratio vitæ lumen præfert », ut idem, egregio loco, pro Sulla, 14, 40. G.

22. *N. q. initium...dicuntur.* Hæc adduntur, ut inde probetur, « esse rationem ducem (si sic scripseris) lumenque vitæ ». Sensus autem loci hic est: « A ratione primum quærendi veri initium. A quo initio hæc profecta, perfectæ virtutis denique exemplum invenit, ex quo ipsa sese sensim excoluisset quærendo. Verum autem quærere per se idem est, quod appetere cognitionem, quærendique finis, quod quæras, invenire. Jam falsa (quæ nihil sunt) inveniri non possunt, eodemque modo, quorum natura ea est, ut semper incerta maneant. At ea in inventis ponuntur, quæ, olim recondita, nunc in lucem protracta, mens intuetur ». Repetiit auctor v. *ratio*, ne verba, *ipsa confirmata*, ad *virtutem* applicarentur. G.

Sic et initium quærendi, et exitus percipiendi et comprehendendi tenet[23]. Itaque argumenti conclusio[24], quæ est græce ἀπόδειξις, ita definitur : Ratio, quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit[25].

IX. Quod si omnia visa ejusmodi essent, qualia 27
isti dicunt, ut ea vel falsa[1] esse possent, neque ea posset ulla notio discernere : quo modo quempiam aut conclusisse aliquid, aut invenisse diceremus[2] ? aut

23. *Sic... tenet.* (suppl. *ratio*). Gœr. dat : *sic... tenetur.* Vulgatur, inquit, *tenet.* Sed quum sic, ex contextu nimis remoto, *ratio* cogitari deberet, VV. DD. hanc ipsam vocem addi jusserunt. Quumque deinde *exitus* pravo casu poneretur, Lamb. *exitum* correxit, probantibus Davis. et Ern. Utrumque dederunt Wetzel. et Hülsem. Sed nos quidem hanc corrigendi rationem minime probamus, qua quidvis audere liceat, si quidquam cuiquam ad palatum non fuerit. Sequendus Bentl. apud Davis. erat, qui scriptorum probatorum auctoritate, nihil nisi *tenetur* mutat. Idque VV. DD. facile ipsi vidissent, si vel parum in hujus verbi usum inquirere voluissent. « Tenere » enim ii dicuntur, qui « rem defendendo idoneis argumentis evincunt », cf. de Fato 16; ibid. 10, 21. Atque ita sæpe. Sensus hujus loci est : « Hoc eodem modo evinci potest, et initium quærendi esse (ratione duce), et exitum, etc. » *Tenetur* autem pro *teneri potest* poni, vix est, ut moneamus.

24. *Argum. conclusio.* Ἀπόδειξις. Vid. Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. lib. II, 11, sect. 135, p. 96 Fabric. ἔστιν οὖν ἡ ἀπόδειξις λόγος δι' ὁμολογουμένων λημμάτων κατὰ συναγωγὴν ἐπιφορὰν ἐκκαλύπτων ἄδηλον, coll. sect. 156, p. 101 et 181. H.

25. *Ratio... adducit.* Diog. Laert. VII, 45, ἀπόδειξιν ex Stoicorum mente definit, λόγον διὰ τῶν μᾶλλον καταλαμβανομένων τὸ ἧττον καταλαμβανόμενον παριστάντα. Ceterum scribit Gud. et Ven. 1494, mutato ordine *adducit, quod non percipiebatur.* Quod hoc loco nihil est. G.

IX. 1. *Ut ea vel falsa.* Ern. quum verbum *discernere* sequatur, contexta requirere judicat, ut legatur, « et vera et falsa »; cujus lectionis vestigia codices eos servare dicit, qui « vel falsa vel vera » exhibent. Sed vir egregius h. l. non attendit. Philo enim statuebat, res, quæ veræ putarentur, « vel falsas » esse posse, quum nulla esset veri a falso discernendi ratio, cf. supra § 18. Ita proximorum, « neque ea posset ulla notio discernere », explicatio in promptu est, si cogitaris, « verane sint, an falsa ». Scriptorum istorum autem varietas ita se clare glossema prodit, ut inde conjectura duci nulla possit. Ne denique in duplici ea « ut ea vel f.... neque ea » offendas, ut prius abesse malis : sæpe enim Cic. hoc pronomen, ad idem relatum, repetite ponit. Cf. Off. 1; Legg. I, 22, 57. Cf. Bremi ad lib. de Fato p. 64. G.

2. *Diceremus.* Scripti mei omnes *dicemus.* Nec aliter Vin. et Oxon. V.

quæ esset conclusi argumenti fides? Ipsa autem philosophia, quæ rationibus progredi debet, quem habebit exitum[3]? sapientiæ vero quid futurum est[4]? quæ neque de se ipsa dubitare debet[5], neque de suis decretis, quæ philosophi vocant δόγματα: quorum nullum sine scelere[6] prodi poterit. Quum enim decretum proditur, lex veri rectique proditur. Quo e vitio et amicitiarum proditiones, et rerum publicarum nasci solent. Non potest igitur dubitari, quin decretum nullum falsum possit esse; sapientique satis non sit, non[7] esse falsum, sed etiam stabile, fixum, ratum esse debeat; quod movere nulla ratio queat.

Sed vitium est, ex compendio natum, neque inter hæc imperff. locus futuro concedendus. G.

3. *Quem habebit exitum.* Sic *exitus* sæpius, cf. Orat. I, 20, 92; Nat. Deor. 14, 36. G. — Vertit *Castillon:* « Quel sera le fruit de la philosophie, qui ne doit pas marcher sans raisonner »?

4. *Sapientiæ v. quid futurum est?* Ern. ex superioribus *esset* requirit; sed in iterum mutata forma orationis acquiescit. At præcesserat modo *habebit*, post quod adeo vitiose auctor *esset* posuisset. G.

5. *Quæ neque de se ipsa dubitare debet.* Ad hæc compares supra § 24. G.

6. *Sine scelere prodi.* Infra cap. XXIV, 109, « Quum sapientis nullum decretum esse possit, nisi comprehensum, perceptum, cognitum »; itaque tale, quod ratio *verum et rectum* plene agnoscat: desciscet a se ipse, qui ejusmodi decretum prodat, quod auctor in *scelere* ponit. Atque inde etiam aliæ proditiones enascuntur, *amicitiæ, reipublicæ*. G.

7. *Sapientique satis non sit, non esse f.* Prior *non* in plerisque scriptis abest, ut solet, si repetite ponitur. Ita Orat. 9, 32. Hoc loco prior abjecta est, quum posteriorem delere, plane mente cassi fuisset. Ex nostris unice fr. cod. *non* illam servant. Sed notandum hoc est, sensum horum esse : « nullum omnino decretum falsum esse posse : sed in sapiente non sufficere, si decreta falsa non sint; debere ea in hoc ita stabilia, fixa, rata esse, ut labefactari nulla ratione possint ». G. — Nunc et P. Fabrum audiamus : non magis, inquit, hic addenda negatio fuit ante *sit*, quam in lib. I, de Fin. quum de Epicuro dicit: « Nihil generosum sapit, atque magnificum »: quod tamen Lambinus libentius addita negatione legerit. Sed apud Maronem (ut fides fiat in versu potissimum), in his quæ sunt in lib. VII : « nec vestra feretur Fama levis, tantique abolescet gratia facti », aut in his lib. III : « Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva »; quis mutare quicquam aut velit, aut possit? Quid autem facilius quam hic repetere negationem e proximo? Quod sæpissime etiam et in lingua græca, et in hebræa a grammaticis vulgo observatum est.

Talia[8] autem neque esse, neque videri possunt eorum ratione[9], qui illa visa, e quibus omnia decreta sunt nata, negant quidquam a falsis interesse.
Ex hoc illud est natum, quod postulabat Hortensius, 28
ut id ipsum saltem perceptum a sapiente diceretis, nihil posse percipi. Sed Antipatro hoc idem postulanti, quum diceret[10], ei, qui affirmaret nihil posse percipi, consentaneum esse[11] unum tamen illud dicere percipi posse, ut alia non possent, Carneades acutius resistebat. Nam tantum abesse dicebat, ut id consentaneum esset[12], ut maxime etiam repugnaret. Qui enim negaret quidquam esse, quod perciperetur, eum nihil excipere. Ita necesse esse, ne id ipsum quidem, quod exceptum non esset, comprehendi et percipi ullo modo posse.

Antiochus ad istum locum pressius videbatur[13] ac- 29

8. *Talia.* I. e. « stabilia, fixa, rata, etc. ». G.

9. *Eorum ratione.* Intelliges *posita*, vel *accepta;* est enim nudus ablativus consequentiæ, de quo supra egimus § 2. Nihil igitur est, ut *ex* additam malis. G.

10. *Postulanti, quum diceret, ei, qui.* Sic primus ex ingenio P. Manutius, quum scripti editique *eique.* Librarii nempe *diceret* et *affirmaret* junxerunt: qui eo magis h. l. peccarunt, structuram, « postulanti, quum diceret », non assequuti, Ciceroni imprimis solemnem. De Antipatro vid. Jonsius de Scriptt. Hist. Phil. p. 71. G.

11. *Consentaneum esse, unum tamen illud dicere percipi posse.* Ita verissime vulgatur, licet complures scripti turbent. Erl. verba, *consentaneum esse*, post *posse* rejicit, idque idem facit Gud. modo quod etiam *diceret* peccat. Alii denique, ut Vin. cum vetus editis compluribus, utroque loco eadem refert. Causa turbæ est, quod, quum verba *unum.... posse*, ut in Vrat. cernitur, excidissent, scribæ posteriores in margine posita, diversis locis in texta receperunt. Contexta cum vulgata faciunt. G.

12. *Ut id consentaneum esset.* Sic scripti 4 apud Davis. pro *id*, *ei.* Atque ita etiam mei omnes, Vin. quoque et ψ. et edd. vett. pleræque omnes. Equidem *id* ex correctione puto, quum facile ex contextu intelligatur. *Ei* ex antecedd. additum est. Hæc autem miserrima ratio, qua Davis. *id ei* suadet. Ferrem, si *id rei* vel *rationi* suasisset, quæ ubique ad hoc adject. absolute positum, cogitari debent. Si vero Cic. *id* dedisset, hoc voci *consentaneum* postposuisset: sed gravius omittitur. Cf. Off. I, 20, 6; Fin. III, 17, 58. G.

13. *Videbatur.* Possit quis *videtur* malle. Sed *videbatur* ad id tempus

cedere. Quoniam enim id haberent[14] academici decretum (sentitis enim jam hoc me δόγμα dicere[15]), nihil posse percipi; non debere eos in suo decreto, sicut in ceteris rebus fluctuare, præsertim quum in eo summa consisteret. Hanc enim esse regulam totius philosophiæ, constitutionem veri, falsi[16], cogniti, incogniti; quam rationem quoniam susciperent[17], docereque vellent, quæ a quovis accipi oporteret, et quæ repudiari, certe hoc ipsum, ex quo omne veri, falsique judicium esset, percipere eos debuisse. Etenim duo esse hæc maxima[18] in philosophia, judicium veri, et finem bonorum[19]; nec sapientem posse esse, qui aut cognoscendi esse initium[20]

referendum, quo Lucullus ipsum audierat. G.

14. *Quoniam... haberent.* Recte: nam ubique auctor ex persona alterius vel mentem, vel orationem referentis, ad « quia, quoniam, quamquam » subjunctivum tempus addit. De *quoniam* cf. Nat. Deor. III, 27, 69; Sext. 11, 46. Nihil igitur dicunt, qui in his hærent. Quod hoc maxime loco monuimus, quum, si *habebant* posueris, his sententia, non Antiochi, sed Luculli continebitur. G.

15. Δόγμα *dicere.* Conferendus Henr. Steph. annott. ad Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. lib. I, s. 2, ad vocem δογματικοί· p. 200, ed. Fabric. Cicero δόγμα *decretum* interpretatur; alii *placitum*, vel *placita*, τὰ ἀρέσκοντα τοῖς φιλοσόφοις. H.

16. *Constitutionem veri, falsi,* etc. I. e. « constituere, quid verum, quid falsum; quid cognitum sit, quid minus ». Amat Cic. substt. in *io* sic ponere: neque quisquam latinorum ea magis frequentat. Hanc autem meram definitionem τοῦ κριτηρίου esse, nemo non videt; de quo paucis post. G.

17. *Quam rationem quoniam susciperent.* Peccant in his scripti. Gud. et Dresd. particulas transponunt, Erl. *quamquam... quam... Susciperent*, nempe *tuendam*; ut sæpe. G.

18. *Duo esse hæc maxima.* Hæc pertinent ad Stoicorum *dialecticam*, et *ethicam*. — *Maxima* plane græco μέγιστα respondet. G.

19. *Judicium veri, et finem bonorum.* κριτήριον ἀληθείας, καὶ τέλος ἀγαθῶν. Multis autem modis auctor vocem κριτήριον vertit. Sic *initium* vel *quærendi*, vel *cognoscendi*, *regulam veri*, et nude etiam, vel *regulam*, vel *normam*, vel *judicium* vocat. Circumloquitur idem quoque, « id, quo omnia judicantur v. ex quo omne veri falsique judicium pendet, etc. » G.

20. *Cognoscendi esse initium.* Davis. et Ern. *esse* ex uno illius cod. sustulerunt, quum idem jam antea Lamb. ex conjectura fecisset. Quod, nisi attendes, facile probaris. Nam non satis esse, inquies, scire sapientem, esse veritatis κριτήριον; sed ipsum illud cognitum perceptumque habere debere. At quamvis hoc sit verissimum,

ignoret, aut extremum expetendi, ut, aut unde proficiscatur, aut quo perveniendum sit, nesciat. Hæc autem habere dubia, neque his ita confidere, ut moveri non possint[21], abhorrere a sapientia plurimum. Hoc igitur modo potius erat ab his postulandum, ut hoc unum saltem, percipi nihil posse, perceptum esse dicerent. Sed de inconstantia totius illorum sententiæ, si ulla sententia cujusquam[22] esse potest nihil approbantis, sit, ut opinor, dictum satis[23].

X. Sequitur disputatio copiosa illa quidem[1], sed 30
paullo abstrusior: habet enim aliquantum a physicis; ut verear, ne majorem largiar ei, qui contra dicturus est[2], libertatem et licentiam[3]. Nam quid eum factu-

tamen hoc loco cum iis res est, qui, esse χριτήριον, negant. Ad hos accommodate hæc dicuntur. Hoc ut verissimum agnoscent ii, qui verbi substantivi rationem, si in simplici enuntiato, prædicatoque præposito, medium ponitur, intellexerunt. Hinc etiam factum est, ut auctor verba, *ut... dicerent*, adderet. G.

21. *Ut moveri non possint*. Etiam hæc plane græce dicuntur: supra § 27: « stabile, fixum, ratum » dixit « quod movere ratio nulla queat ». G.

22. *Ulla sententia cujusquam*. Offendit Ern. his in verbis, ut *cujusquam*, tamquam vitiosum, abesse malit. Sed quum vel *nullus quisquam* recte dicatur, nescio sane equidem, quid in *cujusquam* sit; quod ferri nequeat. Addi potius *quisquam* in hujusmodi constructione cum efficacia solet. Cf. Orat. II, 28, 122. G.

23. *Sit, ut opinor, dict. s.* Gœrenz dat: « Sic, ut op. d. s. » Scripti, inquit, plerique aliorum', meique omnes, omnes etiam vetus editi, *sit* referunt. Inde, quum hoc vere nihil sit, hac in constructione, dedit Davis. *sicut*. Sed vellem locum attulisset, ubi auctor *sicut opinor* scribat; equidem talem prorsus ignoro. Semper enim Cic. *ut opinor*. Quod idem sensisse Ern. videtur, qui ex uno Davisiano *est*, dedit. At sic scribæ non peccant. Nos quidem rectius fecisse nobis videmur, quum *sic, ut*, distinctis vocibus, excudi juberemus.

X. 1. *Copiosa illa quidem*. Ven. 1494, « copiosa, dicta illa quidem » exhibet; sed vulgata recte se habet, hoc sensu, « quæ licet copiose disseratur, tamen est abstrusior » : sic ut hæc ex oppositione intelligantur. G.

2. *Ne majorem... qui contra dicturus est*. Malim, « ne majorem inde, etc. » Nota enim res est *inde* cum *in* ex compendio permutari (cf. Spalding, ad Quintil. Institt. Oratt. procem. § 4). In verbis autem, « qui contra dicturus est », Lucullus Ciceronem innuit. Cf. infra c. 19, tot. Nam etiam pridie, i. e. in *Catulo*, suas sibi partes sumpserat Cicero, vid. Introduct. (part. I), atque tum constitutum erat, ut ipse Lucullo responderet. Cf. infra. G.

3. *Libertatem et licentiam*. Sane

rum putem de abditis rebus, et obscuris, qui lucem eripere conetur[4]? Sed id disputari poterat[5] subtiliter, quanto quasi artificio natura fabricata esset primum animal omne; deinde hominem maxime; quæ vis esset in sensibus; quemadmodum primo visa nos pellerent[6]; deinde appetitio ab his pulsa sequeretur; tum ut sensus ad res percipiendas intenderemus. Mens enim ipsa, quæ sensuum fons est, atque etiam ipsa

vv. *et licentiam* glossematis interpolati speciem referunt. Qui enim hæc opposita copula junguntur? Lucullus urbane *libertatem* posuisse putari possit, ne graviore, *licentia*, uteretur. Tamen equidem vulgatam veram judico. Nam Lucullus primo per totum librum fortius loquitur; deinde *et* nonnumquam quasi in correctione dicitur, ut *vel potius* notet. G.

4. *Qui lucem eripere conetur.* Recte hæc defendit Ern. Passeratio aliisque oppositionem ex vitio mancam putantibus. Conjecit igitur hic « in rebus clarissimis »; Hülsem. contra, ante « conetur », « claris » addidit. Utrumque h. l. nihil est. Sensus est, « qui ea eripere conetur, quæ claritate sua lucem æquant ». Ceterum etiam h. l. monendum, auctorem Platonis, atque etiam Homeri exemplo, comparata cum comparandis eleganter quasi confundere. Cf. Senect. 2, 5; ibid. 11, 36, 19, 70, 71, etc. G.

5. *Sed id disputari poterat.* Gœrenz dat: « sed disp. p. » Meorum quoque duo, inquit, *si*, post *Sed*, cum Davisii pluribus, addunt, prout edd. vett. nonnullæ, in quibus est Ven. 1494. Inde jejune Davis. *id* elicit. Sed *si* inculcari a scribis, docuimus ad Legg. II, 19, 47. Hoc autem loco ex compendio vocis *scilicet* natam putamus, quod in *si*, et *se*, depravari solet. At vel hæc vox h. l. aperte scribis debebitur, nisi *sed* delebis, quod sine justa causa feceris.

6. *Primo visa nos pellerent.* Recte sic primus Lamb. licet scripti omnes, nostri etiam, et vetus editi *prima* exhibeant. Sed si idem ille non *nos*, sed *eos* conjicit, in eo nihil dicit. Nam visa *pellunt*, et sensuum instrumenta, et animum, igitur nos totos. Ceterum similitudinem verbi fidibus esse desumptam, quæ proprie *pelli*, pro *impelli*, dicuntur, cuique notum esse debet, cf. Drakenb. ad Liv. III, 30, 4, et Bremi de Fato, 19, p. 75. G. — *Primo visa... deinde appetitio... tum*, etc. Hic minus videtur ordo, quem sequuntur Stoici, servatus esse; quem servabit ipse infra, quo in loco *visum* primum ponit, deinde *assensum*, postremo *appetitionem*. Et sic Alexander Aphrodis. cui non minus videntur Stoicorum, quam Aristotelis fuisse decreta cognita, lib. I, *de animo*: ἕπεται μὲν οὖν τῇ φαντασίᾳ συγκατάθεσις, ὥσπερ οὖν καὶ τῇ συγκαταθέσει ὁρμή. Sed Plutarchus in Colotem eumdem ordinem posuit cum Cicerone: τριῶν περὶ ψυχὴν κινημάτων ὄντων, φανταστικοῦ, καὶ ὁρμητικοῦ, καὶ συγκαταθετικοῦ. Quæ postea hoc eodem ordine omnia persequitur, quod ita conjuncte fiant posteriores hi duo motus, *assensus* et *appetitio* ut ratione quadam magis, quam tempore distinguantur. P. Faber.

sensus est[7], naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus movetur. Itaque alia visa sic arripit, ut his statim utatur; aliqua recondit[8]; e quibus memoria oritur[9]. Cetera autem similitudinibus constituit[10]: ex quibus efficiuntur notitiæ rerum; quas Græci tum[11] ἐννοίας, tum προλήψεις vocant. Eo quum accessit ratio, argumentique conclusio[12], rerum-

7. *Atque etiam ipsa sensus est.* Frustra tentat Ern. *ipse :* de sensu enim, qui interior vocatur § 20. *Atque etiam* pro *vel adeo etiam* dicitur. G.

8. *Aliqua recondit.* Davis. et Ern. suadent *alia :* sed hi meram glossam pro vera voce venditant. Plus enim, quam quinquaginta e Cicerone loca collegimus, in quibus *aliquis* vel simpliciter pro *alius*, vel pro *alius aliquis*, ponitur. Sed dudum hoc abunde docuit Brem. ad de Fato c. 14, p. 56, et ad Fin. II, 19. Ante *recondit* scripti, ni fallor, omnes *sic* addunt. Quam part. facile, P. Manutii suasu, in *sibi* mutari posse, non nego; sic enim dicitur « sibi suscipere, sibi desiderare » : æque bene etiam P. Faber *quasi* legendum commendat : sed h. l. remansisse in scribæ auribus part. illa ex præcedd. videtur, ut et in plane multis codicum locis observare licet, et infra § 83, in *ita* idem exemplum recurrit. G.

9. *E quibus memoria oritur.* Quod ex reconditis illis *visis* memoriam oriri dicit, idem pæne eisdem verbis docet Alexander Aphrodis. De illo *viso*, et quasi *nota impressa*, quæ in animo relinquitur, τύπωσιν supra Stoicos appellare diximus. Et sic Plutarchus apud Stoicos ait, μνήμας εἶναι μονίμους, καὶ σχετικὰς τυπώσεις. Faber.

10. *Similitudinibus constituit.* Non inepta est lectio codd. meorum omnium, *construit;* cujus loco Lamb. *constituit* reposuit. Sic enim *pecunia construitur* Agrar. I, 5, 14, et similia. At vero quum toties illud, ex compendio, in hoc mutatum reperiatur; quumque *constituere*, i. e. *componere*, cum simili loco Off. I, 4, 3, ubi de eadem re, *similitudines comparat*, rectius conveniat; hæc etiam verba alibi junctim ponantur : vulgata vera judicanda est. G. — *Similitudinibus constituit.* An inductionibus, i. e. ἐπαγωγαῖς? Ex singularibus *similibus*, generalia colligit ; hic olor est albus; ille etiam albus est; et alius hic albus; ergo omnis olor albus. Hæc inductio est ex partibus similibus, totum quodammodo constituens, quod ἔννοια, et πρόληψις Stoicis (de quibus vide not. seq.). Vid. Plut. de Placit. lib. IV, 11. Guyetus.

11. *Tum* ἐννοίας, tum προλήψεις. Gœrenz dat : *Quum* ἐν. *tum* πρ. consentientibus tribus suis. Neque sine causa, inquit, quum ἔννοια, communis vox, πρόληψιν et κατάληψιν complectatur; lex autem certa sit, hac in relatione *quum.... tum* ponendum esse. De προλήψεσι vide ad Legg. I, 9, 26. — Ἔννοια est mera notio, seu notitia; πρόληψις est anticipatio, antecepta animo rei quædam informatio, prænotio, præsumptio. Vid. Topic. c. 7, Nat. Deor. I, 17; Tiedemann (*System der Stoischen Philos. Leipz.* 1776, 8, vol. I, p. 61, 70, 127, 92, 161). H.

12. *Ratio, argumentique conclusio.*

que[13] innumerabilium multitudo, tum et perceptio eorum omnium apparet; et eadem ratio, perfecta his
31 gradibus, ad sapientiam pervenit[14]. Ad rerum igitur scientiam, vitæque constantiam aptissima quum sit mens hominis, amplectitur maxime cognitionem; et istam κατάληψιν, quam, ut dixi, verbum e verbo exprimentes, comprehensionem dicemus, quum ipsam per se[15] amat (nihil est enim[16] ei veritatis luce dulcius), tum etiam propter usum. Quocirca et sensibus utitur, et artes efficit, quasi sensus alteros; et usque eo philosophiam ipsam corroborat, ut virtutem efficiat[17], ex qua re una vita omnis apta sit.

Que explicative pro *id est* ponitur, ut sæpius. G.

13. *Rerumque. Rerum*, i. q. *notionum* dicitur. G.

14. *Ratio, perfecta.... pervenit.* Non sine magna probabilitate liceat hoc loco *profecta* legi. Nota enim illa auctori perfamiliaris constructio est, « si profectus a Thalete, ad Socratem veneris, etc. » Accedit, quod « ratio perfecta », non ad sapientiam pervenit, sed « ipsa sapientia est ». Atque si dubites, an « proficisci per gradus » dici possit, ponitur tropo etiam remotiore Fin. II, 14, 45: « ut profectus a caritate domesticorum.... serpat longius ». Et sane retinet hæc conjectura probabilitatem suam; idque magis, quum *profectus* et *perfectus* a scribis frequenter confundantur: sed necessitate nulla sustinetur. Stare enim *perfecta* recte potest, si non adject. sed participium cogitetur, hac sententia, « si ratio se his gradibus perfecit, eo loco est, quo sapientia ». Sic « ad summum honorem pervenire » dicitur. Virgula igitur ante *perfecta* distinximus. G.

15. *Ipsam per se.* Gud. *ipsa*, Erl. *ipse*, Wrat. vocem plane ignorat. Quod ne probes, meminisse oportet, amare Ciceronem hanc quasi abundantiam, ut, « ipse per se, ipse sua sponte », vel verso etiam verborum ordine, dicat. G.

16. *Nihil est enim.... dulcius.* Peccant plures codd. « nihil enim est », transponendo, et *dilucidius* pro *dulcius* scribendo. Offenderunt nempe librarii, quod *lux* dicatur *dulcis*. Haud ita multo post ideo Cic. « artes, quasi sensus alteros », appellat, quod utrumque sensum exacuunt, et sic excolunt, ut velut alius esse videatur. G.

17. *Ut virtutem efficiat, ex qua re una vita omnis apta sit.* Priora verba græcis respondent, ὥςε τὴν ἀρετὴν ἐξεργάζεσθαι. De verbo *efficere* vid. Ern. Clav. h. v. In his vero, quæ adduntur, haud recte Ern. et Wetzel *re* damnant, nedum Hülsem. probetur, qui idem ejecit. *Res* autem Cic. sæpe sic abundanter. Fin. II, 4, 13; cll. Legg. III, 4, 11. *Apta* denique non adj. est, sed participium. Tusc. V, 12, 36: « cui ex se ipso apta sunt omnia », i. e. *pendent*. Fat. 15, 34: « causa ex æternis causis apta ». Alibi

Ergo hi, qui negant quidquam posse comprehendi, hæc ipsa eripiunt vel instrumenta, vel ornamenta vitæ; vel potius etiam totam vitam [18] evertunt funditus, ipsumque animal orbant animo [19]: ut difficile sit de temeritate eorum, perinde ut causa postulat, dicere.

Nec vero satis constituere possum, quod sit eorum 32
consilium, aut quid velint. Interdum enim quum adhibemus ad eos orationem hujusmodi : Si ea, quæ disputentur, vera non sint [20], tum omnia fore incerta; respondent : Quid ergo istud ad nos? num nostra culpa est? naturam accusa, quæ in profundo veritatem, ut ait Democritus, penitus abstruserit [21]. Alii autem elegantius [22], qui etiam queruntur, quod eos

etiam nudus abl. additur. Legg. I, 21, 56 : « vita modica et apta virtute perfrui ». G.

18. *Vel potius etiam totam vitam.* Offendor in *potius*, quod rectius abfuerit, quum *vel etiam* toties, *vel adeo* notet; neque similis locus mihi innotescit. *Vitam* non habet Gud. et sane h. l. majore cum vi abfuerit. Malim igitur hæc ita legi, « vel etiam totam evertunt funditus ». G.

19. *Ipsumque animal orbant animo.* Nempe cogitandi judicandique vi, qua sola hic vivit vigetque. In *ipsumque* denique part. *que* efficaciam insignem, ut fere semper in tali gradatione, ipse senties, si intellexeris verba, « animal orbant animo », notare « animal in homine ita tollunt, ut ne nomen quidem restet ». Ludit enim auctor verbo. G.

20. *Si ea, quæ disputentur, vera non sint.* Gœrenz delet *non*. Miror, inquit, quod non dudum VV. DD. part. *non*, tot codd. improbatam (nostri etiam, cum Vin. et ψ. omnes respuunt), post *vera* sustulerint. Si enim vel parum attenderis, sponte patebit, verba, *quæ disputentur*, ad eos pertinere, qui ab Arcesilæ, Philonisque partibus starent, h. s. « Si vera sint hæc, posse, quæ in veris numerentur, etiam falsa esse ». Atque ita non poterit, quin hujus particulæ pravitas et suapte sponte, et ex contextu eorum, quæ proxime sequuntur, apertissime illuceat.

21. *Naturam accusa, quæ... abstruserit.* *Quæ* est *quum ea* v. *quippe quæ*, ut sæpissime. Nihil ergo dicit Ern. quum legi *abstrusit* jubet. G. — Respicit ad illud : ἐν βυθῷ εἶναι ἀλήθειαν. Vid. Diog. Laert. l. IX, s. 72; Lactant. Epit. c. 40, et Institt. div. III, c. 28, 13, c. 30, 6. H. — Vide quæ ad Academ. I, 12, 44, de hoc a nobis notata sunt.

22. *Alii autem elegantius.* Wetzel *elegantius* explicat *subtilius* : sed dubito, an vocis vim plene perceperit. Sensus est, « illi directe, et aperte respondent. Alii contra argutius, et

insimulemus omnia incerta dicere[23], quantumque intersit inter incertum, et id, quod percipi non possit, docere conantur, eaque distinguere[24]. Cum his igitur agamus, qui hæc distinguunt; illos, qui omnia sic incerta dicunt, ut, stellarum numerus par, an impar sit[25], quasi desperatos aliquos[26] relinquamus. Volunt enim (et hoc quidem vel maxime animadvertebam vos moveri), probabile aliquid esse, et quasi verisimile; eaque se uti regula[27] et in agenda vita, et in quærendo ac disserendo.

33 XI. Quæ ista regula est[1], si notionem veri et falsi, propterea quod ea non possunt internosci, nullam habemus? Nam, si habemus[2], interesse oportet, ut

quasi facetius, faciunt, quum conqueruntur, etc. » G.

23. *Quod eos insimulemus... dicere.* In quibus ne hæreas, mos auctoris tenendus, quo pronomen, repetite ponendum, in facili contextu omittitur. Nat. Deor. I, 39, 109. G.

24. *Docere conantur, eaque distinguere.* Dubitabat auctor de *docere* perspicue posito, addiditque hæc in explicationem, idque positu ipsi haud infrequenti. Cf. Tusc. I, 13, 30: « quod eum, quem dileximus, vitæ commodis privatum arbitramur, idque sentire » G.

25. *Par, an impar sit.* Ignorant etiam ex nostris Gud. fr. cod. Wrat. glossema *nesciatur,* quod in aliis codd. his assuitur, quodque primus recte delevit Davisius : *ut* enim idem est, quod *verbi causa.* G. — Olivetus dat *nescitur.* P. Faber defendit *nesciatur,* dicitque hoc verbum, ut Priscianus vocat, potentiale recte positum pro « sciri non potest ». Ceterum, addit, quasi proverbium hoc valde tritum apud græcos dicebatur de his rebus, quæ sunt a cognitione nostra ac scientia remotissimæ : sic Dei contra proprium esse in psalmo, ut stellarum et nomina et numerum sciat. — Sæpius hoc exemplo utitur Sextus, ad rem obscuram, et incertam designandam, quum *stellarum micantium* numerum inire nemo possit; vid. Pyrrh. Hyp. lib. I, s. 77; II, s. 90, p. 87, Fabric. HULS.

26. *Aliquos.* Ad græci τινὲς exemplum. G.

27. *Eaque se uti regula.* Καὶ τούτῳ αὐτοὺς χρῆσθαι κριτηρίῳ. Scribæ in his scioli peccant, « eamque sequuti regulam », ut e nostris Gud. et Dr. Vulgatam fr. cod. et, ut videtur, Vien. recte tuentur. G.

XI. 1. *Quæ ista regula est.* Gud. cum Lamb. « quæ est ista regula », i. e. « qualis est i. r. » Per se quidem haud male; et ad græcum dicendi morem accommodatius. Sed aptata videtur hæc verborum collocatio ad glossema, « veri et falsi », quod codd. omnes contaminat, recte sublatum a Lambino; male a Durando in *verisimilis* mutatum. G.

2. *Nam, si habemus... regula est;*

inter rectum et pravum, sic inter verum et falsum. Si nihil interest, nulla regula est; nec potest is, cui est visio veri falsique communis, ullum habere judicium, aut ullam omnino[3] veritatis notam. Nam, quum dicunt, hoc se unum tollere[4], ut quidquam possit ita videri[5], ut non eodem modo falsum etiam possit videri, cetera autem concedere: faciunt pueriliter. Quo enim omnia judicantur, sublato, reliqua se negant tollere: ut, si quis quem oculis privaverit, dicat, ea, quæ cerni possent, non se ei ademisse[6]. Ut enim illa oculis modo cognoscuntur[7], sic reliqua visis; sed propria veri, non communi veri et falsi nota. Quamobrem, sive tu probabilem[8] visionem,

nec potest. Inter *nam* et *si habemus* virgulam sustulit Gœr. et ante *Nec potest*, colon cum interpunctione maxima commutavit, quippe quibus verbis nova ratio addatur. — *Nec* autem transeuntis est. G.

3. *Aut ullam omnino.* Erl. *ullam* omittit, facile ex proximis intelligendum. Sed efficacius repetitum additur. G.

4. *Tollere.* In hoc verbo græca ratio imitata est, qua a Platone inde αἴρειν philosophis pro *negare* ponitur. Ut hoc autem verbum, ita reliqua, « relinquere, ponere, reponere », ἀπολείπειν, τιθέναι, ἀνατιθέναι, ex eadem imitatione, proprio usu ex aleæ ludo originem traxere. G.

5. *Possit ita videri.* Gœrenz delet *ita*. Recte, inquit, hanc particulam, ex præcedente contextu, scribæ adhuc auribus insidentem (ut supra § 30, de *sic* monuimus), primus expulit Lambinus.

6. *Non se ei ademisse.* Fr. cod. Erl. et edd. quædam vett. « se et non adem. » G.

7. *Cognoscuntur.* Dr. et ψ. *agnoscuntur.* Quod plane nihil est. G.

8. *Sive tu probabilem visionem, sive probabilem, et quæ n. impediatur.* P. Faber primus fuit, qui huic loco lucem suam reddidit, collato Sext. Emp. adv. Math. VII, 166, ubi docetur, Carneadem, ad κριτήριον illud Stoicorum tollendum, coactum fuisse, ut ipse aliud aliquod poneret. Posuisse igitur, τὴν πιθανὴν φαντασίαν, καὶ τὴν πιθανὴν ἅμα καὶ ἀπερίσπαστον, καὶ διεξωδευμένην. Quæ ipsa deinceps accuratius enarrantur. Cf. idem Pyrrh. I, 228, ubi paullo aliter hæc efferuntur; ibique Fabricius. Ex quo loco primum hoc citra omnem dubitationem ponitur, lectionem codd. omnium, *sive improbabilem*, vitiosam esse, et jure correctam. Deinde indicasse communi notione Ciceronem, « quæ non impediatur », distincte in græcis posita ἀπερίσπαστον καὶ διεξωδευμένην. Eadem autem ipse inf. § 35, accuratius secrevit. G. — Τὸ *probabilem* pro *improbabilem* probat quoque et in textum admittit J. V. *Leclerc* post

sive probabilem, et quæ non impediatur, ut Carneades volebat, sive aliud quid proferes, quod sequare : ad visum illud, de quo agimus, tibi erit re-
34 vertendum. In eo autem, si erit communitas cum falso, nullum erit judicium, quia proprium in communi signo notari non potest[9]. Sin autem commune nihil erit, habeo, quod volo; id enim quæro, quod ita mihi videatur verum, ut non possit idem falsum videri. Simili in errore versantur, quum convicti, ac vi veritatis coacti[10], perspicua a perceptis volunt distinguere, et conantur ostendere, esse aliquid per-

Castillon, et vertit : « Qu'on prenne pour guide ou la perception probable, ou celle qui est non seulement probable, mais encore non embarrassée, ect. »

9. *Quia proprium in communi signo notari non potest.* Cogites græca v. c. hæc ὅτι ἀδύνατον, τὸ ἴδιον σημαίνεσθαι κοινῷ ἐν σημείῳ. Opposita enim sibi sunt, *proprium* (vel veri, vel falsi), quod non commune est, et *commune* (veri et falsi), quod non est proprium. Ne vero *in* sollicites, quam Hülsem. delevit, quæ ipsa græco more ponitur, et, licet sæpe tentata, tamen ab auctore haud parum frequentatur. Vid. Cluent. 8, 38, coll. Catil. II, 6, 13; 8, 18, 9, 20; Verr. IV, 47, 158. G.

10. *Quum convicti, ac vi veritatis coacti.* Schützius dat « quum vi veritatis coacti », omissis « convicti et ». Gœrenz : « Quum judicio veritatis coacti ». Turbant scribæ, inquit, hoc in loco : quid mirum ? quum VV. DD. eum non ceperint. Vulgatur « convicti ac vi veritatis coacti », et quidem ὑςέρῳ προτέρῳ vere Homerico; sed (id quod probe notandum), neutiquam Ciceroniano. Consarcinata nempe est hæc lectio, Victorio auctore, ex scriptis nonnullis qui *convicti* v. *conjuncti ac*, præbent, in quibus est Erl. idque sine *vi*, quæ proprio ausu addita est. Sed scribas loco succurrere voluisse, testantur MSS V. qui *conjuncti judicio* (pro *convicti*) et ψ. qui loco *coacti*, *convicti* ponit. Reliqui et nostri et aliorum, in lectione consentiunt, quam nos cum Lambino et Durando, exprimi jussimus. *Judicium* autem *veritatis* est *verum judicium*; idque clare intelligitur ex Acadd. I, 8, 30. Ita sensus est : « Simili ratione secum pugnant, quum, illa judicandi norma (κριτηρίῳ), quæ unice vera est, coacti, perceptis (Stoicorum κριτήριον ad καταληπτὰ, illud Carneadis ad πιθανὰ pertinebat), perspicua opponendo, ipsi id agant, ut, esse perspicuum, docere nitantur; hi nempe, qui de omnibus, etiam falsa esse posse, statuerent ». Conf. Sext. Emp. VII, 166 : Ταῦτα μὲν γὰρ ἀντιπαρεξάγων ὁ Καρνεάδης, εἰς τὴν ἀνυπαρξίαν τοῦ κριτηρίου διεξήρχετο. Ἀπαιτούμενος δὲ καὶ αὐτός τι κριτήριον... ἀπαναγκάζεται καὶ καθ' αὑτὸν περὶ τούτου διατάττεσθαι, προςλαμβάνων τὴν πιθανὴν φαντασίαν, etc. Pæne hæc e Cicerone expressa dixeris. Simulque etiam, ad quem ista pertineant, claris verbis ostenditur.

spicui; verum illud quidem impressum in animo at-
que mente, neque tamen id percipi ac comprehendi
posse[11]. Quo enim modo perspicue dixeris album
esse aliquid, quum possit accidere, ut id, quod ni-
grum sit, album esse videatur? aut quo modo ista aut
perspicua dicemus, aut menti impressa[12] subtiliter,
quum sit incertum, vere[13], inaniterve moveatur? Ita
neque color[14], neque corpus, nec veritas, nec argu-
mentum, nec sensus, neque perspicuum ullum re-
linquitur. Ex hoc illud his usu venire solet, ut, quid- 35
quid dixerint, a quibusdam interrogentur: Ergo istuc
quidem percipis[15]? Sed qui ita interrogant, ab his ir-
ridentur[16]. Non enim urgent, ut coarguant, neminem
ulla de re posse contendere, neque asseverare, sine

11. *Neque tamen .... posse.* Sicut videmus nivem albam esse, non autem percipimus quomodo alba nobis videatur. Hanc esse puto Academicorum sententiam. DURANDUS.

12. *Menti impressa subtiliter. Menti impressa* pertinet ad Stoicam τοῦ καταληπτοῦ definitionem, vid. supra § 18. Ad *subtiliter* recte Guyetus κατὰ λεπτὸν v. ἀκριβῶς comparat. G.

13. *Vere, inaniterve moveatur?* Ad quæ recte coercet Davisium Ern. qui v. *animus* addi voluerat. Sed quum idem Ern. contexta altius repetit, et e verbis « impressum in animo atque mente » eamdem vocem intelligi jubet, non sane equidem video, cur non ex proximo *menti*, *mens*, ut sæpissime, cogitetur; vel omissum potius pron. sit *ea*, ut ubique observari licet. Tamen v. *animus* textis adjecit Hülsem. *Inaniter* autem *movetur* mens, si, quæ cogitat, veritate destituuntur. Cf. Nat. Deor. I, 38, 105; cll. infra 15, 47; et Tusc. IV, 6, 13. Addendum denique est, *mentem* et *animum*, si junctim dicuntur, illa *cogitandi*, hoc *appetendi vim* notari, separatim positis, utrique utramque fere vim tribui. G.

14. *Ita neque color... relinquitur.* Primo intuitu confuse hæcce poni videntur: sed bene et ex ordine sunt posita. Si enim « colores et corpora » non sunt, nulla est rerum, in sensus cadentium, *veritas*. Quæ nisi est, nullum est disputandi *argumentum*, quod aliquo fundamento nitatur: argumenta enim vero quærendo capiuntur. Tum nec Stoicis veri judicium in *sensibus*, nec Carneadi in πιθανῷ ponere licebit. G.

15. *Ergo istuc quidem percipis.* Mavult Rath. « Ergo istud quidem percipitis ». Sed melius cogitatur ex vulgata quisque ex singulis his Academicis, cum quo maxime res sit. G.

16. *Sed qui ita interrogant, ab his irridentur.* Gud. Dr. ignorant *ita*. Et sane ferri possit. At equidem, quum interrogationis verba expresse addantur, vulgatam veram judico. G.

aliqua ejus rei, quam sibi quisque placere[17] dicit, certa et propria nota. Quod est igitur[18] istuc vestrum probabile? Nam si, quod cuique occurrit, et primo quasi adspectu probabile videtur, id confirmatur, quid eo levius? Sin ex circumspectione aliqua et accurata consideratione, quod visum sit, id se dicent
36 sequi; tamen exitum non habebunt[19]. Primum[20] quia
his visis, inter quæ nihil interest, æqualiter omnibus abrogatur fides[21]; deinde, quum dicant posse accidere sapienti, ut, quum omnia fecerit, diligentissimeque circumspexerit[22], exsistat aliquid, quod et verisimile[23] videatur, et absit longissime a vero[24]: quo

17. *Quam sibi quisque placere dicit. Que* deletam vult Ernestius, aut *quisquam* scribi. Sed sine justa causa. *Quisque* respondet præcedenti *nemo*, atque inde recte ponitur. Verbo *placere* denique simul ad Carneadeam veri regulam respicitur. G.

18. *Quod est igitur.* Pessime Davis. *Quid* correxit. *Quod* enim est *Qualenam;* ut *qui* extra interrogationem pro *qualis* ponitur. Cf. Orat. III, 24, 95. G.

19. *Exitum non habebunt.* Int. *minime se expedient.* Cf. Ern. Cl. v. *exitus*. G.

20. *Primum quia... deinde, quum.* Hæc prorsus male in vulgatis puncto maximo distinguuntur. Respondent enim *primum... deinde* ex asse Græcorum πρῶτον μὲν.... ἔπειτα δὲ, quæ haud raro simpliciter pro « non solum, sed etiam » valent. Exempla apud Cic. sunt frequentissima. Cf. Fin. I, 6, 20; ibid. 8, 26, 11, 39. G.

21. *Æqualiter... abrogatur fides.* Gud. cum aliis Davisii *erogatur:* unde Davis. *derogatur* conjicit. Atque ita sane, ne, ut ille, Celsi auctoritate nitaris, Cicero Quint. 23, 75, « fides ejus...ne perfidia Nævii derogetur ». Sed vulgata proprie dicitur. Ceterum Hülsem. *æquabiliter* edidit. Cujus mutatæ lectionis rationem nullam dispicere licet. G.

22. *Diligentissimeque circumspexerit. Que* explicativa est, et *circumspexerit* aptatum ad Carneadis criterium. G.

23. *Et veris....et long.* Duplex *et* pergit, pro *licet...tamen* posita. G.

24. *A vero: quo modo, si magna parte quidem* (*ut solent dicere*) *ad v. i. aut quam proxime acc. c. s. poterunt?* Gœrenz dat: « a vero. Sic magnam partem quidem (ut solent dicere) ad v. i. ut quam proxime acc., c. s. poterunt! » Multum, inquit, hæc a vulg. differunt; sed culpa non tam nostra est, quam virorum doctorum. Nos solummodo *si* ultro in *sic* mutavimus; idque ipsum, ne *quo modo*, quod invitis plane codd. ingestum est, has precarias vices diutius obtineret: reliqua scripti vel omnes, vel plerique omnes exigunt. In *sic* autem non temere consuluisse loco putamus; quippe quæ part. toties apud auctorem ex prægressis colligat et conclu-

modo, si magna parte quidem (ut solent dicere) ad verum ipsum, aut quam proxime accedant, confidere sibi poterunt? Ut enim confidant, notum his esse debebit insigne veri [25]. Quo obscuro et oppresso [26], quod tandem verum sibi videbuntur attingere? Quid autem tam absurde [27] dici potest, quam quum ita loquuntur: Est hoc quidem rei illius signum, aut argumentum, et ea re id sequor; sed fieri potest, ut id, quod significatur, aut falsum sit, aut nihil sit omnino.

XII. Sed de perceptione hactenus. Si quis enim ea, quæ dicta sunt, labefactare volet, facile, etiam absentibus nobis [1], veritas se ipsa defendet.

dat. Cf. Legg. I, 11, 31, et ibid. 18, 48. Hanc autem particulam tum, *his convenienter*, notare, contexta ipsa loquuntur. In reliquis mutatis, *magnam partem* (pro *quoad m. p.*) ex omnibus omnino scriptis, idque ex pæne perpetuo auctoris more, *ut* autem pro *aut* ex omnibus Davisianis, 4 nostris et ψ. dedimus. *Aut* correxere VV. DD. quum non viderent, quo verba *magnam partem* pertinerent. Ceterum hæc, his in contextis, per ironiam accipienda esse, sua sponte intelligitur. Sensus hic est: « . . . tamen se non expedient: idque non solum ideo, quod visa, quæ distingui non possunt, cuncta pariter omni fide privantur; sed etiam quoniam isti statuunt, possè hoc evenire sapienti, ut, vel omni opera et diligentia adhibita, tamen visum ei se offerat, quod verisimile sit, quamvis a vero sit remotissimum. Ita scilicet isti recte sperare poterunt, ut certe quoad magnam rerum cognoscendarum partem (prout dicere solent), quam proxime ad verum accedant »! *Quidem*, ut sæpe, *certe*, *saltem* notat.

25. *Insigne veri* nihil est nisi κριτήριον, *quo verum insigniatur*, opponiturque *obscuro*, quale dicit Academicorum, nominatim Carneadis. G.

26. *Quo obscuro et oppresso*. Lamb. *obscurato* correxit, prout fecit Davisius. Durand. conjecit *obducto aut*. Gœr. pro *et* ponit *atque*, quod Erl. fr. cod. editioque Wolfgangi vetus s. a. præbent, quodque pro *atque adeo* poni putat, hoc sensu, « quo aut per se obscuro, aut consulto obscurato ». *Opprímitur* enim verum, si data opera tenebris involvitur. Accusabantur nempe Academici, tamquam rebus, clara luce positis, tenebras obducerent. Cf. § 30.

27. *Absurde*. Servant tres optimi mei *absurde*, quod scribæ in *obscure* et *obscurum* mutarunt, ut antecedenti *obscuro* accommodaretur. G.

XII. 1. *Etiam absentibus nobis*. Sc. qui veritatem defendendam suscepimus. Hæc si VV. DD. cogitatione addidissent, non sane hærerent. Translata hæc sunt de foro et causarum patrono. Præpropere igitur fecisse Hulsem. putandus est, qui, quod

37 His satis cognitis, quæ jam explicata sunt[2], nunc de assensione atque approbatione, quam Græci συγκατάθεσιν vocant[3], pauca dicemus : non quo non latus locus[4] sit; sed paullo ante jacta sunt fundamenta. Nam quum vim[5], quæ esset in sensibus, explicabamus; simul illud aperiebatur[6], comprehendi multa, et percipi sensibus; quod fieri sine assensione non potest. Deinde quum inter inanimum[7] et animal hoc

suadebant Walkerus et Davis. *tacentibus* correxit. G. — Elegantissima hæc est v. *abesse* tralatio, quod proprie ad res forenses pertinet, causæque alicujus patrocinationem subterfugere significat. Hinc eadem in oppositione cum verbo *defendere* occurrit. Orat. pro Sulla, cap. 5. — *Se ipsa.* Variant scripti, ut assolent, *se ipsam* : sed *ipsa* est, « sua sponte, sine causæ patrono ». G.

2. *His satis cognitis, quæ jam explicata sunt.* Festinantius judicasse Ern. videtur, quum part. *satis* rectius ad *explicata* poni statueret. *Cognitis* enim hoc loco ex usu fori positum est. Quis enim vim formulæ *causam cognoscere*, si ad judicem refertur, ignorat, ex qua ipse *cognitor* appellatur? Inde verbum *cognoscere*, hanc inquirendi in rem quamcumque, eamque examinandi vim accepit, cf. Mencken. Obss. h. v. Est igitur, « His satis cognitis », nihil aliud, quam, « his satis dijudicatis ». G.

3. *Quam Græci συγκατάθεσιν vocant.* Vide Excursum II.

4. *Latus locus* de *late patente* dicitur, hoc sensu : « non tamquam parum sit, quod de re disseri queat; sed in præcedentibus plura nobis præmunivimus, ut nunc brevioribus esse liceat. G.

5. *Nam quum vim, quæ esset in sensibus, expl.* Cf. § 30 : « quæ vis esset in sensibus, etc. » At tot scripti *vim* ignorant! nam præter 6 Davisii, nescit idem Dr. et ψ. Sed Gud. cum aliis Davisii etiam *quæ* ignorat : et quis nescit, quam sæpe post *quum*, et omnino post syll. *um*, *vim* exciderit? Ita sæpe hoc codices tractanti animadvertitur, ut nihil plane in eo hærendum sit. Nihil igitur fecit Hülsem. quum, Grutero præsule, *vi* deleto « quum quæ essent », scriberet. Atque sane minus se ille sequacem præbuisset, si videret, sic etiam *inesset* scribendum fuisse. Nam *esse in re* semper et ubique auctori, « locum habere in re », notat. Si vero correctionem ejus hoc sensu acceperis, facile, quam nulla sit, videbis; nam sensus esse debebit, « quæ natura esset sensuum ». Reliqui scripti mei cum Vien. vulgatam confirmant. G.

6. *Aperiebatur.* Aperire i. q. docendo enarrare. Fin. II, 6, 18 : « Aperiendum est igitur, quid sit voluptas ». G.

7. *Deinde quum inter inanimum.* In his non offendes, quod *primum* non præcedit : sæpe enim auctori, ut *primum* sine *deinde*, ita versa vice ponitur. Cf. Suart. ad Tursell. p. 178; Matthiæ Misc. Philol. vol. II, P. 1, p. 98, et multis aliis locis; cll. infra § 45. Quod deinde codd. *animum*

maxime intersit, quod inanimum nihil agit[8], animal agit aliquid (nihil enim agens ne cogitari quidem potest quale sit): aut ei sensus adimendus est; aut ea, quæ est in nostra potestate sita[9], reddenda[10] assensio. At vero animus quodam modo eripitur his, quos ne- 38
que sentire, neque assentiri volunt. Ut enim necesse est, lancem in libra, ponderibus impositis, deprimi; sic animum perspicuis cedere. Nam, quo modo non potest animal ullum[11] non appetere id, quod accom-

peccant, id ne mireris, quum alibi, si opposita clarius vident, *inanimatum* sua sponte corrigant. G.

8. *Inanimum nihil agit.* Gœrenz hæc verba expunxit, quæ plures scripti ignorant. Suspicatus Davisius erat, videri ea ab librariis addita, quo plenior fieret oratio. Recte. Nam amant, partim auctor has oppositiones, ad intelligendum faciles, coarctatas ponere, partim scribæ easdem supplere. Cf. Senect. 14, 47, ubi vv. *quam frui* tres mei omittunt: Orat. III, 1, 26, ubi vv. *et tamen verum*, a scribis addita sunt. Cf. Off. II, 3, 12, ibique Heus. Quis autem h. l. non facillime ista suppleverit, quum de hoc frequenti auctoris more cognorit? Quid? si ea admiseris, nonne, quæ in parenthesi sequuntur, coactius addita erunt? quum *nihil agens* ex regula ad utrumque referenda forent, quæ solum *animal* spectant. G.

9. *Quæ est in nostra potestate sita.* Ita Gud. Erl. Dr. et Vien. quum vulgetur transpositis verbis, *sita potestate*. Bene reprimit Durand. Walkerum, qui, « quæ non est in nostra potestate », scribit: quod nuper recoqui non debebat. G.

10. *Reddenda assensio. Reddere* autem auctor dixit, ut verbo *adimere* opponeretur. Ejus loco scripti multi *credenda*, quibus accedunt Dresd. Wrat. ψ. Unde conjecere VV. DD. *prodenda*, *cedenda*, etc. Omnium pessime Hülsem. *credenda* edidit. *Reddere* est h. l. « non adimere, sed concedere ». Ut sæpius auctor, « vitam reddidisti », i. e. « non ademisti quum posses, sed servasti ». Atque sæpe hæc verba sibi opponuntur, v. c. Philipp. IX, 5, 10, « reddite ei vitam, cui ademistis, etc. » G.

11. *Non potest animal ullum.* Plures omittunt scripti, et in his duo mei, *non* priorem. Sic scilicet solent, vide supra ad § 27, optima enim est constructio « quomodo non potest non.... sic non potest non »: quam si turbaris, membrorum parilitas peribit. Quare non probe Hülsem. eamdem part. abjecit: sed ille et in hac delenda, et in ratione, quam addit, et in *ullum*, quod simul expulit, totus nescit, quid sibi velit. Nam, *non* illa ejecta, qua ratione locus ferri potest, nisi *quomodo* interrogantis putes? quod ille fieri vetat, nec fieri recte licet. Quod autem Davis. *ullum*, scriptis editisque vett. omnibus firmatum et cum pondere additum, non habet, id operarum vitio tribuendum videtur. G.

modatum ad naturam appareat (Græci id οἰκεῖον[12] appellant), sic non potest objectam rem perspicuam non approbare. Quamquam, si illa, de quibus disputatum est, vera sunt, nihil attinet de assensione omnino loqui[13]. Qui enim quid percipit, assentitur statim. Sed hæc etiam[14] sequuntur, nec memoriam sine assensione posse constare, nec notitias rerum, nec artes; idque quod maximum est, ut sit aliquid in nostra potestate, in eo, qui rei nulli assentietur, non
39 erit. Ubi igitur virtus[15], si nihil situm est in ipsis nobis[16]? Maxime autem absurdum[17], vitia in ipsorum

12. Οἰκεῖον, quod naturæ accommodatum est. De quo disputavere Brucker. l. c. t. I, p. 953-967, et Tiedemann l. c. t. III, p. 79. Nam in vita humana omnis actio spectat ad finem, cujus causa agimus. Naturæ convenienter vivere, Stoici finem bonorum statuebant; v. Stobæi ecl. phys. l. II, 7, p. m. 94, ed. Heeren. Diog. Laert. VII, 1, 59. H.

13. *Nihil attinet de assensione omnino loqui.* Primo variant scripti in *attinet.* Gud. Dr. ψ. *attingens*, Wrat. *attinges :* sed solent multifariam peccare librarii hoc in verbo. Sic « nihil attinet dicere, disputare, nuntiare », et talia multa auctor, neque umquam quid addit. Deinde variant pro *omnino* Gud. *omnium*, fr. cod. Vien. et ψ. *omni*, quod unice verum judico. Nam *omnis* sæpe auctori *omnino*, vel *omnis generis* dicitur. Fin. I, 19, 64 : « id omne oritur a sensibus, qui si omnes veri sunt ». Nihil ibi dicit Ern. qui *omnes* deleri jubet cll. Off. I, 25, 5; ibid. 24, 1; II, 21, 11, etc.

14. *Sed hæc etiam seq.* Pergit his nova ratio : male igitur colo distinguebatur, ubi distinctionem maximam posuimus. *Sed* autem transeundi particulam esse, et cum ellipsi poni, constat. *Etiam* est *insuper.* Male deinde Dr. et ψ. *insequuntur : in* adhæsit ex præced. *m.* Ex eadem causa est, quod nuper Wolfius Tusc. II, 4, 10, *inductus* verissime in *ductus* mutavit. G.

15. *Ubi igitur virtus.* Præclare hæc disputat Lucullus. Nam ex Stoicorum sapiente disciplina « fons veræ felicitatis » in sola *virtute* scaturit; et ille fons est in nobismet ipsis a natura insitus. Vid. Senec. ep. 74 et 76, cum Epicteti Enchiridio, c. 1, 2 et 38, ed. Heyn. alt. Zwanziger, pag. 32; Cic. de Orat. II, 4. H.

16. *Si nihil situm est in ipsis nobis.* I. e. « si, quod verum, rectum, bonum est, ex eo, quod his firmiter assentiri non liceat, in nostra potestate non est ». G.

17. *Maxime autem absurdum.... approbavit.* Hæc, ut sæpe in oratione commotiore, paullo conturbatius pergunt, hoc sensu : « Id autem absurdum est maxime, si vitia in sua potestate esse dicunt; quum tamen nemo peccet, nisi assensus peccato fuerit : sique non idem in virtute locum habere statuunt, quum tamen omnis ejus

esse potestate, neque peccare quemquam[18], nisi assensione; hoc idem in virtute non esse; cujus omnis constantia et firmitas ex his rebus constat, quibus assensa est, et quas approbavit: omninoque ante videri aliquid, quam agamus, necesse est; eique, quod visum sit, assentiamur[19]. Quare qui aut visum, aut assensum tollit, is omnem actionem[20] tollit e vita.

XIII. Nunc ea videamus, quæ contra ab his disputari solent. Sed prius potestis totius eorum rationis quasi fundamenta cognoscere[1]. Componunt igitur primum artem quamdam de his, quæ visa dicimus, eorumque et vim, et genera definiunt: in his, quale sit id, quod percipi et comprehendi possit; totidem verbis, quot stoici[2]. Deinde illa exponunt duo, quæ quasi contineant omnem hanc quæstionem: quæ ita videantur, ut etiam alia eodem modo[3] videri possint,

constantia in iis modo posita sit, quibus assensum (virtus) addixit, quæque approbatione digna judicavit». G.

18. *Peccare quemquam.* Plures scripti « peccare quidquam »; sed vulgata vera est. G.

19. *Omninoque.... assentiamur.* *Que* collectivo h. l. sensu dictum est. *Necesse est* et ad *agamus* pertinet, et ad *assentiamur.* Ita æque male vulgo ante *eique* colo interpungitur, atque recte *assentiamur* emendatum est, cujus loco multi scripti *assentiatur* peccant. Crat. receptam tuetur, nec aliter cod. reg. apud Alemannum. Haud male tamen suadet Lamb. *assentiri.* Cf. Tusc. I, 13, 30. Sed scripti non addicunt. Vide infra § 58. G.—Faber, qui legebat *assentiatur*, observat: conjecturam Lambini *assentiri* probabilem efficit ordo rerum qui sequitur: « qui aut visum aut assensum tollit, is omnem actionem tollit ». Sed hunc ordinem non magis illi hic servare necesse fuit, quam fuerat supra in illis: « quemadmodum prima visa nos pellerent; deinde appetitio ab his pulsa sequeretur; tum ut sensus ad res percipiendas intenderemus ». Itaque non muto.

20. *Actionem.* *Actio* pro « recta agendi ratione » dicitur. G.

XIII. 1. *Potestis... cogn.* Pro *licet cogn.* Sic *possum persequi*, et talia multa. Sine jure igitur in verbo finito hæsit Gruterus. G.

2. *Totidem verbis, quot Stoici.* Accipiebant hæc a Stoicis, ut reliqua eorum eo facilius prehenderent, et exagitarent. Cf. de Carneadis ratione Sext. Emp. VII, 167, qui locus cum his, quæ sequuntur, totus est conferendus; ibi enim ista plenius tractantur. G.

3. *Ut etiam alia eodem modo vid.* Addebatur olim post *alia*, *multa*, quod recte Davis. sustulit, quum ejus codd. non haberent. Neque quatuor

nec in his quidquam intersit, non posse eorum alia percipi, alia non percipi; nihil interesse autem, non modo si ex omni parte[4] ejusdem modi sint, sed etiam si discerni non possint. Quibus positis, unius argumenti conclusione tota ab his causa comprehenditur. Composita [autem] ea conclusio sic est[5]: « Eorum, quæ videntur, alia vera sunt, alia falsa; et quod falsum est[6], id percipi non potest: quod autem verum visum est, id omne tale est, ut ejusdem modi falsum etiam[7] possit videri. Et, quæ visa sint ejusmodi[8], ut in iis nihil intersit, non posse accidere, ut eorum alia percipi possint, alia non possint. Nullum igitur
41 est visum, quod percipi possit ». Quæ autem sumunt, ut concludant id, quod volunt, ex his duo sibi pu-

e nostris id habent, neque contexta admittunt. Sunt græca ὥςε καὶ ἄλλα ταὐτῷ τρόπῳ φαίνεσθαι δύνασθαι. Supra expressit hæc auctor sæpius: « ut etiam falsa videri possint », si nempe *vera visa* opponuntur, non, ut h. l. *visa* simpliciter. Quam inepte igitur *multa* intrudatur, sponte patet. G.

4. *Si omni ex parte.* Hoc ordine Vin. et scripti mei omnes. Recte. G.

5. *Composita [autem] ea conclusio sic est. Autem* tollenda erat, quippe quæ part. constanter ab omnibus et nostris, et haud dubie etiam Davisii, rejiciatur: hic enim eam tacite expunxit. Inculcatam hanc particulam simili ratione vide Off. I, 31, 7, ibid. III, 29, 14, Heusing. G.

6. *Et quod falsum est. Et* est h. l. assumptionis, quæ nuper alibi multifariam tentata est; sed pessime. Nam bene tenendum, vix umquam aliter Ciceronem, si plene concludit, nisi *et* (raro *atque*), ad assumptionem addita, scribere. G.

7. *Falsum etiam.* Gœrenz dat *etiam falsum.* Sic, inquit, cum Gud. et fragm. cod. Ven. 1494, Crat. et vetus editis pluribus, dedimus: nam postposita part. pro *adeo* accipienda foret, quod huc minime quadrat. Cf. § 41: « tale esse, quale etiam a falso possit esse ». Arcesilæ autem ratio sic erat, teste Sext. Emp. VII, 154: Οὐδεμία τοιαύτη ἀληθὴς φαντασία εὑρίσκεται, οἵα οὐκ ἂν γένοιτο ψευδής.

8. *Quæ visa sint ejusmodi... non posse accidere.* P. Manut. et Lamb. « non potest accidere ». Ita scilicet proprie scribi debebat; at quis nescit, quam sæpe auctor, in longiore maxime contextu, constructionem mutare amet? In his locis pro lubitu versari, eo minus circumspectæ κρίσει licet, quo probabilius sit talia auctori non excidisse, sed variandæ orationi consulto posita esse. *Sint* autem pro vulgato *sunt* e quatuor nostris, Vien. aliisque aliorum dedimus, idque sane loco convenienter. G.

tant concedi; neque enim quisquam repugnat[9]. Ea sunt hæc: « Quæ visa falsa sint, ea percipi non posse[10] », et alterum[11] « Inter quæ visa nihil intersit, ex his non posse alia talia esse, ut percipi possint, alia ut non possint ». Reliqua vero multa et varia ratione defendunt[12]. Quæ sunt item duo: unum, « Eorum, quæ videantur[13], alia vera esse, alia falsa »; alterum, « Omne visum, quod sit a vero, tale esse,

9. *Neque enim quisquam repugnat.* Ut hæc recte intelligantur, notandum est, *enim* esse hoc loco cum ironia quadam asseverantis. Quam quidem particulæ vim paullo accuratius videamus, quum toties Ern. in hac *enim*, si in ironia ponitur, offendat, ut eam etiam non semel extruserit. Atque sane certissimum est, *enim* sic dici, quum partim aliis partt. ironiæ inservientibus addatur; partim ipsa per sese hanc vim contineat. Cf. Brut. 84, 289; cf. Fontei. 9, 10. Nostro loco simillimus est Milon. 3, 8: « Neque enim posset aut Ahala ille Servilius... non nefarius haberi ». Pergit in *Neque enim* ironiæ umbra, quæ toti loco inest. G.

10. *Ea percipi non posse.* Gud. Ven. 1494, Crat. Asc. aliæque plures, « percipi ea non posse ». At fr. cod. et Dr. « ea non percipi p. » Inde vix dubito, quin, *ea* omisso, scribendum sit « non percipi posse ». G.

11. *Et alterum.* Hülsem. ejecit sua sponte, *alterum*, licet etiam alibi *alter*, ut vel *primus*, vel *alter* in præcedd. cogitandum sit, ponatur. Cf. Legg. III, 12, 28. Jac. Gronov. ad Gell. Noct. Att. VI, 12, talia inter dulcedines eruditiorum latinorum refert; quem vide. Eodem exemplo *secundus* dicitur Cæcin. 9, 23. G.

12. *Multa et varia ratione defendunt.* Gœr. *oratione.* Sic, inquit, scripti mei ad unum omnes cum Vin. et, ni egregie fallor, omnium omnibus: certe sic Davis. e suis, et editi veteres junctim. Cur Ern. vulgatum *ratione* reduxerit, vix liquet, nisi ideo fecit, quod ubique hæ voces permutantur. Quod si argutari h. l. velis, dixeris, *ratio* Academicorum cardinalis quum præcesserit, noluisse reliquas Ciceronem addere, atque ita eas in universum indicasse. Sed licet hoc verissimum sit, tamen inde nondum sequitur, contra omnem scriptorum auctoritatem *ratione* esse corrigendum: imprimis quum omnis ratio non, nisi *oratione*, cum aliis communicari possit, nec alia ulla h. l. quam, quæ ratione et via instituitur, i. e. philosophica, intelligi possit. Quid? si etiam alibi sic Cicero? Nat. Deor. I, 37, 102: « Hæc oratio non modo deos spoliat motu, et actione divina, sed, etc. » ista *oratio* autem Epicuri *ratio* est, qua deos nihil habere negotii statuebat. Infra § 44, bis sic ponitur. G.

13. *Eorum, quæ videantur, alia vera esse, alia falsa.* Gœrenz dat transpositis verbis: « quæ videantur, eorum, etc. » Hoc ordine, inquit, 4 mei, Wrat. excepto. Consentit etiam Crat. modo quod *aliud verum* præbet. Præposuerunt scribæ demonstrativum, tamquam ad unum pertineret.

42 quale etiam a falso possit esse ». Hæc duo proposita [14] non prætervolant, sed ita dilatant, ut non mediocrem curam adhibeant et diligentiam. Dividunt enim in partes, et eas quidem magnas : primum in sensus; deinde in ea, quæ ducuntur a sensibus, et ab omni consuetudine, quam obscurari volunt [15]. Tum perveniunt ad eam partem, ut ne ratione quidem et conjectura ulla res percipi possit. Hæc autem universa concidunt etiam minutius. Ut enim de sensibus hesterno sermone vidistis, item [16] faciunt de reliquis; in singulisque rebus, quas in minima dispertiunt, volunt efficere, his omnibus, quæ visa sint, veris, adjuncta esse falsa, quæ a veris nihil differant; ea quum talia sint, nihil posse comprehendi [17].

43 XIV. Hanc ego subtilitatem, philosophia quidem dignissimam judico, sed ab eorum causa, qui ita dis-

14. *Proposita*. I. e. *posita :* paullo ante dixerat *sumunt*. Quam vocis vim VV. DD. h. l. non animadverterunt; alias enim eam, ut ubique solent, sollicitassent. Sed *proponere* sæpe auctori simplicis verbi loco dicitur. Tusc. III, 33, 80. G.

15. *Quam obscurari volunt*. Davis. *obscurare;* quod Durand. cum illius laude suum fecit : sed Ern. docet paullo post *effici volunt* scribi ; nec quidquam interesse. Immo potius multum interest : nam *volo* non debet cum impersonalium verborum more misceri, ad quæ nihil refert infinitum passivi tempus ponas, an activi. Distinguendum autem est inter *velle*, si simplici vi dicitur, et si pro « libenter velle, optare, etc. » accipiendum est. Illud semper cum activi, hoc contra cum passivi infinitivo struitur. Sic *fieri* et *facere velle*, et omnia omnino distinguuntur, quæ hoc discrimine ad *velle* ponuntur. Eadem prorsus ratione græca ἐθέλειν, et βούλεσθαι, se habent. G.

16. *Ut. . .item*. Cf. Legg. II, 5, 11. Quo loco eadem *ut* in hoc *ita* variatur, ut h. l. etiam fr. cod. Alii deinde *idem*, ut Erl. vel *iterum*. Alii denique *iterum ita*, ut Gud. Glossis sic junctis, glossatum extritum est. G.

17. *Ea quum talia sint, nihil posse comprehendi*. Certus sum, *eaque quum*, etc. esse legendum. Sæpe enim *que* cum pron. demonstr. juncta consecutionem adjuvat, pro *et sane* posita. Cf. Legg. I, 1, 2; Legg. II, 24, 60; Orat. 36, 124, ubi nuper *idque* sine justa ratione ex Gud. 3 in *id quod* mutatum est. Haud raro ante, vel post *quæ*, excidit; quidni etiam ante *quum* excidere potuisse putaris? Certe non potest, quin aures exercitatiores in simplici *ea* h. l. offendant. Ceterum sensus est, « visa, quum talia sint, prout demonstratum sit, sequi

serunt[1], remotissimam. Definitiones enim, et partitiones, et horum luminibus[2] utens oratio, tum similitudines[3] dissimilitudinesque, et earum tenuis et acuta distinctio, fidentium est hominum, illa vera, et firma, et certa esse, quæ tutentur[4]; non eorum, qui clament, nihilo magis vera illa esse, quam falsa. Quid enim agant, si, quum aliquid definierint, roget eos quispiam, num illa definitio possit in aliam[5] rem transferri quamlibet? Si posse dixerint; quid dicere habeant[6], cur illa vera definitio sit? Si negaverint;

hoc, nihil posse comprehendi ». Erat enim hic rationis Academicæ cardo, « nihil posse comprehendi ». G.

XIV. 1. *Qui ita disserunt.* Erl. *dissenserunt*, quod quidem, per se non contemnendum est; si glossam malis, in vulgato aliud verbum, nempe *differunt*, latere videtur. Atque sane si accuratius locum excutias, verba, *ita disserunt*, his in contextis, in quibus Academicorum *subtilitas* memoratur, quæ propria disserendi laus est, certe perquam ambigua dicta deprehendes. Contra vero, si, *qui ita differunt*, legeris, i. e. « qui tantopere a nostra (vera sc.) ratione distant », et ambiguitas ista aberit, et distinctiorem notionem habebis. Cf. Fin. IV, 2, 5. G.

2. *Et horum luminibus.* Sc. « definitionum et partitionum » : unde sua sponte Lamb. *harum* correxit. Audacius sane, quum toties neutra pronominum sic ponantur; ut recte etiam P. Faber vidit. Rathius ejusmodi religionem ridet, velut raritates amantium. At vel ipsi accuratius circumspiciendum erat. Ad *horum* referuntur duæ diversimodi generis notiones, quales *definitiones* sunt, et *partitiones* : ad talia autem Cic. neutra pronominum ponere, et certum est, et alibi docuimus. G.

3. *Similitudines.* Exempla ad illustrandum proposita, ut illud de collo columbæ, de remo, etc. *dissimilitudines* contra, quæ ex obliquo, vel adverso rei lucem affundunt. G.

4. *Tutentur.* Ita quatuor etiam mei. Erl. *tuentur;* ex librariorum more nempe frequentativa in simplicia mutandi, cui illis frequens occasio præbetur, quum auctor illa amet. Sic infra 22, 69, *negavisset* in *negitasset* mutandum fuit. G.

5. *Num... in aliam rem transferri quamlibet?* *Rem* addidimus cum Ern. ex nostris omnibus. Pro *quamlibet* referunt Dr. et Wrat. *quam jubet.* Unde scribendum foret *quam lubet.* Atque sane auctor sæpius *ut lubet.* In sententia ne hæreas, vera definitio ad unam tantummodo rem congruere dicitur. *Rem*, quod Davis. ex suis addidit, tres nostri confirmant. G.

6. *Quid dicere habeant, cur illa vera definitio sit?* In scriptis omnibus legitur, « quid enim dic. » sed non dubito, quin hanc part. recte sustulerint Davis. et Ern. Nam etsi ea quidem, ut P. Faber defendit, ex asseveratione, et (quod addimus) sæpius repetita, ponitur, vide nos ad Acadd. I, 2, 6, tamen in talibus locis alia ratio, et h. l. adjecta a scribis ex antecedd. vide-

fatendum sit[7], quoniam vel illa veri definitio[8] transferri non possit in falsum, quod ea definitione explicetur, id percipi posse : quod minime illi volunt.
44 Eadem dici poterunt[9] in omnibus partibus. Si enim dicent, ea, de quibus disserant[10], se dilucide perspicere, nec ulla communione visorum[11] impediri; comprehendere ea se posse fatebuntur[12]. Sin autem negabunt vera visa a falsis posse distingui, qui pote-

tur, quum *quid enim* modo præcesserit; quod facile adhuc in auribus eorum hærere potuerat. Si *enim* tamen defenderis, non asseverativam, sed pro *autem* positum putare debebis, cf. Acadd. I, 2, 6. G.

7. *Si negaverint; fatendum sit.* Gud. *sin;* sed potest *n* ex proxima voce adhæsisse. G.

8. *Quoniam vel illa veri definitio.* Gœrenz delet *veri*. Sustulimus, inquit, *veri* (alii *vera*), idque cum Gud. et fr. cod. Neque agnoscunt Ascens. uterque et Lamb. Olim *veri* edebatur; Dr. et Wrat. *a vero*, Ven. 1494, simpl. *vero*. Davisius, qui *veram* primus ex tribus suis, quibus Erl. accedit, correxit, licet a manu Ciceronis eam esse juret, tamen non veram jurabit. Nam quæ definitio in falsum transferri non potest, ea et vera sit necesse est, et, si *veram* addideris, superfluum quid addidisse putandus eris. — Ita Lambinus h. l. exponit : « Si negaverint academici definitionem illam posse in aliam rem transferri, quam quæ definita sit; fatendum iis sit, quoniam neque illa definitio transferri possit in falsum, neque id quod ea definitione explicetur, id quod definitum est, percipi posse ».

9. *Poterunt.* Fr. cod. Erl. et Wrat. *potuerint*, Gud. Vien. ψ. *potuerunt;* ut vix dubium sit, etiam hoc ex *potuerint* natum esse. Nos quidem certi sumus, *potuerint* veram esse Ciceronis manum. — *In omnibus partibus.* Gœr. delet *partibus*. Quis enim, inquit, his in contextis, *partibus*, quod vulgo additur, recte defenderit? Sensus enim est, « quotiescumque illi aliquid definierint, toties hæc eadem dici poterunt ». Quid igitur *partibus*, quo sententia obscuratur?

10. *Dicent... disserant... fatebuntur.* Gœrenz dat *dicent... disserent... fatebuntur. Disserent*, inquit, Ernest. sua sponte in *disserant* correxit. Quod eo vitiosius judicandum est, quum haud raro vel sic, vel aliter, scribæ peccent, atque inde facilius etiam verum obliteretur : idque maxime quum vir summus loca nimis multa ita corrigendo affecerit. Sed dudum hac in re rectius vidit Fr. Heusing. ad I, Off. 25, 8, et sæpius; in primis vero Schütz. qui multis *rhetoricorum* locis hæc futura restituit. Cf. Legg. I, 14, 41, ibid. 15, 43, 18, 49. G.

11. *Communione visorum.* Recte Wetzel ad verba *communione visorum* supra §. 4 : « communis veri et falsi nota », et § 6, « communitas cum falso ». G.

12. *Comp. ea se posse fatebuntur.* Gœrenz delet *posse*. Ita, inquit Erl. et Dr. et duo apud Davis. idque verissime. Nam sensum primo verbum infinitum magis turbat, quam adjuvat, quum, qui dilucide aliquid perspicit,

runt longius progredi[13]? Occurretur[14] enim, sicut occursum est. Nam concludi argumentum non potest, nisi his, quæ ad concludendum sumpta erunt, ita probatis, ut falsa ejusdem modi nulla possint esse. Ergo si rebus comprehensis et perceptis nisa et progressa ratio[15] hoc efficiet, nihil posse comprehendi; quid potest reperiri, quod ipsum sibi repugnet magis? quumque ipsa natura accuratæ orationis[16] hoc profiteatur, se aliquid patefacturam, quod non appareat[17], et, quo id facilius assequatur, adhibituram et sensus, et ea, quæ perspicua sint: qualis est istorum oratio, qui omnia non tam esse, quam videri volunt? Maxime autem convincuntur, quum hæc duo pro congruentibus sumunt, tam vehementer repugnantia: primum, « esse quædam falsa visa »; quod quum volunt[18], declarant quædam esse vera: deinde[19] ibidem,

non tam, posse se comprehendere, fatetur, sed vere comprehendit. Deinde si *posse* verum esset, scribendum trajectis verbis fuisset, *posse ea se compr.* hoc enim vulgatæ ordine illud plane redundat. Eodem modo idem *posse*, quod vulgata verbis, *a falsis distingui*, interserit, iisdem nostris, et Vin. jubentibus, ejecimus.

13. *Qui poterunt longius progredi?* sc. *quærendo.* Sic enim omnis veri investigatio, præcisa, tollitur.

14. *Occurretur.* Ex græco ἐναντιοῦσθαι, quod Platoni familiare est. G.

15. *Nisa et progressa ratio. Nisa* debetur P. Manutio, pro *visa*, quod codices facili vitio peccant. Neque quidquam verius, quum toties auctor *nititur ratio*, et *ratione niti*. Sed interpunctio locum gravabat: delevimus enim virgulas, quibus verba *rebus*... *perceptis* coercentur, quum constructio sit, *nisa rebus*... *perceptis. Et progressa*, quasi per zeugma pro, *et inde pr.* abjunctum est, ut sæpe: quæ ipsa VV. DD. movisse videtur, ut falso distinguerent. G.

16. *Quumque ipsa natura accuratæ orationis.* Etiam h. l. tentat Ernest. *rationis*, quod recepit. Ceterum, sive ratio, sive oratio sit, nihil aliud hic notat quam συλλογισμός.

17. *Appareat.* Quatuor mei *apparebat*, quod aliquo modo defendi posset, si *hucusque* cogitaretur; sed ægre. Immo quum tam crebro sic pravatæ præsentis tertiæ personæ deprehendantur, vulgatam equidem veram judico. Hülsem. *apparebat* reduxit; sed docere oblitus est, qua ratione, et quibus exemplis, imperf. cum fut. his in contextis, rite jungi possit. G.

18. *Quod quum volunt... esse vera.* Hæc parentheseos signis Gœrenz inclusit.

19. *Deinde ibidem.* Revocavimus

« inter falsa visa et vera nihil interesse ». At primum sumpseras, tamquam interesset. Ita priori posterius, posteriori superius non jungitur[20].

45 Sed progrediamur longius, et ita agamus, ut nihil nobis assentati esse videamur; quæque[21] ab his dicuntur, sic persequamur, ut nihil in præteritis relinquamus. Primum[22] igitur perspicuitas illa, quam diximus, satis magnam habet vim, ut ipsa per sese, ea, quæ sint, nobis, ita ut sint, indicet. Sed tamen, ut maneamus[23] in perspicuis firmius et constantius, majore quadam opus est vel arte, vel diligentia, ne ab iis, quæ clara[24] sint ipsa per sese, quasi præstigiis quibusdam[25] et captionibus depellamur. Nam, qui voluit subvenire erroribus Epicurus[26], iis, qui videntur con-

vocem immerito proscriptam *ibidem*. Quid enim mirum, si hic vel ille scriba vocem omisit (ut ex meis Erl.) cujus vim VV. DD. ignorabant? Vult auctor hæc : « eodem in argumentationis tenore ita vehementer repugnantia ponunt, ut, quum, quædam falsa esse, dicant, atque inde simul, alia quædam vera esse, concedant, tamen nullum inter falsa et vera visa discrimen admittant ». Quæ si tenueris, et rationem academicam in præc. contuleris, vel absentibus nobis veritas se ipsa defendet. G.

20. *Non jungitur*. Tuentur quatuor mei veritatem lectionis *non jungitur*. Solus Erl. cum Gruteriana lectione *posteriori superius conjungitur* conspirat, qua, ut recte Davis. docet, contraria menti auctoris sententia enascitur : sensus enim hic est : « His enuntiatis ita positis, neque prius cum posteriore, nec vice versa, coit ». Cf. Orat. I, 51, 222. Passivi autem ratio pro *se jungere*, plane pervagata est et trita latinis. G.

21. *Quæque*. *Que* est *sed*, *immo potius*, ut sæpe post negationem.

22. *Primum*. Huic *primum* nihil respondet : quod crebro occurrit in nostro auctore.

23. *Ut maneamus... vel diligentia*. Scripti tres mei *ut* ignorant ; alii cum edd. vett. pluribus *et dil*. Sed prior part. sponte omissa videtur ; posterior autem inde mutata, quod librarii vim hujus *vel* geminatæ, qua *sive... sive dixeris*, valet, licet sæpe obviam, tamen non ceperunt. G.

24. *Clara* h. l. nihil est, nisi *perspicua ;* quod auctor repetite poni noluit. Notari autem his illa πιθανὰ ἁπλῶς, de quibus supra-dictum est, vix est, ut moneamus. G.

25. *Quasi, præstigiis quibusdam*, ὡς γοητείᾳ τινὶ, ut Plato sæpe. Conceditur autem his, posse sensus decipi, ut vel clara et perspicua in dubium vocentur ; nisi major quædam ars caveat. Sic accidisse Epicuro, etc. G.

26. *Nam q. v. s. e. Epicurus*, *iis*, *qui videntur cont. v. c. dixitque*.

turbare veri cognitionem, dixitque sapientis esse, opinionem a perspicuitate sejungere; nihil profecit[27]: ipsius enim opinionis errorem nullo modo sustulit[28].

XV. Quamobrem[1] quum duæ causæ perspicuis et 46
evidentibus[2] rebus adversentur, auxilia totidem sunt contra comparanda. Adversatur[3] enim primum, quod parum defigunt animos et intendunt in ea, quæ per-

Gœrenz dat, « Nam qui voluit subv. erroribus Epicurus (is qui videtur cont. v. c.) dixitque ». Hoc in loco, inquit, VV. DD. in causa sunt, quod hucusque vitiosissime legebatur *iis qui videntur:* nam et scripti mei 4, et cum Ven. 1494. Crat. Ascens. aliæque edd. vett. (modo, quod hæc *qui* omittunt), sic ut reposuimus. Duplex causa errori ansam præbuit: primo quod non intelligerent, *subvenire errori*, h. l. sic dici, ut alibi auctor, *subvenire tempestati, gravedini, sollicitudini*, tollendi nempe et amovendi vi, scribit: deinde quod non viderent verba, *is qui* (virgula deleta), ... *cognitionem*, in parenthesi esse ponenda, ad quam jam sponte sua proxima *qué* admonebat: quæ vel alibi parenth. excipit. Conf. Legg. III, 1, 2, etc. — *Opin. a perspicuitate sejung.* Censuit Epicurus, αἰσθήσεις, s. sensus, numquam non veraces esse, quum perspicuitate nitantur; opiniones vero, quæ sunt nostra de *visis* judicia, nonnumquam veras, nonnumquam falsas statuit. Sext. Emp. adv. Math. lib. VII, §. 203. Laert. X, 31.

27. *Nihil profecit.* Sic quatuor mei et ψ. At Wrat. *perfecit*, quod ex eodem per comp. ortum. Inde P. Manut. olim vulgatum *fecit* ex ingenio dedisse videtur, ex ista varietate simplex verbum pro vero judicans. Quod mihi tamen minus, quam Ern. satisfacit: nam equidem, nisi vulgata verissima esset, *effecit* præferrem, ut proprie auctor alibi. G. — P. Faber defendit lectionem *fecit:* verbo « fecit » non aliter usus est Cicero in Tusc. Disput. lib. V, cap. 5.

28. *Ipsius... nullo modo sustulit.* Id est, « quum opinionem ex parte veram, ex parte falsam pronuntiaret, certam veri inveniendi viam nullam aperuit ». G.

XV. 1. *Quamobrem.* Huc transposuimus cum Grut. et Davis. capitis initium, quippe quo rectius pertineret. G.

2. *Perspicuis et evidentibus rebus.* His verbis græcum ἐναργείᾳ compensare voluit. Cf. supra 6, 17: « nihil clarius ἐναργείᾳ, ut Græci: perspicuitatem, aut evidentiam nos, si placet, nominemus, etc. » G.

3. *Adversatur.* Sic a VV. DD. correctum est, licet et scripti mei, et, ni fallor, omnes omnium, *adversantur*. Tuentur receptam Crat. et aliæ edd. vett. Atque sane natus hic plurium verbi numerus ex prægresso *adversentur* videtur, scribis ad explicationem causarum istarum duarum non attendentibus. Posse tamen *adversantur* defendi, non negem, si ob longius intervallum in verbis, *alterum est*, auctorem ex constructionis tenore exiisse putaris; cujus anomaliæ exem-

spicua sunt, ut, quanta luce ea circumfusa[4] sint, possint agnoscere; alterum est, quod fallacibus et captiosis interrogationibus[5] circumscripti atque decepti quidam, quum eas dissolvere non possunt, desciscunt a veritate. Oportet igitur et ea, quæ pro perspicuitate responderi possunt, in promptu habere; de quibus jam diximus: et esse armatos, ut occurrere possimus interrogationibus eorum, captionesque discutere; quod deinceps facere constitui.

47 Exponam igitur generatim argumenta eorum, quoniam ipsi etiam illi solent non confuse loqui[6]. Primum conantur ostendere, multa posse videri esse, quæ omnino nulla sint, quum animi inaniter moveantur[7] eodem modo rebus iis, quæ nullæ sint, ut

pla haud infrequenter offeruntur. G.

4. *Circumfusa sint.* Gœrenz dat *sunt.* Ernest. inquit, *sint* suasu Davisii de suo correxit, probante Wetzel. et Rath. Perperam.

5. *Captiosis interrogationibus.* Ἐρωτήσεσι, i. e. *argumentationibus.* Vide nos ad Acadd. I, 2, 5. G.

6. *Quoniam ipsi etiam illi solent non confuse loqui. Illi* præbent complures scripti, in quibus est Gud. fr. cod. Wrat. Vien. et cum multis vetus excusis Ven. 1494. Neque dubitari debet, hanc veram esse auctoris manum; vulgatamque *illa* contra ne latinam quidem. Ubi enim umquam latini *argumenta loqui*, pro *argument. proponere?* Immo vero *ille* toties cum abundantia quadam reliquis pronominibus additur, cf. nos ad Legg. I, 21, 54. Adde Orat. I, 57, 247. Apud Græcos eodem modo ἐκεῖνος additur. Ceterum nihil erat, cur Rathius in voce *confuse* hæreret, et *fuse* mallet. Ita loquitur auctor variata oratione. Sensus enim est, « quoniam vel ipsi argumenta sua generatim (distincte, vel disposite) exponunt, idem ego quoque faciam ». G.

7. *Quum animi inaniter moveantur.* Turbant in his intt. Walker. *inaniter* deleri, Davis. ejus loco *frequenter* corrigi jubet. Hülsemannus *inaniter* delevit. *Inaniter* est lectio codd. quum meorum, tum reliquorum omnium; eaque verissima. Non attenderunt VV. DD. *Dupliciter* enim volunt academici, *moveri animos inaniter.* Primo « rebus iis, quæ nullæ sint », v. c. si *centaurum*, *chimæram*, cogitaris aut qualia furentibus aut somniantibus φαντάσματα offeruntur: id est, quæ nulla re, in veritate posita, veluti fundamento nituntur. Deinde dicuntur animi inaniter moveri *rebus iis, quæ sint:* id est res ipsæ quidem vere reperiuntur, sed vana et mendacia de iis visa animis informantur et imprimuntur: v. c. si *lupi canes esse* putantur. Hæc ita esse, contexta vel obiter conferenti in oculos, et pæne manus, sua sponte incurret. G.

iis, quæ sint. Nam quum dicatis[8], inquiunt, visa
quædam mitti a deo, velut ea, quæ in somnis[9] vi-
deantur, quæque oraculis, auspiciis, extis declaren-
tur (hæc enim aiunt[10] probari stoicis, quos contra
disputant): quærunt, quonam modo, falsa visa quæ
sint[11], ea deus efficere possit probabilia; quæ autem
plane proxime ad verum accedant, efficere non pos-
sit? aut, si ea quoque possit; cur illa non possit, quæ
perdifficiliter, internoscantur tamen[12]? et, si hæc,
cur non, inter quæ nihil sit omnino? Deinde, quum 48
mens moveatur ipsa per sese, ut et ea declarant[13],
quæ cogitatione depingimus, et ea, quæ vel furiosis,

8. *Nam quum dicatis, inquiunt... quærunt quonam modo.* Mira sane ἀνακολουθία! ut Pet. Fabro facile ignoscas, qui *quærunt* in *quænam* mutari velit. Rathius, adhibita προτάσεως et ἀποδόσεως amussi, idem reperit, locum non convenire; scribendum esse, *quæritur.* Sed jam ad Legg. I, 21, 56, monuimus, auctorem, post parentheses maxime, ad anacolutha pronum esse; cf. pro Planc. 10, 24; p. Manil. Leg. 7, 17; Brut. 37, 140, et ibid. 26, 100. G.

9. *In somnis.* Sic unice recte, cum Lamb. et Davisio, Ern. vulg. *in somniis* correxit; scriptis, ut aliorum, ita nostris quatuor idem confirmantibus. Eodemque jure, paucis post, præpos. *a*, vv. *probari Stoicis* vulgo insertam, idem Ern. præeunte Davisio, rejecit, ab omnibus nostris, Erl. excepto, ignoratam. G.

10. *Aiunt* ad Academicos referendum. De re ipsa vide Cic. utroque de Divinat. libro.

11. *Quonam modo, falsa visa quæ sint, ea.* Ex Græcis hanc structuram repetiero, fortasse his: τίνι ποτὲ τρόπῳ, ψευδέων οὐσῶν τῶν φαντασιῶν, ταύτας, etc. Ad hæc autem, et sequentia, cf. § 49, unde claram lucem accipient. Pro *quonam* refert Gud. et fr. cod. *quodam.* Quid? si *quo demum* legendum? *demum* certe, quum ex compendio, ultima syllaba detracta, scriberetur, varimode a scribis corrupta est. Sed vulgatam, quippe quæ ironiæ umbram magis adjuvet, præfero. G.

12. *Internoscantur tamen ...? inter quæ nihil sit omnino?* Gœrenz dat *intersit.* Hoc, inquit, loco simplicis *sit*, ex fr. cod. et Gud. in quo tamen *inter* superscriptum est, recepimus. Vulgatum *sit* h. l. ne latinum quidem videtur. Lamb. dudum sic correxerat. — Attentus ad contexta, desiderat Bentl. integram enuntiationem hanc, « aut quæ ne internoscantur quidem? » Sic enim inferius 16, 49. At hoc quidem recte in illis locis, ubi sorites ille paucis comprehenditur: in hoc autem, ubi membra singula enumerantur, secus esse videtur. G.

13. *Declarant.* Gud. et Ven. 1494, *declarent.* Haud male. Ita enim auctor oblique suo more, quum aliorum sententiam profert. G.

vel dormientibus [14], videntur; nonne [15], inquiunt, verisimile sit, sic etiam mentem moveri, ut non modo non internoscat visa [16], vera illa sint, anne falsa, sed ut in his nihil intersit [17] omnino? at, si qui tremerent et exalbescerent vel ipsi per se, motu mentis aliquo, vel objecta terribili re extrinsecus, nihil esset [18] qui distingueretur tremor ille et pallor, neque quidquam interesset inter intestinum [19] et oblatum. Postremo

14. *Vel furiosis, vel dormientibus.* Gœrenz dat : « vel dormientibus, vel furiosis ». Ita jam, inquit, Davis. ex suis scripserat; nec aliter nostri omnes cum Vin. Vulgo verba hæc transponuntur. Sed hoc ordine etiam infra 17, 53, 27, 88. His tot igitur scriptis, qui aliis etiam locis confirmantur, facile nos accommodavimus.

15. *Nonne, inquiunt, verisimile sit.* Gœrenz dat : « non, inquiunt, veris. sit ». *Non*, inquit, cum scriptis plerisque aliorum, et nostris 4, Vin. et ψ. edd. quoque vett. multis, pro *nonne*, quod vulgatur, edidimus. Ubique enim scribæ in *non*, si interrogantis est, offendunt. Hinc etiam Gud. cum duobus Davisii, pro *non, si* exhibet. *Non* autem in interrogatione pro *nonne* poni, res prorsus decantata est, vide Ind. ad de Legg. cll. Off. III, 19, 10, ibiq. Heus. Quod vero plures codd. inque his etiam tres nostri *inquam* peccant, id ex verbi hujus compendio repetendum est, ex quo etiam *inquit* et *inquam* frequenter permutantur. Clare *inquiunt* dant fr. cod. et Erl.

16. *Ut non modo non internoscat visa.* Posteriorem *non* omnes quinque mei agnoscunt, a Davisio primum in texta receptam : h. l. unice recte, ut alibi docebimus. Deinde distinctionem falso ante *visa* vulgo additam, huic voci subjecimus; prout necessario *illa* abundanter, ut solet, positum, requirebat. Scribæ transponunt verba. Gud. *vera visa;* Erf. *vera illa visa;* Wrat. *visa illa vesana.* Sed *illa* auribus suis aptari voluerunt; ne forte *visa* ex glossa adhæsisse putes; quo ægre carebis. G.

17. *In his nihil intersit.* Ne hæreas, sæpius auctor *interesse in* scribit. Cf. Mencken. Obss. h. v. G.

18. *Nihil esset... neque quidquam.* Gœrenz dat : « nihil ut esset... neque ut quidquam ». Davis. inquit, et Ern. duplicem hanc *ut* delerunt; atque ita Lambinum, audacem alias, cautum fecere et religiosum : hic enim quum et ipse videret, hanc *ut* repetitam abesse posse, tamen mutari quidquam noluit. Ex pæne infinita exemplorum copia hæc pauca addamus, Tusc. I, 17, 40, ubi *ut* posteriorem Wolf. rectissime nuper revocavit, Legg. I, 19, 50; Fin. V, 2, 4; Off. I, 20, 2, ibiq. Fr. Heusing. et quos hic laudat. At toties *ut* uno loco! Quasi non ita auctor sæpissime. Ne longius discedamus, cf. § proximam, ubi eadem *quinquies* in versibus vix quatuor redit : itemque § 50, toties in totidem. Et quo tandem nomine h. l. delebis? Ut glossam? — At scribæ *ut* non postponunt. Atque quid tu demum glossam putas, si in his scribæ manum odoraveris? Temere igitur fecisse nos putaremus, nisi utramque part. restituissemus.

19. *Intestinum.* Agnoscunt omnes

si nulla visa sunt[20] probabilia, quæ falsa sint, alia ratio est; sin autem sunt, cur non etiam, quæ non facile internoscantur? cur non[21], ut plane nihil intersit? præsertim quum ipsi[22] dicatis, sapientem in furore sustinere se ab omni assensu, quia nulla in visis distinctio appareat.

XVI. Ad has omnes visiones inanes Antiochus qui- 49
dem et permulta dicebat[1], et erat de hac una re unius diei disputatio. Mihi autem non idem faciundum puto; sed ipsa capita dicenda. Et primum[2] quidem hoc reprehendendum, quod captiosissimo genere interrogationis utuntur; quod genus minime in philosophia[3] probari solet, quum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur. Soritas hos vocant, qui acervum efficiunt uno addito grano[4], vitiosum

scripti mei: neque video cur non pro *internum* dici possit; cui *oblatum* sc. *extrinsecus* recte opponitur. Quidam legunt *impertitum*. G.

20. *Si nulla visa sunt.* Plures scripti pro *sunt*, *sint* exhibent; ad quos Erf. Dr. et ψ. referendus. Male; quum *sunt* sequatur. Nam eumdem verbi modum certo auctoris more *si... sin* tenent. G.

21. *Cur non, ut plane nihil intersit.* Lamb. his in verbis hæret. Quod non factum foret, si ille nobiscum ante *ut* virgulam posuisset. G.—Locus obscurior non attendenti ob partic. *ut*, quæ est pro *etiamsi*. Cujus tamen in ea significatione Ciceroni usus est frequentissimus. P. Faber.

22. *Ipsi dicatis. Ipsi* additum a Davis. et Ern. omnes scripti mei cum Vin. servant; idemque legitur in vetus editis, quos equidem vidi, omnibus. Sed quo modo vulgatam Hülsem. *ipsa* esse dicat, equidem totus ignoro. G.

XVI. 1. *Et permulta dicebat, et erat.* Prior *et* reducta a nobis est, indigne abjecta per Davis. cujus duo scripti eam ignorabant: quem Ern. sequutus est. G.

2. *Et primum.* Interpungitur ante *Et* colo; sed vitiose. Interpretes, ut sic facerent, hoc movisse videtur, quod *Et* orationem denuo ingredientis esse non viderent; cf. Acadd. I, 12, 43, etc. G.

3. *In philos.* Sic complures codd. cum tribus meis *a*. Sed idem est, quod *in philosophando* s. in disputatione philosophica. Sed fateor, verba, *quod genus... solet*, mihi non valde probari; rectius certe locus coibit, si abfuerint. Gruterus etiam sequentia ad *demitur* usque abjecta malebat, cujus equidem rei causam justam video nullam. G.

4. *Soritas hos vocant, qui acervum e. u. a. grano.* Gœrenz dat: *quia ac.* Recte, inquit, Ernest. *hos* reduxit pro

sane, et captiosum genus. Sic enim adscenditis : « Si tale visum objectum est a deo dormienti, ut probabile sit, cur non etiam ut valde verisimile? cur deinde non [5], ut difficiliter a vero internoscatur? deinde, ut ne internoscatur quidem [6]? postremo ut nihil inter hoc et illud intersit? » Huc si perveneris, me tibi primum quidque [7] concedente; meum vitium fuerit. Sin ipse tua sponte processeris; tuum. Quis enim tibi dederit, aut omnia deum posse; aut ita facturum esse, si possit? Quomodo autem sumis, ut, si quid cui simile esse possit, sequatur, ut etiam internosci difficiliter [8] possit? deinde, ut ne internosci quidem? po-

hoc, quod Davis. ediderat, et quod etiam scripti mei servant. *Hos* est, tales, quales descripsi. Nihil igitur erat, cur idem pron. abesse mallet. *Quia* deinde cum Lamb. et Davis. probante Ern. pro *qui*, dedimus, adstipulantibus Gud. et fr. cod. Ad v. *uno* denique, ne *semper*, vel tale quid additum velis, cf. infra § 93 : « si ad eum numerum (verbi causa, ternarium), unum addidero, multane erunt ?» Ceterum qua ratione Hülsem. h. l. vulgatum *qui* pro *quo modo* accipere potuerit, ipse quæret, si didicerit, hoc non, nisi in interrogatione sive recta, sive obliqua, sic poni. Idem Gœr. post *grano* non colo, sed puncto distinguendum esse dicit.—*Sorites*, acervalis a Cic. de Divin. lib. II, 4, et infra cap. 30, dictus, inde nomen habet, quod argumentando aliquid minutatim, et gradatim addit, vel demit, ut acervus efficiatur uno addito grano. Scilicet quæritur : num unum granum, vel duo sint acervus? Quod si negatur, additur unum, etc. donec alter concedat esse acervum; quo infertur, *ergo* acervus efficitur uno grano. Loci classici sunt ap. Gellium N. A. lib. XVI, 2, pag. 536, Longol. et Senec. ep. 45, p. m. 152, ed. Amstel. 1672, vol. II. *Sorites* nomen duxit a græco σωρὸς, *acervus*. H.

5. *Cur deinde non*. Gud. *demum*; sed *dem* et *dein*, utriusque part. compendia facile confunduntur : neque *dein* ut conjicias, causa est, ut nos olim. *Deinde* auctori haud ita raro, vel sæpius repetitum, ponitur. G.

6. *Ut ne internoscatur quidem*. Ante hæc verba Lamb. vult. *cur non* addi : sed sine necessitate, brevius enim auctor ultimum argumentationis membrum absolvit. Neque ullus meorum part. *vix* agnoscit, quam citra verum alii codd. addunt. G.

7. *Primum quidque*. Ern. *quodque* accommodatum ad *unum quodque* suadet. Sed eodem modo hæc differre putabis, quo *quiddam* et *quoddam*; *quidque* enim substantivi instar est. G.

8. *Internosci difficiliter possit*. Davis. transverso ordine ex suis edidit; et sic duo etiam meorum. Sed falso, quum ad *internosci* loci vis pertineat. Quod vero idem ille *possint* ex ingenio correxit, in eo non attendit : quum contextus sit, « si quid cui simile sit,

stremo, ut eadem sint? ut, si lupi canibus [9] similes, eosdem dices ad extremum. Et quidem honestis similia sunt quædam non honesta, et bonis non bona, et artificiosis minime artificiosa. Quid dubitamus igitur affirmare, nihil inter hæc interesse? Ne repugnantia quidem videmus [10]? nihil est enim, quod de suo genere in aliud genus transferri possit. At si efficeretur [11], ut inter visa differentium generum nihil interesset, reperirentur, quæ et in suo genere essent,
et in alieno; quod fieri qui potest? Omnium [12] deinde 51
inanium visorum una depulsio est [13], sive illa cogita-

id internosci difficiliter possit ». G.

9. *Ut ead. sint? ut, si lupi canibus similes, eosdem dices.* In his turbant et scribæ, et VV. DD. sed utrique separatim. Scripti tres mei et Vin. prioris *ut* loco, *aut* exhibent, ut reliqui duo cum ψ. ante posteriorem *et* addunt. Utrumque contra loci sententiam. At Lamb. *ut idem sit*, legi, et post *canibus*, *sint* inseri jubet. Prius eadem ex ratione, qua proxime ante Davis. *possint* correxit. Sed transit auctor ultimo hoc argumentationis membro repente ad plurium numerum; ut, quum antea, singula visa cogitans, simplicem posuisset, jam multitudinis numero somniantium visa omnium comprehenderet. Neque est, ut ejusmodi numeri enallagen toties obviam multis defendamus, cf. Wopk. pag. 80 seq. coll. Bremi ad Fin. II, 7, p. 136. Quod autem idem Lamb. *sint* addi vult, id nihil necesse est: inprimis quum *sint* ex proximis in lectoris adhuc quasi auribus hæreat. Addidit *sint* Hülsem. Denique Wopkens, Lect. Tull. pag. 96, *dices* in *dicas* mutans, sibi ipse dissimilis factus est p. 304, ubi multis locis hanc futuri rationem recte defendit. *Ut*, *si* vero pro *exempli gratia*, *si*, dici, sponte patet. Ceterum bene e Platonis Sophista, II, 229, Bip. monet P. Faber, mansuetissimæ h. l. bestiæ, domituræ impatientem opponi. G.

10. *Ne repugnantia quidem videmus?* Vertit *Castillon*, quasi esset *nonne*: « N'apercevons-nous pas même les contradictions? » Hæc et sequentia per incisa dici putat Gœr. unde signa incisorum adjecit, sic: « interesse. — Ne repugn. quidem vid. — Nihil est.....possit. — At si efficeretur...et in alieno...quod fieri qui potest? »

11. *At si efficeretur. Efficere probandi* sensu, et optativi græci loco ponitur. Eodem modo paucis post v. *reperirentur* optative dictum est. G.

12. *Omnium deinde. Deinde* respondet verbis § 49: « Et primum quidem ». Prave igitur Ern. ante *omnium* colo interpunxit. G.

13. *Inanium visorum una depulsio est.* Int. una est responsio qua argumentum tractum ex inanibus visis, e. gr. *collo columbæ*, etc. repellamus. Vertit *Castillon*: « à toutes les illusions produites par l'imagination, il n'est qu'une réponse ».

tione informantur[14], quod fieri solere concedimus; sive in quiete, sive per vinum, sive per insaniam. Nam ab omnibus ejusdem modi visis perspicuitatem, quam mordicus tenere debemus, abesse dicemus. Quis enim, quum sibi fingit aliquid, et cogitatione depingit, non, simul ac se ipse commovit[15], atque ad se revocavit, sentit, quid intersit inter perspicua, et inania? Eadem ratio est somniorum. Num censes Ennium, quum in hortis cum Serg. Galba, vicino suo, ambulavisset, dixisse, Visus sum mihi cum Galba ambulare? At, quum somniavit, ita narravit[16]:

Visus Homerus adesse poeta[17].

14. *Informantur.* Ex Ernesti ratione *informentur* legendum foret : quod h. l. plane vitiosum fuerit, quum *sive... sive*, pro *partim quum...* dicantur; ubi ex certa lege indicat. requiritur. Verbi autem compositi, pro simplici, usus hac in re frequentissimus est. G.

15. *Simul ac se ipse commovit.* Sc. *animo*, id est, « si ab omni parte animum admovere cœpit ». Nisi quidem pro simplici *movit* dictum malis; cf. Orat. II, 57, 233. Sic sæpe auctor. Cf. Mencken Obss. h. v. Neque male Davis. *commonuit* suadet. Qui quidem sic legi jubet, « simul ac se ipse commonuit, atque ad sese revocavit ». Sed potest vulgata, comprobata scriptis editisque omnibus, recte ferri, quum ex pron. *ipse*, *animus* facile intelligatur. Quod autem Davis. *sese* legi jubet, in eo se parum attentum Ciceronis lectorem præbet. Hic enim alterum *se* consulto omittit. Sic *inter se*, pro *se inter se* sæpe; vid. Scheller Obss. p. 247. Contra vero in hac eadem forma *ad se* omittitur Pis. 29 : « revocare sé non poterat, familiariter implicatus ». Sed h. l. nihil horum opus est, quum optime *se* ex proxime prægressis subaudiatur. G.—*Simul ac se ipse commovit.* Proverbium tritum sermone, ipse Cicer. de Orat. III, sic extulit : « facilius est currentem incitare, quam commovere loquentem ». Ductum etiam videri potest ex illo ritu, « commovendi sacra bellis indicendis », de quo legendus tibi Servius ad Virgil. Æn. lib. VIII, ad illa : « quum prima movent in prœlia Martem ». Fab.

16. *At quum somniavit, ita narravit.* Gœrenz dat : *ita narrat.* Quis, inquit, tempus hoc (*narravit*) ab auctore profectum putabit? ubi enim hic umquam, ad tot poetarum loca, ab ipso excitata, tali perfecto? Præsentia ponit, quæ actionis perfectæ dicuntur. Inde sane non potuimus, quin nostra sponte, *narrat* corrigendo, verum sequeremur. Cf. Invent. I, 23, 33; Tusc. IV, 21, 48; Divin. I, 20, 41. Quam sæpe autem hæc præsentia in præterita a scribis corrupta sint, dicere jam nihil attinet.

17. *Visus Homerus adesse poeta.* Versus integer a scholiast. Horat. in epist. I, 1, 50 : « In somnis mihi visus Homerus adesse poeta ». Lucretius, I, 121, de somno Ennii : « tamen esse

Idemque in Epicharmo[18]:

Nam videbar somniare me et ego esse mortuum[19].

Itaque, simul ut[20] experrecti sumus, visa illa contemnimus; neque ita habemus, ut ea, quæ in foro gessimus.

XVII. At enim dum videntur[1], eadem est in somnis[2] species eorum[3], quæ vigilantes videmus. Pluri- 52

Acherusia templa Ennius æternis exponit versibus edens. Quo neque permanent animæ, neque corpora nostra; Sed quædam simulacra, modis pallentia miris: Unde sibi exortam semper florentis Homeri Commemorat speciem lacrumas effundere falsas Cœpisse, et rerum naturam expandere dictis ». Idem narrat Cicer. in somn. Scipion. cap. 1: « Me somnus arctior complexus est. Hic mihi (credo equidem ex hoc, quod eramus loquuti; fit enim fere, ut cogitationes, sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpissime vigilans solebat cogitare, et loqui) Africanus se ostendit, etc. » H.

18. De Epicharmo, Siculo, auditore Pythagoræ, poeta philosopho, v. H. Stephan. poes. Philos. pag. 54, 60, 213 seq. Cicer. ad Attic. lib. I, 19, et Wieland. ad Hor. epp. lib. II, p. 86 seqq. H.

19. *Somniare me et ego esse mortuum.* Gœrenz dat: « somniare, memet esse mortuum ». Equidem, inquit, nullus dubito, quin hæc sit vera lectio, ex conjectura recepta Ernestii, pro vulgata, *me et ego*, quæ est codd. omnium. Quis enim nescit, quantopere scribæ in *met* euclitica turbent, quippe quam, magnam partem, plane ignorasse videantur. Maxime vero sic peccant, ut, *m* elisa, *ego et*, *mi et*, *illum et* scribant; vide ad Legg. I, 3, 8. Hoc etiam loco quum *me et* scriberetur, mirum esse non debet, si scribæ huic *et*, *ego* adderent, quod desiderabant; quod vero facile cogitari potest. Vetus a me collatus codex, *egomet*; inde restitues *ego memet*. Lamb. et Davis. hoc nostro loco *med ego*, P. Manut. *me ego*, Columna in Enn. fragm. *ego med*, Hülsem. *me egisse* ediderunt. Si *egisse* placebit, habebis *histrionem in somnis*.

20. *Simul ut.* Ne *simul ut* sollicites, sæpius ita pro *simul ac* Cic. Tuscul. IV, 2, 5; cf. Drakenb. ad Liv. VI, 1, 7. At Fin. V, 9, 24, *simul et* legendum. G.

XVII. 1. *At enim dum videntur.* Quatuor mei optimi, ψ. et editæ cum Ven. 1494 multæ *quum*. At vulgata præferenda est, *dum* enim h. l. est *donec*. De hac *dum*, cum indicativo structa, exempla collegit Scheller Obss. pag. 15: *dum* tuentur ex meis Erl. et Vien. ex hoc certe nulla diversitas notatur. G. — *At enim... videmus*. Hæc est objectio.

2. *In somnis*, pro olim vulgato *in somniis*, meorum omnium auctoritate stabilitur. G.

3. *Species eorum.* Intruditur his, contra codd. et vett. edd. quum a Davisio, idque Walkero judice, *ac;* tum a Lamb. Alemanno et Ern. *horum et*, probante hoc idem Rathio. Equidem

mum interest; sed id omittamus[4] : illud enim dicimus[5], non eamdem esse vim, neque integritatem dormientium, et vigilantium, nec mente, nec sensu[6]. Ne vinolenti quidem[7] quæ faciunt, eadem approbatione faciunt, qua sobrii : dubitant, hæsitant, revocant se[8] interdum, iisque, quæ videntur, imbecillius assentiuntur; quumque edormiverunt, illa visa quam levia fuerint, intelligunt. Quod idem contingit insanis; ut et incipientes furere[9], sentiant et dicant,

incertus sum, utrum magis damnem. G.—Vertit *Castillon* : « les choses que nous voyons pendant la veille ont en songe la même apparence ».

4. *Plurimum interest : sed id omittamus.* Quum in quibusdam legatur : « primum interest. Sed id omittamus »; inde quidam collegere ibi lacunam esse; præsertim quia dicit auctor se omittere quid intersit inter species oblatas vigilantibus et dormientibus, statimque tamen de illarum differentia disserit. Sed nihil ibi desideratur : facile sententiæ congruunt, si intelligas : plurimum interest; sed ne diu de hac disseramus, sufficiat dicere non eamdem, etc. Sic *Durand* vertit : « il s'en faut bien : mais sans insister là-dessus, disons seulement »; et *Castillon*, « il s'en faut bien : mais qu'il nous suffise ici d'observer ».

5. *Illud enim dicimus. Enim* h. l. pro *autem* dici in aperto est. G. — Hobbes observat illud inter somniantem et vigilantem interesse, quod in vigilia percipiamus quam confusæ fuerint somniantium nostrum ideæ, numquam autem in somnio mens nostra attenderit quam ordinate et lucide in vigilia ideæ cohæreant.

6. *Non eamd.... esse sensu.* Id est, dormientium et vigilantium mentes et sensus minime eadem vi et integritate esse. G.

7. *Ne vinolenti quidem.* Hæc valde dubia lectio est. Nam præter Erl. ignorant omnes mei, Vien. et ψ. *quidem*, et loco *Ne* præbent Erl. Dr. Wrat. ψ *nec*. Part. *quidem* delendam esse nos sane nihil dubitamus : sed utrum *Ne*, an *Nec* scribendum sit, incerti hæremus. Nam utrumque recte pro *ne. . . quidem* poni, ambigi jure non potest; etsi quidem de *ne* apud Cicer. sic obvia Bremi ad Fin. I, 6, pag. 31, seorsum sentit. Nunc autem *quidem* intactam reliquimus, quum hanc part. ante *qu.* nonnumquam excidisse videmus; quamquam multo sæpius alibi additam. G.

8. *Revocant se.* De forma *se revocare* vide Menck. h. v. Notat hoc loco « ita hæsitare, ut simul verba proxime dicta repetas, quibus dissipata mens colligatur ». G.

9. *Incipientes furere.* Gud. præcedente *et* neglecta, *insipientes furore.* Non enim scriba videbat auctorem de ea furentis affectione loqui, quum ille, ex parte adhuc sibi conscius, visorum, animum ipsius exagitantium, a vero rerum statu, diversitatem dignoscere valeat. Vulgata, quam reliqui mei omnes servant, verissima est. G.

aliquid, quod non sit, id videri sibi[10]; et, quum relaxentur, sentiant, atque illa dicant, Alcmæonis[11]:

Sed mihi neutiquam cor consentit cum oculorum adspectu.

At enim ipse sapiens sustinet se[12] in furore, ne ap- 53
probet falsa pro veris. Et alias quidem[13] sæpe, si aut in sensibus ipsius est aliqua forte gravitas, aut tarditas, aut obscuriora sunt[14] quæ videntur, aut a perspiciendo temporis brevitate excluditur. Quamquam totum hoc, sapientem aliquando sustinere assensionem, contra vos est. Si enim inter visa nihil interesset, aut semper sustineret, aut numquam. Sed ex hoc genere toto perspici potest levitas orationis eorum[15], qui omnia cupiunt confundere: quærimus

10. *Aliquid... id videri sibi.* Ejecit Lamb. *id*, probante Rathio. Sed *id* cum vi aliqua additur; cf. Off. I, 10, 3. Et sic multis locis. G.

11. *Alcmæonis.* Wetzel dudum errorem Ernesti correxit, quo hic in Clave, hoc sub nomine, Pythagoreum illum intellexerat; qui huc plane nihil pertinet. Ennii fabulam cognominem notari, testatur Nonius ad v. *Jamdiu*, ubi ipsa laudatur. Quid? Cicero ipse eamdem laudat Fin. IV, 23, 62. Festus hunc versum excitat in v. *Neutiquam*: qui tamen ex h. l. maximam partem restitutus est. — In ipso hoc versu malim *mi* scribi: sic enim vett. poetæ latini, vel voce correpta. G.

12. *Sustinet se.* Int. sustinet assensionem suam, judicium suum; cavet ne temere judicet.

13. *Et alias quidem.* Nisi præcedentia se ipsa ex inciso dicta proderent; tamen id subjectæ partt. *Et... quidem* indigitaturæ essent; quæ fere (ut primus docuit Matthiæ Miscell. Philoll. II, P. I, pag. 102) hæc diverbia excipiunt; quæque multis adhuc locis in auctore distinguenda sunt. Sic v. c. Or. 50, 168. G. — Vertit *Castillon*: « mais le sage, durant la fureur, suspend son jugement, afin de ne pas admettre le faux pour le vrai : sans doute; comme il le suspend souvent dans d'autres occasions, etc. »

14. *Aut obscuriora sunt.* Lambin. post *aut*, *si* addi cupit : sed ante part. *aut* nil, nisi colo interpungendum erat, quod fecimus. Sæpe sic auctor constructionem mutat, *aut* iteratis vicibus posita : in primis si ea, ut h. l. varia cum relatione dicitur. G.

15. *Sed ex hoc genere toto perspici potest levitas orationis eorum.* Hüls. delevit *orationis*. Gœrenz dat *tota* pro *toto*. In hoc, inquit, si vel parum de sono observatum habebis, recte offendes : scribendum enim tum, « sed ex toto hoc genere ». At *tota*, quod fr. cod. Dr. Wrat. Vin. 1494, aliæque exhibent, egregie et ad sonum et ad

gravitatis, constantiæ, firmitatis, sapientiæ judicium[16]: utimur exemplis somniantium, furiosorum, ebriosorum[17]. Illud attendimus[18], in hoc omni genere quam inconstanter loquamur. Non enim proferremus vino, aut somno oppressos, aut mente captos, tam absurde, ut tum diceremus interesse[19] inter vigilan-

sensum convenit. *Totus* enim ubique ponitur, ut cum *penitus*, *prorsus* idem valeat, v. g. in forma *totus est in eo, ut*, etc. atque ita ex sua natura præpositum videbis. Sensus totius loci hic est: « Sed hac ex re penitus se prodit, quanta levitate disputent, ii nempe, qui omnem veri cognitionem labefactam cupiunt ». G.

16. *Quærimus... judicium*. Id est, « Nos in eo, quum de κριτηρίῳ virtutis (quæ in gravitate, const. sap. cernitur) agimus, Academicorum causa, somniantium, furiosorum, ebriorum exemplis uti cogimur ». Sponte igitur apparet, haud bene in vulgatis, ante *quærimus*, puncto maximo distingui. G.

17. *Ebriosorum*, cui mei omnes consentiunt, cum Ern. servavi, cujus loco Davis. *ebriorum* ex uno suo correxerat. Sed hoc et ex compendio facile nasci potuit, et illud h. l. invidiam loci auget: supra *vinolenti* dicebantur. G.

18. *Illud attendimus... loquamur*. Gœrenz dat: « Num illud attendimus... loquamur? » Ausi sumus, inquit, aliquid, quum loco affecto alio quo modo mederi non possemus. *Num* de nostro addidimus. Viderunt jam ab Ursino inde intt. locum non esse integrum; qui *Nec illud att.* suadebat, quod alii in texta receperunt. Davis. *non* indi maluit. At Guietus propius ad verum accesserat, quum hæc verba in interrogatione poni juberet. Sed quo jure hæc nuda sic accipi liceat, ipse viderit. Olim vulgati *attendamus;* sed haud dubie ex ingenio. *Num* ab ultima vocis antecedentis syllaba hauriri facilime potuit, quum ejus comp. sit vel *nū* vel *nn̄*, unde etiam cum *unde* et *nimirum* confunditur. Omitti autem eo facilius potuit, quoniam librarii non videbant, *nec* h. l. pro *ne... quidem* dici. G.—Servata lectione vulgata, intelligi potest: « illud attendimus quam inconstanter nos loqui cogant adversarii nostri; nam, si non adeo incongruentes essent eorum opiniones, non ad id adduceremur ut proferremus, etc. » Gallicus interpres vertit quasi esset *damus...proferemus*.

19. *Ut tum diceremus interesse... tum nihil interesse.* Viri docti, *quum* pro *tum* admittendo, totum locum ambiguum reddiderant, ut vix bis, vel ter legendo, certum ejus tenorem arripere posses. Codd. scilicet sequebantur, quorum in his, hoc maxime loco, auctoritas concedi nulla debet: quippe quæ certæ legi adstricta sint. Ita auctor, « tum hoc, tum illud dicit; tum antevertens, tum subsequens; tum græce, tum latine; approbationem tum adjungi, tum non adjungi, etc. » Qui secus vel ipse scripserit, vel ex codd. omnibus Ciceronem sic scribere fecerit; is certissimo vitio peccabit. At recte ante Grut. vulgatum, *ut tum*, est; nec aliter Davis. et Olivet. Ernesti igitur culpa est, quod Grutero paruerit. G.

tium visa, et sobriorum, et sanorum, et eorum qui essent aliter affecti; tum nihil interesse.

Ne hoc quidem cernunt, omnia se reddere incerta, 54
quod nolunt. Ea dico incerta, quæ ἄδηλα Græci[20]. Si enim res se ita habeant[21], ut nihil intersit, utrum ita cui videatur, ut insano, an sano[22], cui possit exploratum esse de sua sanitate? quod velle efficere, non mediocris insaniæ[23] est. Similitudines vero aut geminorum[24], aut signorum annulis impressorum, pueriliter consectantur. Quis enim nostrum similitudines negat esse, quum eæ plurimis in rebus appareant? Sed, si satis est ad tollendam cognitionem, similia esse multa multorum, cur eo non estis contenti, præsertim concedentibus nobis? et cur id potius contenditis[25], quod rerum natura non patitur, ut non suo

20. Ἄδηλα *Græci*. Ἄδηλα proprie Latinis sunt, « quæ non liquent » : sed Cicer. simplicem vocem et malebat, et malle debebat. G.

21. *Si enim res se ita habeant*. Gœrenz dat : *habet*. Nisi plane, inquit, fallimur, duplex vitium unum verbum *habeant*, quod vulgatur, occupavit. Neque potuimus non, quin *habet* corrigeremus. Nam primum non dicunt Latini, « si res se ita habent, etc. » sed *habet* : complectitur enim hæc dictio semper totum contextum, ut vel sua natura numerantis non sit. Deinde quis umquam subjunctivum formæ huic additum vidit? Dresd. *sese*. Per se quidem non male; quum scribæ sæpe duplex hoc in simplex contrahant. Sed in hac, et similibus formis, v. c. « res sic se habet, etc. » hoc duplicatum poni, a nobis certe observatum non est.

22. *Ut insano, an sano*. In quibusdam codd. *an ut sana*; e nostris autem ejus loco Gud. V. et edd. vett. nonnullæ, v. c. Ven. 1494. Ascens. utraq. etc. *aut sano*. Sed vidimus alibi, *an*, si ad interrogationem ponitur, varimode vel suppleri, vel mutari. At amat auctor *ut* repetitam, quale etiam sæpius vidimus; et potest *aut* ex *an ut* facile ortum suum trahere. Idque magis etiam arridebit, si reputaris, *ut* pro *tamquam* poni h. s. « sive insanus sit, sive sanus ». Sed et exemplum, quod proxime huc faciat, ignoro, et reliqui mei omnes vulgatam sequuntur. G.

23. *Insaniæ*. Sic omnes mei *insaniæ*, pro olim vulgato *insania*, recte repositum esse confirmant. G.

24. *Similitudines vero aut geminorum*, etc. Hæc pridie, in *Catulo*, disputata esse, ex pluribus hujus libri locis, idque maxime infra 25, 79, patet : unde h. l. ista modo ὡς ἐν παρόδῳ notantur. Vide § 56. G.

25. *Et cur id potius contenditis*. Transverso ordine, Gud. Ven. 1494, « cur potius id contenditis ». Sed ne forte *potius* h. l. ob vagam sedem de-

quidque genere[26] sit tale, quale est? nec sit in duobus, aut pluribus, nulla re differens ulla communitas[27]? Ut sibi sint[28] et ova ovorum, et apes apium simillimæ: quid pugnas igitur? aut quid tibi vis in geminis? Conceditur enim similes esse; quo contentus esse potueras. Tu autem vis eosdem plane esse, non similes[29]; quod fieri nullo modo potest. Dein confugis ad physicos eos, qui maxime in academia irridentur[30]; a quibus ne tu quidem jam te abstinebis:

lendum putes, *et... potius* pro *sed* vel *imo potius* ponitur; cf. Heusingg. ad Off. III, 6, 16. G.

26. *Ut non suo quidque gen.* Consulto *non* præmissa est, ut primariam sententiæ vim contineret. G.

27. *Nec sit in duobus, aut pluribus, nulla re differens ulla communitas?* Gœrenz dat: « nec sit in duobus, aut pluribus, ulla, re differens, communitas ». Vehementer, inquit, se torquent h. l. VV. DD. in vulgata; et, præter Ern. qui rem sicce transmittit, fere cum Lambino faciunt, qui *nulla,* pro *ulla*, correxit. Atque ita sane nobis quoque mutandum foret, si ullo modo, sic scribere Ciceronem potuisse, credere liceret: nam is prius, aures se habere, neget, qui hæc in sanis poni velit. Equidem certissimus sum, veram scripturam esse, « ulla, re differens, communitas ». Scribæ, qui non viderent, *ulla* a *re* disjungendum et ad *communitas* referendum esse, pro suo captu, loco, quem affectum putabant, suppetias tulerunt. *Re* autem etiam alibi *opinioni* opponitur. Cf. Orat. 23, 76. Et hac ipsa vi h. l. auctor vocem capi voluit, ut clare docent verba proxime præmissa, « suo quidque genere tale, quale est ». Aperte igitur hujus se prodit correctionis veritas. Statuebat autem Antiochus cum Stoicis, ne binas quidem res ita inter se similes esse, ut sint eædem: quod Academici non admittebant. Reliqua ex contextis patent.

28. *Ut sibi sint... simillimæ: quid pugnas igitur?* Gœrenz dat: « ut sint... simillimæ, quid pugnas igitur? » Omisimus, inquit, cum fr. cod. *sibi*, quod vulgata post *ut* addit, cujus loco Gud. *igitur* præbet; ex quo vel ipso scribarum manum agnoscas. Quænam enim ista dicendi ratio est, « sibi ova ovorum. . . simillimæ? » Lambinus, qui etiam offendit, *at tibi sint* scribit. Davis. autem conjicit, *at si vis, sint*, sed nostra ratio probatior, idque maxime, quum Cantabr. et fr. cod. *ulla* ignorent. Ubique autem scribæ turbant, si *ut* pro *utut*, aut *si vel maxime* dicitur, ut hoc loco. Cf. Legg. I, 14, 40. Ceterum male ante *quid pugnas* puncto maximo distinguebatur.

29. *Plane esse, non similes.* Gud. cum Ascensianis et aliis vetus excusis « esse plane non similes », quod utique melius est. Sed reliqui mei stant a vulgatis. G.

30. *Irr. a q.* etc. *Irridentur* invidiose dicitur, quippe quibus academici recentiores sua decreta injungerent. *Re* igitur *irridebantur* illi, quum hi iis abuterentur ad suam sententiam con-

et ais Democritum[31] dicere, innumerabiles esse mundos, et quidem sic quosdam inter se[32] non solum similes, sed undique perfecte et absolute ita pares, ut inter eos nihil prorsus intersit, et eos quidem innumerabiles[33]; itemque homines. Deinde postulas, ut, si mundus ita sit par alteri mundo, ut inter eos ne minimum quidem intersit, concedatur tibi, ut in hoc quoque nostro mundo aliquid alicui par sit[34], ut

firmandam. G. — *A quibus ne tu quidem jam te abstinebis.* Hæc Gœrenz parenthesi includit. His, inquit, verbis demum suam vim reddidimus, quum ea parenthesi inclusimus : sunt enim ad Ciceronem directa, qui ad hæc ipsa responsurus erat, quum pridie idem multa contra sensus disseruisset; vide infra, 25, 79. In reliquis ad hesternam disputationem respicitur; in his autem ad ea, quæ Cicer. Lucullo respondens, forte dicturus esset. Crat. « ne tu jam quidem ». Malim equidem, « ne jam quidem tu te abst. » Erl. enim vere *tute*, quamquam in reliquis vulgatam sequitur. Sæpe auctor *ego me, tu te*, etc.

31. *Democritum.* Ex Eleaticis fuit Democritus, Leucippi successor, vir magni ingenii. De natura et animi viribus acute cogitavit, et scepticis nova arma præbuit, tum *visa* vera esse negabat. Vid. Tiedem. *Geist der spek. Philos. Th. I, S.* 263, 285, ubi fontes doctrinæ Democriteæ laudantur. Ejusd. *Syst. der Stoi. Philos. Th. I. S.* 139. Zwanz. pag. 43, not. et pag. 128. H.

32. *Inter se.* Gœrenz dat : *inter sese.* Sic, inquit, expresse Erl. Reliqui mei et Ven. 1494, « inter se esse »; quod quidem ferri aliquo modo possit; sed tamen rectius ex *sese* corruptum putari debet. Cf. Orat. II, 23, 94.

33. *Et eos q. innumerabiles.* Gœr. dat : « et eo quoque innumerabiles ». Hærent, inquit, in his et scribæ, et VV. DD. Codd. plerique omnes cum meis *et eo quidem;* omittuntque etiam *et*, cum pluribus aliorum, Gud. Wrat. ψ. Sed fr. cod. *quoque* cum St. Victoris refert, quod equidem amplector, reliqua vulgatæ servans. Nam si cum P. Manut. et Lamb. (quibus adhæsit Hülsemann.) hæc ipsa verba deleris, nescies unde inferius *innumerabiles Catuli?* quum auctor *quosdam* ex innumerabilibus mundis simillimos dixerit. Si cum Davis. « eoque innumerabiles item homines » malueris; non sequetur, ut hi sint etiam *iidem.* Donec igitur meliora exspectantur, hanc nos lectionem, ut optimam, commendamus. Nam necessario auctor addere debebat, Democritum illos, quos simillimos, et plane pares mundos dixerat, eosdem etiam dixisse innumerabiles. Cf. infra 40, 125. *Eo* denique pro *inde* poni satis constat.

34. *Par sit.* Gœrenz dat : *sic sit par.* Parendum fuit, inquit, Davisianis quatuor nostrisque omnibus : modo quod Erl. (cum quo Ven. 1494 stat, aliæque vett. plures), *sic par sit* præbet. Loci enim vis non in *sit*, sed in *par* est; præcessit etiam paucis ante *ita sit par;* et denique causa, unde *sic* exciderit, facile inde cernitur, quum h.

nihil differat, nihil intersit. Cur enim, inquies, quum ex illis individuis[35], unde omnia Democritus gigni affirmat, in reliquis mundis, et in his quidem[36] innumerabilibus innumerabiles Q. Lutatii Catuli non modo possint esse, sed etiam sint; in hoc tanto mundo Catulus alter non possit effici?

56 XVIII. Primum quidem me ad Democritum vocas, cui non assentior; potiusque refellam[1], propter id, quod dilucide docetur a politioribus physicis[2], singularum rerum singulas proprietates[3] esse. Fac enim antiquos illos Servilios[4], qui gemini fuerunt, tam similes, quam dicuntur: num[5] censes etiam eosdem fuisse? Non cognoscebantur[6] foris; at domi. Non ab

part. toties ante, vel post *sit* neglecta reperiatur: quæ h. l. ægre desiderabitur.

35. *Individuis. Individua* autem illa sunt ἄτομοι, quibus alibi *corpora*, vel *corpuscula* addit, Fin. I, 6, 17; N. D. I. 24, 67. G.

36. *Et in his quidem innumerabilibus.* Egregie errat Davis. (quem sequitur Hülsem.) quod verba « et in his quidem », minus bene se habere putat, quam *et iis quidem*, prout ex uno Cantabr. correxit. Delenda modo virgula post *innumerabilibus* erat, ut tacite Ern. fecit: sic vulgatam multo potiorem agnosces. Ceterum in *Catulis* illis respicitur ad eum, qui et huic sermoni intererat, et priori nomen dederat. G.

XVIII. 1. *Potiusque refellam.* Goerenz dat: *potiusque refello.* Ita, inquit, Davisianorum 6 meorumque 4. Recte: *que* enim disjunctiva est; cf. Off. I, 26, 9: « neque excludentes ab ejus usu suos; potiusque et amicis partientes et reip. » Altera lectio, quæ ante Davis. vulgabatur, *refellam*, cui accedit Erl. et ψ. orta videtur ex eo, quod scribæ ex communi comp. *potius quam* legebant, ut refert Dr.

2. *Physicis.* Gud. non *physicis*, sed *philosophicis.* Perperam. Sic enim sæpenumero in communi utriusque vocis nota *phycis* librarii peccant. G.

3. *Singularum rerum singulas proprietates.* I. e. παντὶ ἑκάςῳ διακριτικόν τι παρεῖναι. Omittunt bini mei vocem *singulas;* sed in hac forma, qua auctor Platonem imitatur, sæpissime accidit ut scribæ alterutrum adjectivum omittant. G.

4. *Antiquos... Servilios.* De Serviliis, cf. infra 26, 84. *Antiqui* dicuntur; nam natu minor consul fuit 501, et iterum 505. G.

5. *Num.* Gud. et fr. cod. pro *num*, *unde.* Sed jam supra 14, 43, idem vitium, ex eodem compendio natum, vidimus. G.

6. *Cognoscebantur.* Malunt Walk. *internoscebantur*, Davis. *dignoscebantur.* Sed quos recte *cognoscis*, eosdem facile etiam *dignosces.* Vide nos infra 26, fin. G.

alienis; at a suis. An non videmus, hoc usu[7] venire, ut quos numquam putassemus a nobis internosci posse, eos, consuetudine adhibita, tam facile internosceremus, uti ne minimum quidem[8] similes viderentur? Hic, pugnes licet, non repugnabo: quin 57
etiam concedam, illum ipsum sapientem, de quo omnis hic sermo est, quum ei res similes[9] occurrant, quas non habeat denotatas[10], retenturum assensum; nec umquam ulli viso assensurum, nisi quod tale fuerit, quale falsum esse[11] non possit. Sed et ad ceteras res habet[12] quamdam artem[13], qua vera a falsis possit distinguere; et ad similitudines istas usus adhibendus est[14]. Ut mater geminos internoscit consuetudine oculorum: sic tu internosces, si assueveris.

7. *An non... usu venire.* Gud. Wrat. cum edd. vett. pluribus *at*, Erl. *aut* pro *An* exhibent. Sed ubique fere lacessi a scribis *an* in interrogatione solet. Deinde vult Davis. *venisse* corrigi. Sed est hic infinit. perf. græci loco, et recte per *venire solere* explicatur. G.

8. *Uti ne minimum quidem similes.* Gud. Dr. Wrat. ψ. omittunt *uti*. Cujus vitii causam nullam aliam videmus, nisi quod sæpissime in codd. *ut* ante *ne* omissam deprehendimus. Idque vel inde nonnihil probabilitatis accipit, quod Ven. 1494, *ne* ignorat, *ut* retenta. *Esse* autem, post *similes* vulgo additum, recte h. l. Ern. Davis. præeunte, rejecit; neque nostrorum, præter Erl. ullus id servat. Nam amant scribæ post *similis* verbum substant. addere: sic brevi ante ex codd. nonnullis Lamb. et Davis. « tam similes fuisse, quam dicuntur », sed recte Ern. vulg. reposuit, respuentibus v. *fuisse* item meis omnibus. G.

9. *Quum ei res similes.* Gud. et Erl. *ei* post *similes* ponunt: equidem pron. ut a scribis additum, delendum esse statuo. G.

10. *Denotatas.* Gud. fr. Cod. et Erl. *dinotatas*, quod vix videtur a scribis profectum, licet Lexica h. v. prorsus ignorent. *Denotare* autem vere pro simplici *notare* sæpius. Cf. Leg. Man. 3, 7, etc. G.

11. *Quale falsum esse non possit.* Gœrenz delet *esse*. Quippe quod, inquit, fr. cod. et Erl. ignorent, Gud. autem et vett. edd. cum Ven. 1494, plures, *esse falsum*, transponant. Accedit, quod h. l. v. infinito nihil plane opus sit.

12. *Sed et ad ceteras res habet.* Sc. *sapiens.* Addidimus partic. *et*, cui altera paullo post respondet. Sic jubent fr. cod. Wrat. Vien. et ψ. Et recte jubent: nam « et ... et », i. q. non solum, sed etiam. Cf. supra 16, 48, et sæpius. G.

13. *Quamdam artem.* Κριτήριον intelliges. G.

14. *Adhibendus est.* Int. eidem, i. e.

Videsne[15], ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo? tamen hoc accepimus, Deli fuisse complures (salvis rebus illis[16]), qui gallinas alere permultas quæstus causa solerent: hi quum ovum inspexerant,
58 quæ id gallina peperisset, dicere[17] solebant. Neque id est contra nos[18]: nam nobis satis est, ova illa internoscere[19]. Nihil enim magis assentiri potest[20], hoc

sapienti. Verbum *est* futuro part. junctum ignorat Ven. 1494. G.

15. *Videsne*. Malim *Vides*, *ne* cum interrogatione sublata : nimis enim sæpe hæc particula huic verbo adhæsit, quo Cic. Platonicum ὁρᾷς imitatur. G.

16. *Salvis rebus illis*. Id est, quum salvæ adhuc res essent Deli. Nihil igitur in *illis* (quo remota illa floris Deliacorum tempora indicantur), Gulielm. Davis. et Durand. hærere debebant. Explicanda potius hæc verba erant, quæ per se non intelliguntur. Erat igitur olim Delos insula, ex quo tempore Romani Corinthum delerant, commune quasi Græciæ emporium; cf. Strabo X, p. 247; Cicero pro L. Manil. 18, 55. Sed bello Mithridatico (667) expugnata est hæc insula, gravique calamitate afflicta. Cf. Appian. Mithr. c. 28. G.

17. *Dicere*. Crat. et Hervag. *discernere*. G.

18. *Neque id est contra nos*. Turbant quidem in his codd. Gud. Dr. Wr. pro *id est, idem*, et Dr. Erl. ψ. *vos*. Sed prius ubique sic per comp. pravant scribæ; et in hoc numquam non variant. Nihil igitur in se continent, unde aut Guietus ea de glossemate suspecta habere, aut Davis. vitiata judicare possit; sic ut hic « Atque id est contra vos », suadeat. Recte locum explicat Lamb. Academici enim objiciebant similitudinem ovorum. Conf. § 54. Quam nihil contra rem suam facere Lucullus dicit, quum satis sit, si tamen ova internosci, ut Deliaci exemplum doceat, possint. Cf. infra 26, 86. G.

19. *Ova illa internoscere*. Post *illa* addunt *non* Gud. Erl. Vien. sed intempestive: non enim scribæ capiebant infinit. activi tempus. G.

20. *Nihil enim magis assentiri potest*. Gœrenz dat : *n. e. m. ass. par est.* Grata sane, inquit, mente accipienda emendatio fuit Davisii, qua loco vulgati *potest*, *par est* commendat. Et nos quidem sæpius in scriptis *par est* in *potest* corruptum deprehendimus. Ita v. c. Top. 4, 23. Ernesti vero ratio, *assentiri possum* suadentis, manca est. Nam si *regulam habes*, quam sequaris, tum non *potes* eam sequi, sed *par est*, ut sic facias. Sens. autem totius sententiæ hic est : « Æque enim convenit assensum cohibere in eo, ut statuas, hoc ovum illud illius gallinæ esse, ac si inter illa ova plane nihil interesset. Regulam enim hanc sequendam habeo, ea modo visa in veris ponenda esse, quæ falsa esse nequeant ». — Vertit *Leclerc*, qui in emendando Davisii correct. *par est* sequitur : « Cette ressemblance n'est point contre nous; car il nous suffit de pouvoir les distinguer ; et quand je dis : C'est celui-là, je ne suis pas plus obligé de donner mon assentiment à cette idée, que s'il n'y avait aucune différence entre eux ».

illud esse, quam si inter illa omnino nihil interesset. Habeo enim regulam, ut talia visa vera judicem, qualia falsa esse non possint[21]. Ab hac mihi non licet transversum, ut aiunt, digitum discedere, ne confundam omnia. Veri enim et falsi non modo cognitio, sed et natura tolletur[22], si nihil erit, quod intersit: ut etiam illud absurdum sit, quod interdum soletis dicere, quum visa in animis imprimantur[23], non vos id dicere, inter ipsas impressiones nihil interesse, sed inter species et quasdam formas[24] eorum. Quasi vero non specie visa judicentur: quæ fidem nullam habebunt, sublata veri et falsi nota. Illud vero perabsur- 59

21. *Qualia falsa esse non possint. Possint* refertur ad illud criterium, quod, ut suæ sectæ proprium, Lucullus oblique pronuntiat : si *possunt* communis lectio esset, ex sua ipsius sententia hæc dixisset; non aliorum decretum laudans. Nos autem h. l. subjunct. ideo probamus, quod, sic scribas mutasse, probabile non sit. G.

22. *Sed et natura tolletur.* Gœrenz dat, *sed etiam*. Vulg. *sed et*, inquit, h. l. per se contemnendum non est, quum *et* pro *adeo* positum putari possit. Sed clare *etiam* exhibent fr. cod. Erl. Dr. et vett. edd. plures, unde, *et* per compendium natum esse, intelliges. In repetita autem hac part. ne hæreas. Cf. supra 4, 10, cll. Nat. Deor. II, 52, 130; Legg. III, 2, 4. At tum alterutra *adeo* valere debet, ut h. l. posterius posita. *Naturam* autem ita *tolli* puta ex Stoicorum mente, qui eam *vim* dicunt « participem rationis et ordinis, tamquam via progredientem, declarantemque, quid cujusque rei causa efficiat, quid sequatur ». Cf. Nat. Deor. II, 32, 81. Talis enim natura homini idem erit, ac si non sit, si inter verum et falsum nihil intersit.

23. *In animis imprimantur.* Ern. verum vitium reposuit *animos*, cujus loco jam Lamb. *animis* scripserat, quod deinde Parisino 3, confirmatum Davis. dedit. Præter loca quæ Davis. laudat, cf. etiam supra 11, 34, et Legg. I, 11, 30. Eodemque modo infra 26, 86 : « in cera imprimere » dicitur : atque ita omnibus in locis, nisi si quem librarii suam latinitatis normam sequi coegerunt. G.

24. *Inter species et quasdam formas eorum.* Sollicitat Walk. « quasdam formas », « quasi f. » corrigens probante Davisio. Sed subinde vidimus *quidam* æque emollire audacius dicta. Hoc autem loco *formas* crassius dictum foret, si propria vi, non accommodate positum, acceperis. G.—Dicebant Academici non easdem esse impressiones, quia res variæ oculis oblatæ re ipsa variam dant perceptionem, sed nihil interesse inter earum formas, sive species. Nos enim, quum diversas res vicissim videmus, easdem videre credimus, nec possumus eas distinguere :

dum, quod dicitis, probabilia vos sequi, si re[25] nulla impediamini. Primum qui potestis non impediri, quum a veris falsa non distent? Deinde quod judicium est veri, quum sit commune falsi? Ex his illa necessario nata est ἐποχὴ[26], id est, assensionis retentio[27]; in qua melius sibi constitit Arcesilas, si vera sunt, quæ de Carneade nonnulli existimant. Si enim percipi nihil potest, quod utrique visum est; tollendus assensus est. Quid enim est tam futile, quam quidquam approbare non cognitum? Carneadem autem etiam heri audiebamus solitum esse delabi[28] interdum, ut diceret, opinaturum[29], id est, peccaturum[30]

quod accidit si unum et alterum ovum cui vicissim ostendes: quamquam duo viderit reipsa, idem vidisse se putabit: nec merito hanc opinionem Academicorum Lucullus absurdam dicit.

25. *Si re nulla*. Vien. et Dr. *nulla re;* Erl. *re* ignorat. Sed utrinque peccant. Sensus totius contextus hic est: « In eo vero male vobis constatis, quod vos vestra πιθανὰ sequi dicitis, nisi re aliqua impediamini. Sed primum impediamini necesse est, si inter vera et falsa (ut dicitis) nihil interest: deinde qui potest criterium veri locum habere, si verum et falsum concidant? » G.

26. Ἐποχή. Gallice verti posset *l'arrêt philosophique.*—De ἐποχῇ disseruit docte Tied. *Syst. d. Stoi. Philos. Th. I, S.* 106. Zwanziger, p. 146. Vid. et not. ad Euseb. præp. ev. lib. XIV, p. 732, edit. Colon. H. — Vid. Pet. de Valentia Academ. lib. V, § 52.

27. *Id est, assensionis retentio.* Etiam hæc verba P. Manut. et Lamb. de glossa suspecta habent: quasi umquam Cic. his in philosophicis græcam vocem ponat, cui interpretationem non addi-tam videas; nisi forte ubi eam intt. sua sponte sustulerunt. G.

28. *Solitum esse delabi interdum.* Gœrenz dat: « solitum esse eo del. i. » Vulgata, inquit, *eo* caret; nec agnoscunt part. scripti editique vett. Lamb. *huc* ante *solitum* addit; Davis. mavult *eo labi.* Ern. verbo *esse* ejecto, *eo* substitui jubet. Wetzel dedit *eo delabi*, *esse* abjecto. Lepide Hülsem. quorsum? rogat: tamquam ita Cicero ex solito! Vellem vel uno loco ille hoc quorsum suum stabilisset: sic enim ἄθετον erit. Affectum, ex vulgata, locum recte putabis; sic tamen facillime sanandum, ut *eo* post *esse* elapsum judices: inter *e* enim et *d*, *eo* non excidere non potuisse, vides. *Esse* male cum Davis. et Wetz. delebis, quum verbo subst. res accuratius exposita indicetur: quod factum pridie esse, valde probabile est, quum ejus hoc in libro modo aliud agendo mentio fiat.

29. *Opinaturum. Opinari* est, ut in sequentibus auctor declarat, assentiri rei falsæ vel incognitæ.

30. *Id est, peccaturum.* Scripti plures, *idem* v. *item.* Sed librarii non

esse sapientem. Mihi porro non tam certum est, esse aliquid, quod comprehendi possit, de quo[31] jam nimium etiam diu disputo, quam sapientem nihil opinari[32], id est, numquam assentiri rei vel falsæ, vel incognitæ.

Restat illud, quod dicunt, veri inveniendi causa 60
contra omnia dici oportere, et pro omnibus. Volo igitur videre, quid invenerint[33]. Non solemus, inquit, ostendere[34]. Quæ sunt tandem ista mysteria? aut cur celatis, quasi turpe aliquid, sententiam vestram[35]? Ut, qui audient[36], inquit, ratione potius, quam auctoritate ducantur. Quid si utroque? num

videbant, *id est* notare h. l. « quod nihil aliud est, quam ». G.

31. *De quo jam nimium etiam diu disputo.* Lambin. transposite, « jam etiam nimium diu »: sed multo vulgata deterius, quum *etiam*, vim loco addens, *adeo* notet. Orat. 52, 175. G.

32. *Quam sapientem nihil opinari.* I. e. « Mihi hoc adeo certius persuasum est, sapientem nihil opinari, quam certus sum, vere esse, quæ comprehendi (καταλαμβάνεσθαι) possint ». Zeno nempe sapientem δοξάζειν vetabat, i. e. rem, vaga conjectura arreptam, pro vera et certa habere. Laert. VII, 121: μὴ δοξάσειν τὸν σοφὸν, τοῦτ' ἔστι ψευδεῖ μὴ συγκαταθήσεσθαι μηδενί. Nihil igitur hoc in loco inest, quod vitii suspicionem moveat. G. — *Castillon* vertit: « Je sais qu'il y a des choses qu'on peut comprendre, article que je crois avoir assez et trop débattu; mais je suis encore plus sûr qu'un sage n'admettra jamais une chose fausse ou inconnue ».

33. *Quid invenerint.* Sc. *veri.*

34. *Non solemus, inquit, ostendere.* *Inquit* pro *inquiunt* positum puta. Cf. Legg. II, 23, 59, ibid. 24, 60. Reconditam autem habebant, ut Academici omnes, ita maxime hi ab Arcesila, quam ipsi fovebant de rebus sententiam; discipulis eam modo probatioribus recludentes. Verbo autem *ostendere* græcum ἐπιδεικνύναι expressum est. G. — De duplici Academicorum doctrina, vid. Augustin. c. Acad. lib. III, 20; Numenium ap. Euseb. l. c. XIV, 8; Reichard ad Cic. ad Attic. tom. III, p. 53. H.

35. *Aut cur celatis.... sententiam vestram.* Constat nonnullas veterum phil. sectas duplicem habuisse doctrinam, alteram quam omnibus aperirent, alteram quam vulgo non permitterent, servarentque conditam. Cf. Pfaffius Premit. Tubing. II, p. 159; Fabric. Bibl. antiq. cap. 31, § 5; Strab. l. XV, p. 490; Jablonski. pro leg. p. 114; Proclus, in Tim. Plat. lib. III; Salmas. Comm. de Simplicio, p. 224-226; Aul. Gell. XX, 5.

36. *Qui audient*, οἱ ἀκούσοντες, hac voce discipuli notantur. Malis forte *audiant;* sed sine justa ratione; de horum autem futurorum relatione sæpius et egimus, et agendum habebimus. G.

pejus est[37]? Unum tamen illud non celant[38], nihil esse, quod percipi possit. An in eo auctoritas nihil obest[39]? Mihi quidem videtur vel plurimum. Quis enim ista tam aperte perspicueque et perversa et falsa sequutus esset, nisi tanta in Arcesila, multo etiam major in Carneade et copia rerum, et dicendi vis fuisset?

61 XIX. Hæc Antiochus fere[1] et Alexandriæ tum et multis annis post, multo etiam asseverantius[2], in Syria quum esset mecum, paullo ante quam est mortuus[3]. Sed jam confirmata causa, te, hominem amicissimum (me autem appellabat), et aliquot annis minorem natu, non dubitabo monere. Tune, quum tantis laudibus philosophiam[4] extuleris, Hortensium-

37. *Quid si utroque? num pejus est?* Sequuti nos quidem sumus Davis. qui ex binis ejus (cum quibus etiam Regius Allemanni facit), sic pro vulgato, quod nihil est, edidit; sequente eum Ernesto. Sed non reprobanda Dresdani cod. lectio *utrinque* videtur; unde facile videas, quo modo vitium natum sit. Certe æque probum videtur h. l. « quid? si ab utraque parte ducantur? » quam « utroque modo duc. » Verba deinde, « num pejus est? » idem valent, atque « nonne æque bonum est? » et eo quidem sono, quo, hoc melius esse, significetur. G.

38. *Celant.* Tres mei *celamus* peccant; unde Gulielm. *celamur* elicit. Bene; et vulgata melius, quum sic ironiæ quædam umbra, quæ his verbis adest, clarius se prodat: quamquam vulgata ipsa ferri potest. G.

39. *An in eo auctoritas nihil obest.* Id est: « si vel hoc unum decreti loco ponunt, nihil posse percipi ». G.

XIX. 1. *Hæc Antiochus fere et Alexandriæ tum*, etc. Intelligendum, Iis fere usus est sententiis et verbis Antiochus.

2. *Asseverantius.* Fr. cod. et Erl. *asseveratius.* Sed hoc, ut positivus ejus, *asseverate*, serioris ævi est, ut ea ne apud Ciceronis quidem imitatores, Plin. et Lactant. deprehendas. Sens. « multo severius (v. gravius, acrius), adeo hæc tractavit ». Supra dixerat auctor, Antiochum Academiam novam *acrius* impugnasse, quam olim defendisse. G.

3. *Quam est mortuus.* Ita æque omnes mei consentiunt. Ante Davisium perverse *esset* legebatur. Si autem res ipsas spectas, diversa tempora notantur, inter Luculli præsentiam *Alexandriæ*, ubi quæstor fuit; et in *Syria*, quo ut Ciliciæ proconsul, cum imperio adversus Mithridatem missus erat 680-687. Satis etiam accurate inde Antiochi obitum a VV. DD. ad annum 686 referri, vides. Cf. Tennem. *Gesch. der Philos.* tom. IV, p. 144. G.

4. *Quum tantis laudibus philoso-*

que nostrum dissentientem commoveris, eam philosophiam sequere, quæ confundit vera cum falsis, spoliat nos judicio, privat approbatione, omnibus orbat sensibus[5]? Et Cimmeriis quidem[6], quibus adspectum solis sive deus aliquis, sive natura ademerat,

phiam . . . commoveris. En verum sane dialogorum licentiæ in ἀναχρονισμοῖς, quos vocant, exemplum : nam hæc de prioris diei sermone accipi, quum aliis ex causis non licet, tum etiam, quod sic haud dubie auctor vocem *pridie* addidisset. Intelligitur ergo his verbis liber, quem Hortensii nomine Cic. in philosophiæ laudem scripserat, post Hortensii ipsius mortem editus. Id quod dudum VV. DD. a Chapmanno inde (vid. hujus dissert. de ætate Cic. libb. de Legg. Cantabr. 1741), recte viderunt. Cf. Bremi de fato, p. 2, etc. At in eo hic se Anglo illi nimium sequacem præbuit, si illius exemplo, Hortensium plus quam duodecim annis ante editum librum, huic cognominem, mortuum statuit. Ita scilicet hic liber, quem toties *vivus Cicero* editum a sese, narrat, certe *quinque* annis post *Ciceronem mortuum* editus esse debebit. Obiit enim Hortensius L. Paulo, C. Marcello consulibus, Cf. Brut. 64, 229, i. e. 703. Cicero autem ipse 710. Facile inde apertum calculi vitium deprehendes. Dudum autem ante hos Academicorum libros Hortensium illum emissum putare licet. Etenim tum in hoc Lucullo 2, 6, tum de Finibus I, 1, 2 (quem librum sub idem fere tempus scriptum puta), de isto libro auctor, non ut nuper admodum evulgato (ut alias addere solet), loquitur. Auguramur igitur, ne h. l. ista accuratius quæramus, illum haud multum post Hortensii obitum et scriptum esse, et editum. Ceterum longe graviorem ejusmodi ἀναχρονισμὸν, etiam a Bremio laudatum, multoque minus excusandum, quem primus indicavit Muret. accuratius ad Fin. V, 8, 22, dijudicabimus. Hanc autem quasi meditatam dialogorum negligentiam a Græcis, nominatim a Platone, repetendam esse, post Wolfii in Introd. ad Sympos. Plat. p. 50, seqq. disputata, nemini non constat. G.

5. *Privat approbatione, omnibus orbat sensibus.* Camerar. conjicit *omni;* et sic Erl. Sed, quantumquantum etiam vir plane egregius in utrisque literis vidit, cave tibi ne hoc probes. *Omnibus* verbo *sensibus* hac vi additum, ut, licet quinque sensibus uteremur, omnium tamen omnino vim Academica hac disciplina frangi indicaretur. Ceterum *approbatio* est συγκατάθεσις illa, quam proprie v. *assensum*, v. *assensionem* vertit. G.

6. *Et Cimmeriis quidem.* Locos poetarum præcipuos collegit Davis. Nos aliud agamus. Et primo quidem notandum, fabulam hanc eo aptiorem putari posse, quum isti Cimmerii in Campania, et haud procul ab ipsis his Baulis, ubi hic sermo habitus esse fingitur, habitasse dicantur. Cf. Plin. Hist. Natur. III, 5 : « Bauli, lacus Lucrinus et Avernus, juxta quem Cimmerium oppidum quondam ». Cll. Sil. Ital. XII, vs. 131 seqq. Sed id quidem ignorasse Cicero videtur, alias enim, nisi eum plane ignoramus, addidisset. Haud deinde defuerunt veterum, qui fabulam naturali rerum

sive ejus loci, quem incolebant, situs[7], ignes tamen aderant, quorum illis uti lumine licebat: isti autem, quos tu probas, tantis offusis tenebris, ne scintillam quidem ullam nobis ad dispiciendum[8] reliquerunt.
62 Quos si sequamur, iis vinculis simus adstricti, ut nos commovere nequeamus. Sublata enim assensione, omnem et motum animorum, et actionem rerum[9] sustulerunt: quod non modo recte fieri, sed omnino fieri non potest[10]. Provide etiam, ne[11] uni tibi istam

ordini convenienter explicarent, v. c. Ephorus ap. Strab. V, p. m. 145. Cll. Festo v. *Cimmerii*: « quales fuerunt inter Baias et Cumas in ea regione, in qua convallis satis eminenti jugo circumdata est; quæ neque matutino, neque vespertino tempore sole contegitur » (scrib. *contingitur*). Alia via, eaque etymologica, rem tentat Boch. Chanaan I, cap. 33. Nos quidem in his Cimmeriis tenebris talpa magis cæcutimus. G. — Cf. et Ovid. Metam. XI, 592 sqq. Tibull. Eleg. lib. IV, 64; Strab. lib. XIV, pag. 336; Val. Flacc. lib. III, 398.

7. *Sive deus aliquis, sive natura ademerat, sive ejus loci ..... situs.* Sensus esse videtur: « sive dei alicujus poena has in tenebras conjecti, sive naturali aliqua causa », v. c. « perpetuis spissisque nebulis (ut poetæ canunt) ex loci ingenio natis, vel loci situ, a solis accessu excludebantur », v. c. ut Festus vult, alte depressas montium convalles habitantes. G.

8. *Ad dispiciendum.* Ita recte Dav. e suis *septem*, quibus *quatuor* nostri accedunt. Olim *aspiciendum* vulgabatur, quod, sic absolute positum, in sese ipso expressam vitii notam gerit. Cf. Ern. Clav. h. v. G.

9. *Et motum animorum, et actionem rerum. Actionem rerum* accommodate ad structuram, *motum animorum*, posuit, notatque *rerum agendarum rationem.* Miror sane h. l. interpp. non fluctuasse, quum etiam scripti varient (nam Dr. *orationem*, Erl. *rationem* præbet) quumque illi alibi hanc vocem, eadem vi positam, tentent, Att. IX, epist. 6, in Balbi et Oppii ep. fin. « quæ nobis videntur tuæ dignitati, et Cæsaris actioni, esse utilissima ». In vulgatis *rationi* correctum est. Veiske Epp. Cll. Virr. pag. 40, reduxit *actionem*, explicans, *id quod aget*, quum *acturus* præcesserit. Per se recte, modo per *agendi rationem* exponendum erat. Sic enim suo more Cic. subst. in *io* ponit. Cf. Legg. II, 5, 13. Orat. 41, 141. N. D. I, 37, 105. G.

10. *Quod non modo recte fieri, sed omnino fieri non potest. Non modo* hic, idem est quod *ne dicam.*

11. *Provide etiam, ne.* Scripti mei *proinde.* Unde quæri liceat, an non legendum sit « proinde vide etiam »: ut *inde* verbum *vide* extriverit. Sic Verr. II, 29, 70. In *provide* enim insolentia hujus verbi hac in dicendi forma me offendit, etsi quidem similiter infra 36, 116, « Geometræ provideant, etc. » Contra vero *etiam*, tertio loco posita, proprie ad aliam rationem transgredientis fuerit. Repetetur

sententiam minime liceat defendere. An tu [12], quum res occultissimas aperueris, in lucemque protuleris, juratusque dixeris, ea te comperisse [13]; quod mihi quoque licebat [14], qui ex te illa cognoveram : negabis esse rem ullam, quæ cognosci, comprehendi, percipi possit? Vide, quæso, etiam atque etiam, ne illarum quoque rerum pulcherrimarum a te ipso minuatur auctoritas.

Quæ quum dixisset ille, finem fecit. Hortensius 63
autem vehementer admirans (quod quidem perpetuo, Lucullo loquente, fecerat, ut etiam manus sæpe tolleret [15] : nec mirum [16]; nam numquam arbitror contra academiam dictum esse subtilius), me quoque, jo-

deinde optime *vide*, vi verbi per, *quæso, etiam atque etiam*, adaucta. G.

12. *An tu, quum res*, etc. Gœrenz dat : « Ain tu? quum res ». Sic, inquit, nostra sponte edidimus, pro *an tu*, ut pæne constanti ubique vitio in hac forma scribæ peccant. Simillimus locus est, Tusc. I, 17, 39.

13. *Ea te comperisse.* Egregio exemplo h. l. Lucullus contra Ciceronem utitur, conjurationis Catilinariæ mentione facta. Quum enim hæc conflaretur, vagusque modo ejus rumor aliquis in publicum exisset, tum Cicero de ea in senatu retulit, his dictis : « se de ea compertum habere »; exagitantibusque eum quibusdam, qui de re tam occulta se comperisse diceret, jurejurando interposito dictorum fidem confirmavit.

14. *Quod mihi quoque licebat... cognoveram.* Id est, « Ego quoque jurejurando contestari poteram, ea tibi esse comperta; tu enim ipsa mecum communicaras ». Sed melior videtur lectio, *liquebat*, quam ff. cod. et Wr. præbent. Non enim videbant scribæ, *quod* ad totum enuntiatum, *te ea comperisse*, ut sæpe, referri posse, atque inde sic correxisse videntur. Communicasse ita Cicero rem istam cum Lucullo significat, quasi judice privato. Ceterum parentheseos signa his verbis reddidimus, quæ nescio qua causa, Ern. contraxerat. G.

15. *Ut etiam manus sæpe tolleret.* De hoc admirationis signo Catull. carm. 54, 3 : « admirans ait hæc manusque tollens ». Signoque adeo nudo auctor alibi rem ipsam exprimit. Cf. Divv. VII, epist. 5. G.

16. *Nec mirum.* Ad hæc verba Wrat. in margine hæc habet adscripta : « Hic est liber secundus secundum quosdam ». Quid mirum, quum scribæ primas disputationis partes ad alium translatas viderent, et forte non ignorarent, quo modo in libris de *Divinatione* dissentientes partes diversis libris Cicero tractasset? Sed eosdem et librorum de Finibus, et de Natur. Deorum meminisse oportebat, ubi ille æque diverse sentientium sermones singulis libris junctos exhibet. G.

cansne, an ita sentiens (non enim satis intelligebam[17]), cœpit hortari, ut sententia desisterem. Tum mihi Catulus, Si te, inquit, Luculli oratio flexit, quæ est habita memoriter[18], accurate, copiose: taceo, neque te[19], quo minus, si tibi ita videatur, sententiam mutes, deterrendum puto. Illud vero non censuerim, ut ejus auctoritate moveare. Tantum enim non te modo monuit[20], inquit arridens, ut caveres, ne quis improbus tribunus plebis[21], quorum vides quanta copia semper futura sit, arriperet[22] te, et in

17. *Non enim satis intelligebam.* Plus dicere Cicero voluisse videtur, quam illa præ se ferunt: expertus enim hunc hominem post consulatum duplicem erat et ambiguum. Quod ex tot locis epistolarum ad Att. intelligitur. Observat J. V. *Leclerc* sic dubitando, Ciceronem dixisse ingeniosissime, nempe ut fidelem academiæ sectatorem.

18. *Quæ est habita memoriter. Memoriter* quotiescumque in Cicerone legitur, *sine scripto* explicari solet; quæ sane explicatio, ut h. l. ita magis etiam aliis, perquam læve quadrarit. Immo hac voce, locis admodum paucis exceptis, simpliciter memoria dicentis laudatur, si ea se rebus enarrandis fidam et certam probavit. Non male igitur Castillon, « avec tant de présence d'esprit ».

19. *Neque te.* Proprie debebat *neque ego te* scribi: sed modestia pronom. *ego* subtraxit. Cf. Marc. 6, 16: « atque hujus rei Marcello sum testis ». Cf. Arch. p. 12, 30, ubi eadem de causa *nos* omissum est, etc. G.

20. *Tantum enim non te modo monuit.* Gœrenz delet *non*. Hanc, inquit, particulam exterminavimus, quam, si intt. attendissent, haud nobis, ex elegantia nescio qua, transpositam dedissent. Nam scripti, qui hanc vocem tenent, omnes eam post *te* ponunt: at Ern. auctore Davisio, eamdem pronomini præmisit. Ipse autem Davis. *non* retenta, *modo*, infelici sane consilio, ejecit. Sed hunc jam Pal. 1, qui *nunc* pro *non* variat (cum quo stat fr. cod. sed Crat. in margine part. *non* ignorat), monere potuisset, nil nisi scribarum sapientiam hic venditari: id quod clarissime contexta docent. Sensus enim est, « sed hoc noluerim ut suadentis consilio cedas: nam (si rem accurate consideres) hoc ille modo (quod ad te vere pertineret) monuit, etc. » — Nec ideo nobis infelix videtur lectio *tantum non*: cujus locutionis is sensus est: illud solum omisit quod, parum abfuit quin moneret. Ideo bene vertisse *Castillon* arbitramur: « peu s'en faut qu'il ne vous ait conseillé de prendre garde, etc. »

21. *Improbus trib. pl.* Notandum est, auctorem vocem *improbus* cum *tribuno plebis* amare jungere.

22. *Arriperet.* Proprie accipiendum est; nam licebat tribuno plebis, ut quemcumque civium arreptum pro concione sisteret. Cf. Dionys. Halic. Antt. VII, c. 65.

concione quæreret, qui tibi constares, quum idem negares quidquam certi posse reperiri, idem te comperisse dixisses. Hoc, quæso, cave ne te terreat[23]. De causa autem ipsa malim quidem te[24] ab hoc dissentire. Sin cesseris, non magnopere mirabor. Memini enim Antiochum ipsum, quum annos multos talia sensisset[25], simul ac visum sit, sententia destitisse. Hæc quum dixisset Catulus, me omnes intueri.

XX. Tum ego non minus commotus, quam soleo 64
in causis majoribus, hujusmodi[1] quadam[2] oratione sum exorsus: Me, Catule, oratio Luculli de[3] ipsa re

23. *Hoc, quæso, cave ne te terreat. Cave*, quod post Davis. (qui id ex suis septem reduxerat), Ern. denuo abjecit, non solum scripti mei editique, quos vidi, defendunt, sed, quod majus est, res ipsa. Sensus aperte est, « Hoc velim caveas, ne, si aliquando evenerit, inde terrearis. Sed quod causam ipsam spectat, in eo nolim, te Luculli auctoritati cedere ». Neque tamen vel hæc Catulum serio cavere jubere, indicat v. *arridens*, quod præcessit. Jam si *cave* cum Ern. omiseris, vaga evadet loci sententia, et nimium anceps. Accedit etiam, quod *cave* ad verba supra posita, *monuit, ut caveres*, apte refertur. Inde vel sponte patet, prave Camer. *ne* abesse malle. G.

24. *Malim quidem te*. In hoc positu ne offendaris; *quidem*, h. l. idem quod *sane* est, et respondet ei *sin*. Ita ad Divv. III, ep. 12. In edd. vett. nonnullis, v. c. Crat. Asc. *te quidem* expressum est; quod h. l. necesse non est. Malim tamen *equidem*; quæ part. si in medio enuntiato, ut sæpe fit, occurrit, a scribis in *quidem* mutari solet. Cf. Legg. II, 27, 69. G.

25. *Talia sensisset*. Tres mei cum Vien. et ψ. *alia*: quod ipsum ferri possit, si, ex græco ἄλλα, elliptice ceperis, « quam, quæ Antiochus ex ejus mente disseruit ». Sed nimium sæpe *talia* sic a scribis corrumpitur. *Talia* autem Antiochus senserat, nempe, ut Philonis discipulus, olim novæ academicæ addictus: e qua deinde in veterem transierat Stoicis simul decretis favens. Cf. Cicer. Acadd. I, 4, 13. G.

XX. 1. *Hujusmodi quadam*. Τοιούτῳ τινὶ, i. e. *tali fere*: ut haud dubitandum sit, quin *quasi* a glossa sit, quod pro *quadam* olim vulgabatur. Inepte vere, qui *quasi quadam* junctim ediderunt; tamquam his molliendæ orationis particulis h. l. sit opus! Cum vulgata hac scripti mei faciunt omnes. G.

2. *Quadam oratione*. Gœrenz dat: « quamdam orationem ». Hoc, inquit, Lamb. dedit: quod sane melius. Certissimum enim est, verbum *exordiri* translatum esse a *tela* (cf. Voss. Oratt. Instt. III, cap. 2), et ut *exordiri telam* dicatur, ita dici etiam *exord. orationem*. Neque nihil est, quod nusquam Cicer. cum vulgata; eo sæpius vero cum accusandi casu.

3. *De ipsa re*. Id est, « quoad ipsam

ita movit, ut docti hominis, et copiosi, et parati, et nihil prætereuntis eorum, quæ pro illa causa dici possint; non tamen[4], ut ei respondere posse diffiderem. Auctoritas autem tanta plane me movebat[5], nisi tu opposuisses non minorem tuam. Aggrediar igitur[6], si pauca ante quasi de fama mea[7] dixero.

65 Ego enim si aut ostentatione aliqua adductus, aut studio certandi, ad hanc potissimum philosophiam me applicavi; non modo stultitiam meam, sed etiam

rem spectat », opponunturque hæc iis, quibus Lucullus Ciceronem ipsum monuerat; quæ paucis post verbis, « Auctoritas autem tanta, etc. » indicantur. Quæ autem in laudem disputationis Lucullææ adduntur, ea supra illis Catuli respondent: nam *docti* hominis est, ut *accurate; copiosi*, ut *copiose; parati*, ut *memoriter* dicat. G.

4. *Non tamen, ut ei respondere posse diffiderem*. Davis. de suo dedit *responderi*; cui adhæsit Hülsem. Lambin. prius *me* de suo addiderat. Ern. mitius pronuntiat, *me* aut intelligendum videri, aut addendum. Nihil est addendum. Nam primum *me*, in fastigio quasi hujus verborum ambitus positum, satis est; ut hoc loco idem repetitum sine jure desideres. Deinde paullo ante vidimus, auctorem pronomina, si præcesserunt, sic omittere solere, ut vel durius factum videatur. Adde illis, quæ supra posuimus, Orat. I, 22, 101, ubi duplex *me* subaudiendum omittitur. Eodem modo supra 5, 14. His adjunge, si auctor *responderi* scripsisset, haud dubie dubitationem quamdam de facultate sua, ut ubique facit, adjecisset. G.

5. *Plane me movebat, nisi tu opposuisses*. Sensus est, « antequam tu tuam auctoritatem opponebas, auctoritas tanta plane me movebat; sed ex quo tu tuam opposuisses, etc. » Intelligitur inde, unice verum esse *movebat*. Id quidem ideo monuimus, quod eadem structura alibi vexatur. G.

6. *Aggrediar igitur*. Proprie quidem *aggredi* absolute non dicitur; et facile *rem* addi liceat: sed hoc loco non opus est, ut id v. absolute positum accipias, quum facile ex antecedd. *causa* intelligatur. Similis locus est, Off. I, 21, 13. G.

7. *Quasi de fama mea*. Gud. *mea* ignorat: Rath. autem in *quasi* hæret, *quædam* commendans. Sed locus bene se habet. Nam si *quædam* placuerit, ex pravo positu h. l. placebit: auctor enim « pauca quædam ante » scripsisset. Atque si vel hoc liceret; tamen inde vera loci sententia opprimeretur. Vituperabant enim quidam Ciceronem ex eo, quod se ad hanc potissimum philosophiæ disciplinam contulisset, cf. supra 3, 7, seqq. Exinde « quasi fama ejus agebatur », quam h. l. defendendam suscipit. Non autem proprie et ex communi sermone fama hinc ejus male audiebat; quare mitigantem particulam, quam solet, addidit. — *Dicere de fama* autem ita ponitur, ut « dicere de capite, de repetundis, etc. » G.

mores, et naturam condemnandam puto[8]. Nam, si in minimis rebus pertinacia reprehenditur, calumnia etiam coercetur[9], ego de omni statu[10], consilioque totius vitæ aut certare cum aliis pugnaciter, aut frustrari quum alios, tum[11] etiam me ipsum velim? Itaque, nisi ineptum putarem, in tali disputatione id facere, quod, quum de republica disceptatur[12], fieri interdum solet, jurarem per Jovem[13], deosque penates, me et ardere studio veri reperiendi, et ea sentire, quæ dicerem. Qui enim possum[14] non cupere 66

8. *Condemnandam puto.* Gud. et fr. cod. *contaminandam:* unde forte *contemnendam* elicueris. Perperam. Quum enim scriberet auctor, se dicere velle quasi de fama sua, se reum, præsentes autem judices fingit, atque inde apte *condemnandam.* G.

9. *Calumnia etiam coercetur.* Apud Romanos, qui litem quamdam intendebant cogebantur de calumnia jurare, id est, jurare, se bona fide litem intendere. Calumniæ judicio coercebantur qui, quum causam suam injustam esse intelligerent, vexandi adversarii causâ provocaverant litem.

10. *Ego de omni statu.* Scripti mei omnes *ergo.* Nec aliter Vien. uterque Ox. et nescio an non omnino omnium: nam sic multi etiam vetus editi cum Ven. 1494. Quid? si sententiæ tenor hic sit? « Nam si, qui vel in minimis pertinaces sint, recte reprehendi, calumniatores adeo coerceri, solent: num ergo de rebus gravissimis, qualis tota vitæ conditio est atque consilium, aut pertinaciter cum aliis pugnarim, aut calumniosa disserendi ratione non alios modo, sed etiam me ipsum deceperim! » G.

11. *Quum alios, tum.* Licet scripti mei omnes *tum... tum;* tamen verissime *quum* editur: nam et linguæ lex citra omnem controversiam posita est, adjectivum collectivum si præcedat, huic *quum,* non *tum,* comitem addi. E contraria vero parte peccatur Cluent. 42, 117. Sed talia vitia in Cicer. scriptis insident locis pæne infinitis. G.

12. *Quod, quum de republica disceptatur.* Tacite excusat jusjurandum illud suum in re Catilinaria interpositum. G.

13. *Jurarem per Jovem.* Eamdem sententiam, iisdem verbis expressit Lucianus de Hist. scrib. p. m. 23, ed. Rudolph. § 14. (§ 26, ed. Wolf. in libb. sell.) καὶ πρὸς χαρίτων μηδεὶς ἀπιστήσῃ τοῖς λεχθησομένοις, ὅτι γὰρ ἀληθῆ ἐστι κἂν ἐπωμοσάμην, εἰ ἀστεῖον ἦν ὅρκον ἐντιθέναι συγγράμματι. Ergo Lucianus legit Ciceronem. H.

14. *Qui enim possum.* Suadet Rath. *possim,* idque non sine veri specie. Sed *possum* est h. l. cum asseveratione positum, ut sensus sit, « Equidem sane ea conditione sum, ut verum videre velim. Alias enim non gauderem, si vel simile veri quid viderim ». Hoc vere ita esse, vel inde patet, quod auctor alias, negatione præmissa, « Qui enim non possim », scripsisset. G.

verum invenire, quum gaudeam, si simile veri quid invenerim? Sed, ut hoc[15] pulcherrimum esse judicem, vera videre, sic, pro veris probare falsa, turpissimum est. Nec tamen ego is sum, qui nihil umquam falsi approbem, qui numquam assentiar, qui nihil opiner; sed quærimus de sapiente. Ego vero ipse et magnus quidem sum opinator[16] (non enim sum sapiens), et meas cogitationes sic dirigo, non ad illam parvulam Cynosuram[17],

Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto,

ut ait Aratus, eoque directius gubernant[18], quod eam tenent[19],

15. *Ut hoc... sic, pro veris.* Gœrenz delet *sic.* Recte, inquit, offendere in eo Ern. Wetzel et Rath. quum, *ut... judicem... sic* construi non possit. Mutari autem *judico* jusserunt. Nos contra, quum Gud. et frag. cod. non *sic*, sed *si* præberent, spuriam particulam rati, delevimus. Ita quidem *ut* pro *licet* accipienda est, et totus locus aptissimus redditur : nam post hanc *ut* frequenter *tamen* omitti, in vulgus constat. Nemo etiam nescit, quantopere in hujus *ut* constructione turbetur. Ut pauca modo loca afferamus : cf. Verr. IV, 26, 58, ubi necessario est *videbatur* corrigendum. Orat. 59, 199. Tusc. I, 21, 49, ubi *ita* ignorant Davisiani codd. (ed. 2) et duo mei; cf. Fin. I, 4, 12; II, 31, 102; Legg. I, 14, 40.

16. *Magnus... opinator.* Laudat Davis. Augustinum Acadd. III, c. 14, « Clamat Cicero se ipsum magnum esse opinatorem, sed de sapiente se quærere. Quod si adhuc vos adolescentes ignotum habetis, certe in Hortensio legistis ». Mirum, si jam Aug. hunc librum Hortensii nomine in suo exemplari inscriptum habebat! Sed aperte ille memoria lapsus est. G. — *Opinator.* Quippe Academicus novus, qui interius discrimen inter verum et falsum tollit. Opponitur *sapiens*, sensu Stoicum, *veri* tenax, et severæ dialectices studiosissimus. H.

17. *Cynos.* De Cynosura sunt Arati versus a 39 seqq. Τῇ δ' ἄρα Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν, Ἀλλ' ἡ μὲν καθαρὴ, καὶ ἐπιφράσσασθαι ἑτοίμη, Πολλὴ φαινομένη Ἑλίκη πρώτης ἀπὸ νυκτός· Ἡ δ' ἑτέρη ὀλίγη μὲν, ἀτὰρ ναύτῃσιν ἀρείων· Μειοτέρῃ γὰρ πᾶσα περιστρέφεται στροφάλιγγι. Rem ipsam illustrat, mathematicis οὐρανολογίας legibus, Cel. Bode *Anleit. z. Kenntn. d. gest. Himmels.* p. 71. *Berlin* 1788, mai. H.

18. *Directius gubernant.* I. e. « recta magis per undas via »; quum illis temporibus, nisi noctium serenitate, siderumque ductu adjuti, litora legere cogerentur. Explicantur his Aratea, « fidunt duce nocturna in alto ». G.

19. *Quod eam tenent.* Gœrenz dat *teneant.* Sic, inquit, fr. cod. Erl. et Crat. Et sane melius : nam *quod* hoc modo pro *quoad* ponitur : « quoad ejus ductu navigare possint ».

Quæ cursu interiore [20], brevi convertitur [21] orbe;

sed ad Helicen, et clarissimos septemtriones, id est, rationes has [22], latiore specie, non ad tenue elimatas: eo fit, ut errem [23], et vager latius. Sed non de me, ut dixi, sed de sapiente quæritur. Visa enim ista quum acriter mentem sensumve pepulerunt, accipio [24], hisque interdum etiam assentior, nec percipio tamen: nihil enim arbitror posse percipi. Non sum sapiens; itaque visis cedo [25], neque possum resistere. Sapientis autem hanc censet Arcesilas vim esse maximam, Zenoni assentiens, cavere, ne capiatur; ne fallatur, vi-

20. *Cursu interiore.* Id est, *arctiore*, μειοτέρῃ Aratus. Idem versus laudatur cum pluribus, una cum præcedente, N. D. II, 41, 106. G.

21. *Convertitur.* Præbent Gud. fr. cod. Dr. Wrat. ψ. et Ven. 1494, *convehitur*, quod vel metrum rejicit. In Græcis est περιςρέφεται. G.

22. *Id est, rationes has, lat. sp. n. ad t. elimatas.* Gœr. dat: « id est, ad rationes h. lat. sp. n. ad tenue limatas ». Addidimus, inquit, de nostro *ad* priorem, quam præpos. et scripti et editi ignorant. Sed addenda aut hæc erat, aut vv. *rationes has* in glossemate ponendæ: nam ex præcedd. cogitare nullo modo licet. Constructio est, « in eas cogitationes sic dirigo, non ad... sed ad... id est, ad. » Res se ipsa defendit. « Ad rationes has » intelliges, « quas nos Academici recentiores sequimur. In latiore specie, etc. » Desumpta comparatio est a re statuaria, qua statuæ et majori forma, et tenui parvaque specie, fabricabantur. *Tenue* sic dicitur, ut *tenuia corpora*, etc. et *ad tenue limatas* sc. exemplar, ubi omnia sunt, et debent esse subtilius limata. Sic auctor de Opt. Gen. Orat. 3, « se ad minuta genera causarum limavit ». *Limatas* denique loco vulgati *elimatas*, e Gud. fr. cod. Dr. et Vin. dedimus. Vulgata lectio scribis debetur, vocis *limatus* usum non tenentibus, et ex ultima præcedentis litera defectum, quem putabant, facile supplentibus. Verbum autem *elimare* præter h. l. simplici modo vice apud Cicer. legitur, XVI, ep. 7, « velim σχόλιον aliquod elimes »; ubi suo loco ponitur. Equidem tamen hunc locum sic legi malim: « ad rationes has, latiore spatio non ad tenue », vel potius *attenuate* (Gud. Wrat et ψ. *attenue*), *limitatas*: sic cum antecedd. et consequentibus lætius coirent omnia.—Vertit *Castillon*: « mais vers la brillante constellation de la grande ourse, dont la carrière est plus large et plus étendue, comme le champ des probabilités ».

23. *Ut errem, et v.* Gœrenz deleri jubet virgulam, quia *errem*, æque ac *vages*, pertinet ad *latius*.

24. *Accipio.* Λαμβάνω. Unde illud Græcorum, Λαμβάνω, ἀλλ' οὐ καταλαμβάνω. Est autem gradatio, *accipio, assentior, percipio.* G.

25. *Itaque visis cedo.* Id est, « sensuum vi abripior, vincor », atque ita

dere. Nihil est enim ab ea cogitatione [26], quam habemus de gravitate sapientis, errore, levitate, temeritate dijunctius [27]. Quid igitur loquar de firmitate sapientis? quem quidem nihil opinari tu quoque, Luculle, concedis. Quod quoniam a te probatur (ut præpostere tecum agam [28], mox referam me ad ordinem), hæc primum conclusio quam habeat vim, considera.

67 XXI. Si ulli rei sapiens assentietur umquam, aliquando etiam opinabitur; numquam autem opinabitur: nulli [1] igitur rei assentietur. Hanc conclusionem Arcesilas probabat [2]: confirmabat enim et primum, et secundum [3]. Carneades nonnumquam [4] secundum illud dabat, assentiri aliquando. Ita sequebatur etiam

opinatione ducor, quæ a sapiente aliena est. G.

26. *Ab ea cogitatione, quam habemus.* Scil. *nobis informatam; cogitatio* enim h. l. est, quam nos *Idée* vocamus. Male desideratur *ab* in binis meis. G.

27. *Dijunctius.* Tres itidem mei *dijunctius*, et reliqui ex eodem fonte peccant, *dejunctius* referentes. G.

28. *Ut præpostere tecum agam, mox referam me ad ordinem.* Vertit *Castillon:* « j'oublierai un instant l'ordre de cette discussion, pour y rentrer bientôt ».

XXI. 1. *Nulli.* Ante hanc vocem habet Vin. lineas octo cum dimidia albas interjectas, unde majorem lacunam suspiceris; quum tamen in hac conclusionis brevitate ne verbum quidem desideretur. G.

2. *Probabat.* Recte, pro olim vulgato *probat*, ex quinque suis Davisius; idque mei ad unum omnes confirmant. G.

3. *Primum et secundum.* Non inepte *primum*, et *secundum*, comparat Pet. Faber Græcorum πρῶτον et δεύτερον, nempe, συλλογισμοῦ μέρος, prout hi eadem ἡγούμενον et ἑπόμενον, auctorque infra 3o, 96, *superiorem* (enuntiationem), et *inferius* (enuntiatum), schola autem *majorem*, *minorem* vocat. Sed multifariam hæc Cicero; cf. supra § 44, etc. G.

4. *Carneades nonnumquam.* Gœrenz dat *numquam*, ex fr. codd. Si vulgatam serves, inquit, Dav. auctore, *secundum* delendum erit: nam *secundum* Zenonianæ conclusionis enuntiatum (assumptio) non ad *assentiri*, sed ad *opinari* spectat. Sed vel sic jejuna sententia propter *nonnumquam* et *aliquando*, quorum alterum superfluum erit, nisi Carneadem inconstantissimum hominem judicaris. Vitium ex eo est, quod scribæ sæpe pro *numquam*, *non umquam* peccant. Nolo VV. DD. de his sententias repetere, in quibus nihil præterea frugis inest: nostra ratione planantur omnia. Apte etiam loca, quæ huc pertinent, sup. 18, 59, et infra 48, 149, cum ea conveniunt. Sensus est: « Carneades,

opinari[5]: quod tu non vis, et recte, ut mihi videris. Sed illud primum, sapientem, si assensurus esset, etiam opinaturum, falsum esse et stoici dicunt, et eorum adstipulator Antiochus: posse enim eum falsa 68 a veris, et quæ non possint percipi, ab his, quæ possint[6], distinguere. Nobis autem primum, etiamsi quid percipi possit, tamen ipsa consuetudo assentiendi periculosa esse videtur et lubrica. Quamobrem quum tam vitiosum esse constet, assentiri quidquam aut falsum, aut incognitum: sustinenda est potius omnis assensio, ne præcipitet, si temere processerit. Ita enim finitima sunt falsa veris, eaque, quæ percipi non possunt, his, quæ possunt[7] (si modo ea sunt quædam: jam enim videbimus), ut tam præcipitem

numquam opinari sapientem, concedebat, sed assentiri aliquando, statuebat ». Particula *sed*, quæ proprie poni debebat, compensata est verbo *assentiri* præposito. Sic bene *numquam* et *aliquando* sibi opponuntur. Ex *dabat* enim, etiam in vulgata, propter Zeugma, cogitandum *statuebat.* Ceterum si Davis. dicit, abesse *secundum* a Paris. 4, ejus defectus causam indicat Dresd. noster, qui hujus loco *sed* (ex compendio puta duplici linea neglecta); quod quum incongruum reperiretur, sponte omissum est. G.

5. *Ita sequebatur etiam opinari.* Ita præter duo Davisii ex nostris frag. Cod. et Dresd. reliqui, cum plerisque omnibus, *id assequebatur;* modo, quod Erl. *sequebatur* habet. Recte vidit P. Manut. cui vulgata debetur. Simili modo *item* et *idem* ubique confunduntur. Sensus totius sententiæ hic est: « Carneades ideo secundum rationis hujus enuntiatum numquam concedebat, quod sapiens aliquando assentiatur: atque ita hoc quoque sequebatur, opinari sapientem ». G.

6. *Et quæ non possint percipi, ab his, quæ possint.* Primo *et* explicativam puto, ut paullo inferius, *que*, simillimo in loco: nam ea Antiochus cum Stoicis *falsa* dicebat, quæ non possent percipi, etc. vide expressa verba supra § 40. Deinde omnes mei *possint* (non *possunt*), ut recte primus Davis. ex suis dedit, cum Asc. Victorioque. Decepit scribas communis nota *pnt*, quam Erl. exhibet. Denique itidem recte a Lambino verba, « ab iis quæ possint », sunt addita, quum his in contextis oppositionem cogitando addi non liceat: quod idem etiam paullo post factum est. Hæc eadem Ven. 1494, sic præbet, « ab his, quæ possint ». G.

7. *His, quæ possunt.* Hæc verba in codd. omnibus per alliterationem, quam vulgo dicunt, neglecta, ad illam Venetæ in priore loco normam dedimus. Ceterum adhæsit in Ernestiana, ante *his*, *ab*, quæ h. l. ex superioribus male repetita est. Id vitium servant

in locum[8] non debeat se sapiens committere. Sin autem, omnino nihil esse[9], quod percipi possit, a me sumpsero, et, quod tu mihi das, accepero, sapientem nihil opinari; effectum illud erit, sapientem assensus omnes cohibiturum : ut tibi videndum sit[10], idne malis, an aliquid opinaturum esse sapientem. Neutrum, inquies, illorum[11]. Nitamur igitur, nihil posse percipi[12]. Etenim de eo omnis est controversia.

69 XXII. Sed prius pauca cum Antiocho; qui hæc ipsa, quæ a me defenduntur, et didicit apud Philonem tam diu, ut constaret, diutius didicisse neminem, et scripsit de his rebus acutissime, et idem hæc non acrius accusavit[1] in senectute, quam antea defensitaverat.

etiam ex hac repetitæ edd. ad Hüls. usque omnes. G.

8. *Ut tam præcipitem in locum.* Turbant scripti plerique. Nostri *in tam*, v. *tamen in* (ut olim vulgatum est), ante *locum* præpositione omissa. Sed Erl. et Dr. receptam firmant. Recte sic, ut editur, primus ex uno Bal. Davis. G.

9. *Sin autem, omnino nihil esse.* Gœrenz interpungit : « sin autem omnino, nihil esse ». Male, inquit, vulgo interpungitur : nam Cicer. h. l. in breve colligit, quæ latius disputarat; atque ita *omnino* ad *sin autem* pertinet, non ad *nihil esse*, ubi etiam otiosum fuerit. — Nam si nihil percipi potest, non potest sapiens assentiri rei incognitæ, quin uno tempore opinetur; at sapiens non opinatur; ergo sapiens assensus omnes cohibere debet. *Lambinus.*

10. *Ut tibi vid. sit.* Gœrenz dat : « ut vid. tibi sit ». Sic, inquit, et Gud. fr. cod. Erl. Dr. cum Ven. 1494, edd. vett. pluribus, et loci vis, quæ in *videndum* inest scribere nos jusserunt.

11. *Neutrum, inquies, illorum.* Recte offendit Ernest. in voce *illorum ;* quamquam veri sensu non satis explicato. Neque quidquam dicit Rath. laudato Att. VII, ep. 1 : « ut neutri illorum quisquam esset me carior ». Quis non dabit, sic recte scribi ? Sed primum Cic. « Neutrum illorum, inquies », scripsisset; deinde *illorum*, in hac responsionis brevitate, per se ipsum superfluum est; denique recte quæsieris, cur non potius *horum*, aut *eorum ?* nam iste error tandem aliquando cessare debet, ex quo vulgus putat, *ille* simpliciter pro *hic* vel *is* poni, quippe quo nihil sit vitiosius. G.

12. *Nitamur igitur, nihil posse percipi.* Ern. *nitamur* explicat, *contendamus defendere.* Rectius elliptice positum dixeris pro, *nitamur efficere.* Eadem vi hoc verbum dicitur, Tusc. I, 22, 50. G.

XXII. 1. *Et idem hæc non acrius accusavit... defensitaverat.* Gœrenz dat : « et idem non acutius hæc accusavit... defensitaverat? » addito interrog. puncto. Primum, inquit, hunc ordinem *non acutius hæc* ex fr. cod.

Quamvis[2] igitur fuerit acutus, ut fuit, tamen inconstantia levatur auctoritas. Quis [inquam[3]] enim iste dies illuxerit, quæro, qui illi ostenderit eam, quam multos annos esse negitavisset[4], veri et falsi notam? Excogitavit aliquid[5]? Eadem dicit, quæ stoici. Pœnituit eum illa sensisse? Cur non se transtulit ad[6] alios, et maxime ad stoicos? eorum enim erat propria ista dissensio. Quid! eum Mnesarchi pœnitebat? quid! Dardani[7]? qui erant Athenis tum principes stoico-

et Erl. accepimus. Scribæ, qui *non* interrogantis esse ignorabant, sua sponte transposuerunt, ut in vulgatis est, *hæc non acrius* : mutarat enim quis *non* in *vel;* unde *ut* natum. *Acutius* deinde pro *acrius* correximus, rationibus moti sat gravibus. Nam Antiochus supra, *homo natura lenissimus*, et § 13, *adversarius lenior.* Deinde habet Gud. *actius*, et fr. cod. *acuratius* (Dr. ante *accuratissime*), ut vix dubium sit vulgatam ex compendio *actius* esse ortam.

2. *Quamvis.* Pro *quantumvis*.Totius loci contexta hæc sunt : « et, tum quum adhuc a Philonis partibus staret, acutissime eas scriptis defendit; et quum ab eis descivisset, nonne idem eas acutius adeo impugnavit, quam prius eas tuitus erat? Sed quantumvis acutus ille sit, etc. » G.

3. *Quis (inquam), enim... quæro.* Gœrenz delevit *inquam*. In quo, inquit, miror, qui Ernesti elegantia has quisquilias, a Lambino, Davisio, quid? Grutero etiam, pertinaci veterum mendorum propugnatore, notatas, ferre potuerit. Quis enim h. l. feret, primo *inquam... quæro;* deinde *inq.* ante *enim* positum! Recte Lambinus, quum *inquam* ex suis codd. deleret; atque ita jam Nizolius. Idem ignorat fr. cod. reliqui mei *quispiam*. Davis. correctio *quisnam enim* ad hæc contexta minus aptari potest. J. V. *Leclerc* uncis inclusit τὸ *inquam*, ut suspectum.

4. *Negitavisset, v. et falsi notam?* Ita pro vulgato *negavisset* dudum receperat Davis. probatum quatuor nostris.Vien. *negitasset*.Ven. 1494, cum duobus Davisii *cogitasset*, quod ex eodem fluxisse facile vides. *Negitare* autem non apud Plautum et Lucretium solum, sed etiam apud Sallust. legitur. G.

5. *Excogitavit aliquid?... Pœnituit ...sensisse?* Gœr. tollit interrogandi notam. Hæc, inquit, aperte incisim ponuntur : diverbii igitur lineas iis applicavimus. Hülsem. lineas quidem fecit; sed omnia confudit, cum Davisio interrogationem addens. — *Excogitavit aliquid*, bene vertit *Castillon :* a-t-il fait quelque découverte? » — *Pœn. sensisse.* Id est, « male sibi placuit, hucusque adhæsisse Philoni, etc. » G.

6. *Cur non se transtulit ad alios.* Id est, « cur mansit in academia, e nova ad veterem transmigrans, et non potius Stoicis, ut re fecit, ita verbo adhæsit? »

7. *Quid! eum Mnesarchi...Dardani?* In Ursini cod. et uno Davisii *quid enim?* legitur. Per se quidem bene;

rum. Numquam a Philone discessit, nisi posteaquam
70 ipse cœpit, qui se audirent, habere. Unde autem subito vetus academia revocata est[8]? Nominis dignitatem videtur, quum a re ipsa descisceret, retinere voluisse: quod erant[9], qui illum gloriæ causa facerent sperare, etiam fore, ut ii[10], qui se sequerentur, Antiochii vocarentur. Mihi autem magis videtur non potuisse sustinere concursum omnium[11] philosophorum.

nisi quod locum ignorem, ubi sic *quid* simplex sequatur: vice versa secus. Adfuit etiam statim hæc particula: vulgata contra æque bona est. Malim tamen utrumque, et *cum*, et *enim*, abjectum; quippe ex ea varietate de glossa suspectum. Atque sane sic fr. cod. et Wrat.—*Mnesarchum* auctor sæpius nominat; in quo vero hoc mirum, quod, quum Panætii auditor dicatur Orat. I, 11, 45, idem tamen huic præponatur Fin. I, 2, 6, licet vero ordine Diogenes et Antipater ibi præmittantur: sed ea de re suo loco. Hunc autem a vulgo Stoicorum seorsim sensisse, patet ex Stob. Ecl. phys. I, pag. 60, ibid. 437. De *Dardano*, nihil fere præter nomen accepimus. G. — Int. Num eum pœnitebat sequi Mnesarchum, aut Dardanum?

8. *Unde autem... revocata est?* Cur se Antiochus sedulo ad veteris academiæ doctrinas transtulit, illamque iterum exsuscitare voluit?

9. *Quod erant, qui illum g. c. facerent sperare, etiam fore.* Gœrenz dat: « Quid? erant... (etiam) fore », quam conj. valde probat J. V. *Leclerc.* Miror, inquit, sane, cur non VV. DD. omnes, hoc in contextu *quod* in *quid?* mutandum esse viderent. Nam præcedentia nullum alium sensum habere possunt, nisi hunc: « videtur Academici nomen, quod in honore esset nolle deserere, licet vere diversa sentiret ». Hæc sunt ex mente Ciceronis. Jam addit, quid alii conjecerint. Sed quo modo id fieri per *quod*, in fronte posito, licet? Immo exaggerantis vox requiritur. Deinde male percepta verba sunt *facerent sperare;* nam *facerent* est pro *fingerent, dicerent*, positum (v. c. *faciunt eum morosum*); ut plane nihil opus sit cum Lambino, probante Ernest. « facere dicerent: sperare etiam fore ». Part. deinde *etiam* παρέλκειν, in primis toties a scribis infartam, certissimi sumus. Quare ei cancellos adhibuimus. Restat *facerent*, cujus loco nostri quoque omnes *jecerunt.* Sed Veneti præbere, ut editur, dicuntur; refert idem quoque Crat. in margine: et sic, vel sine scriptis, erat legendum. Hanc autem regulam certam probatamque intelleximus, si in structura *sunt*, *qui*, notio aliqua verbo subst. addatur, tum recte et indicat. et subj. poni posse; et quidem non vage, sed ex loci cujusque natura, v. c. Orat. III, 11, 41. At ubi simplex forma *sunt*, *qui* reperitur, tum sane solus subjunctivus sequi debet.

10. *Ut ii, qui se sequerentur.* Gœrenz dat *hi* de more. Sensus est: «fore ut ejus nomine nova Academiæ secta distingueretur ».

11. *Concursum omnium philosophorum.* Nempe ad pugnandum contra

Etenim de ceteris sunt inter illos nonnulla communia: hæc academicorum est una sententia, quam reliquorum philosophorum nemo probet[12]. Itaque cessit; et ut ii[13], qui sub Novis[14] solem non ferunt, item ille, quum æstuaret, Veterum, ut Mænianorum, sic Academicorum umbram sequutus est. Quoque[15] solebat 71

academiam novam; cf. Philipp. XIII, 18, 38 : « utrum sit æquius, concurrere nos... an consentire ». Contra vero etiam de defensione. G.

12. *Hæc Academicorum... probet.* In *probet* optativi græci vis cernitur. G. — Academici quidem non negabant res ipsas exsistere; sed contendebant solum nullas esse certas rerum perceptiones : inde a Pyrrhonicis distinguebantur qui res ipsas exsistere negabant.

13. *Ii.* Gœrenz iterum edidit *hi.*

14. *Qui sub Novis... Mænianorum.* Plane egregia est hæc Pet. Fabri emendatio, eaque ipsa veritatis luce splendet : ut sane indigneris, eam nuper per Hülsem. denuo esse oblitteratam, et, « sine nube... tabernarum », non minus inepte, quam audacter, haud correctum, sed pro vaga libidine scriptum esse. Res ipsa loquitur. Quum enim omnes omnino scripti *sub nubes*, et itidem omnes, partim *mænium*, partim *mænianorum* (sic et nostris Gud. fr. cod. Dr. Wrat.) exhiberent, vidit Faber *Novis* esse legendum, atque ita auctori locum reddidit ex apta et comparatione, et verborum lusu, elegantissimum. Erant autem tabernæ in foro romano, quæ proprie *Novæ*, et aliæ, quæ *veteres* appellabantur; quæque in earum locis essent, ea sub *Novis*, sub *Veteribus* esse dicebantur. Varro, Ling. Lat. V, 7: « Et *Sub Novis* dicta pars in foro ædificiorum, quod vocabulum ejus pervetustum est ». Cf. Orat. II, 66, 266; Liv. III, 48, etc. Plaut. Curcul. IV, 1, 19, « Sub Veteribus, ibi sunt, qui dant, quique accipiunt fœnere ». Hæ autem *Veteres* ad *Mænianam* columnam erant, ut *Novæ* prope Cloacinas. *Novæ* solis æstibus expositæ erant, quum ad *Veteres*, tablinum, quod *Mænianum* dicebatur, umbras præberet. Hic tabernæ *Novæ* cum *Academia nova*, *Veteres* cum eadem *vetere* committuntur. Sensus igitur est : « Sic egit Antiochus, ut solent, quibus sub Novis solis æstus molestus est; sequuntur umbram, quæ sub Veteribus est. Æque Antiochus, qui quum solem quasi novæ Academiæ ferre non posset, ad veteres Academicos, velut ad Mænianos, se transtulit », ut illorum quasi sub umbra delitesceret. G.

15. *Quoque solebat... nihil posse percipi...is curavit.* Gœrenz lineis distinguit ante *quum quæreret*, quas claudit ante *is curavit*, datque *his curavit*. Notandum erat, inquit, viris doctis anacoluthon. Locus enim sic exire debebat: « id argumentum, quod ex Dionysio ipse sumpsisset, curavit (hic, ut) ex eo ceteri sumerent ». Lineas igitur posuimus, ut accuratius ista dispicerentur. Similia auctoris anacolutha. Cf. Brut. 14, 53, ibid. 26, 100; ibid. 37, 140. Fin. 3, 11, etc. Quod si Rathius vidisset, non tantis intemperiis hunc in locum grassaretur, ut sexies eum mutatum vellet. *His* autem scil. *verbis* pro *hoc argu-*

uti argumento tum, quum ei placebat, nihil posse percipi, quum quæreret, Dionysius [16] ille Heracleotes utrum comprehendisset certa illa nota, qua assentiri dicitis oportere, illudne, quod multos annos tenuisset, Zenonique magistro credidisset, honestum quod esset, id bonum solum esse; an, quod postea defensitavisset, honesti inane nomen esse, voluptatem esse summum bonum: qui ex illius [17] commutata sententia docere vellet, nihil ita signari [18] in animis nostris a vero posse, quod non eodem modo possit a falso; is curavit, quod argumentum ex Dionysio ipse sumpsisset, ex eo ceteri sumerent.

72 XXIII. Sed cum hoc alio loco plura [1]; nunc ad ea, quæ a te, Luculle, dicta sunt. Et primum quod initio dixisti, videamus, quale sit: similiter a nobis de antiquis philosophis commemorari, atque seditiosi solerent claros viros, sed tamen populares aliquos nominare. Illi quum res non bonas [2] tractent, similes bonorum videri volunt. Nos autem ea dicimus nobis videri, quæ vosmet ipsi nobilissimis philosophis placuisse conceditis. Anaxagoras nivem nigram dixit

mento scripsit Noster ex eodem anacolutho.

16. *Dionysius*. De *Dionysio Heracleota*, Zenonis Cittiei discipulo, qui ob oculorum dolorem a Stoicis ad Epicurum descivit, cf. Fin. V, 31, 94, cll. Athen. Dipn. VII, 6. Bayle Diction. Philos. p. 1448. G.

17. *Qui ex illius. Qui*, scil. Antiochus. — *Ex illius*, sc. *Dionysii.*

18. *Nihil ita signari . . . a falso.* Concise et feliciter vertit *Castillon :* « que le faux pouvait toujours produire dans nos esprits les mêmes impressions que le vrai ».

XXIII. 1. *Sed cum h. alio l. plura.* Peccant in his plerique scripti; ita tamen, ut continuo videas, fieri id ex male intellecto loco. Supra auctor scripserat, « Sed prius pauca cum Antiocho »; inde idem h. l. *sed cum hoc* (Antiocho, disputabo) *alio l. p.* G.

2. *Quum res non bonas tractent, similes . . . videri volunt.* In his suadent Pet. Fab. et Guiet. *res novas*, scriptis plerisque non respuentibus. Sed quem primo moverit *non* his in contextis a scribis omissum? Deinde perierit oppositio, quæ haud dubie ab auctore profecta est, *non boni* i. e. prava sectantes, et *boni*, quos *Patrioten* vocamus. Denique non viderunt illi

esse[3]. Ferres me, si ego idem dicerem? tu, ne si dubitarem quidem. At quis est hic? num sophistes? sic enim appellabantur ii, qui ostentationis, aut quæstus causa philosophabantur[4]. Maxima fuit et gravitatis, et ingenii gloria. Quid loquar de Democrito? quem 73
cum eo conferre possumus[5] non modo ingenii magnitudine, sed etiam animi? qui ita sit ausus[6] ordiri, « Hæc loquor de universis[7] ». Nihil excipit, de quo non profiteatur[8]: quid enim esse potest extra universa? Quis hunc philosophum non anteponit Cleanthi, Chrysippo, reliquisque inferioris ætatis? qui mihi,

viri, *quum* h. l. pro *licet* poni, *tamen*, ut sæpe, omissa; eaque sola vi h. l. subjunct. defendi posse. G.

3. *Anaxagoras nivem nigram dixit esse*. Cf. c. 31, et Sext. Emp. P. Hyp. lib. I, 13 : ὁ Ἀναξαγόρας τῷ λευκὴν εἶναι τὴν χιόνα ἀντετίθει, ὅτι χιὼν ὕδωρ ἐςὶ πεπηγός· τὸ δὲ ὕδωρ ἐςὶ μέλαν· καὶ ἡ χιὼν ἄρα μέλαινά ἐςι. Ibi p. 11, obs. A. Fabricius I : vid. Lactant. III, 23, V, 3. Anaxagoræ *nives atramentum fuerunt*. Galen. l. II, de simplic. medicament. c. 1 : καί τινες καὶ τὸν Ἀναξαγόραν ἐπικαλοῦνται μάρτυρα περὶ τῆς χιόνος ἀποφηναμένον ὡς οὐκ εἴη λευκή. Recenti certe ætate Anaxagoræ insistens vestigiis dissertationem *adv. alborem nivis* Goth. Voigt vulgavit, in delicc. physs. H.

4. *Sic enim appellabantur..... philosophabantur*. Vulgatur, « appellantur.... philosophantur ». At, *appellabantur*, scripti mei omnes : *philosophabantur* autem fr. cod. Erl. et Vien. ut de lectionis veritate ambigi nequeat, si noveris auctorem his imperff. hoc in contextus tenore proprie uti. Cf. Fin. II, 1, 1; Orat. 11, 37. Si secus auctor scripsisset, ipsius etiam tempore esse debebant, qui sic appellarentur. G.

5. *Possumus*. Dr. *possimus*. Non male : foret enim optativi græci loco. G.

6. *Qui ita sit ausus*. Melius Ven. 1494, Crat. vetusque editæ plures, « qui sit ita aus. » h. e. « quum is sane tanti animi esset, ut incip. » Scripti faciunt cum vulgata. G.

7. *Hæc loquor de universis*. Bene Davis. et laudat, et emendat ad h. l. Sext. Emp. VII, § 265 : Δημόκριτος... καὶ λέγων, λέγω τάδε περὶ τῶν ξυμπάντων : in vulgatis enim, scriptisque λέγω prave excidit. Cujus vero libri hoc esse initium existimari debeat, inter tot cognati argumenti scripta, quæ Democrito tribuuntur, dijudicare difficillimum fuerit. G. — Democriti locos quosdam collegit Henr. Steph. poes. philos. p. 156, ex Sexto Empirico, qui tum nondum impressus erat. Vid. supra ad l. I, 2, § 6. H.

8. *Nihil excipit, de quo non profiteatur*. Hæc verba sic capienda sunt, ut ingenii animique in Democrito magnitudinem probent. Magna enim ingenia quum parva et facilia spernunt, magna et ardua adoriuntur. G.

cum illo collati, quintæ classis videntur[9]. Atque[10] is non hoc dicit, quod nos, qui veri esse aliquid non negamus, percipi posse negamus: ille verum esse plane negat[11]; esse sensus quidem non obscuros dicit, nec tenebricosos[12] (sic enim appellat eos is, qui hunc maxime est admiratus, Chius Metrodorus[13] initio libri, qui est de Natura): « Nego, inquit, scire nos, sciamusne aliquid, an nihil sciamus; ne id ipsum qui-

9. *Quintæ classis videntur*. Populus romanus in sex classes dividebatur, quæ ipsæ certum centuriarum numerum efficiebant. Quinta classis proprie erat ultima in qua numerabantur, qui duodecim millia et centum quinque sestertia possidebant, vix nostræ monetæ, *trois cents écus*. Sexta classis erat eorum qui fere nihil aut nihil omnino in dominio habebant: capite censi dicebantur; inde auctor quintæ classis dicitur, qui nullam fere habet auctoritatem; gallice *un auteur de bas étage*. J. V. L.

10. *Atque*. Ne *atqui* malis, recordari oportet, *atque* h. l. intensivam esse, et *atque adeo* valere. Cf. Legg. III, 14, 32. G.

11. *Ille verum esse plane negat*. Gœrenz dat: « ille, esse verum, plane negat ». Ita, inquit, mei omnes; neque quidquam verius. In *esse* enim, non in *verum*, sententiæ vis est. Eadem vi continuo verbum subst. repetitur.

12. *Non obscuros dicit, nec tenebricosos*. Gœrenz dat: « non obsc. dicit, sed tenebricosos ». Ausi sumus, inquit, nostro Marte *sed* pro *nec* corrigere, quum inepta et contraria nexui sententia e loco eluenda esset, et scripti plane cum vulgata facerent. Rationem autem satis probabilem hanc sequuti sumus: scribas in voce *tenebricosos* exaggerantem vim non vidisse, eamque parem cum *obscuros* accepisse. Quod si fuerit, mirum non erit, si *nec* isti sua sponte correxerunt. Idque magis, quum pro ipsorum ignorantia haud viderent, « non.... sed », pro « non modo...sed etiam » dici. Cf. Arch. P. 4, 11; cll. Tusc. V, 6, 15, etc. Davis. jejunius conjicit, « sed obsc. et tenebr. » Nec felicius Ern. *et.... et*, aut *vel .... vel*, suadet. — Non videmus autem quid ineptum sit in vulgata, nec quæ sit necessitas eam emendandi. Sensus est: non Democritus dicebat, ut Chius Metrodorus, sensus nostros obscuros esse aut tenebris obsitos: namque sic se habentes sensus nostri aliquid saltem percipere potuissent. Immo vero Democritus dicit: nil omnino a sensibus percipi posse, nec esse aliquid quod possimus scire nos fateri.

13. *Chius Metrodorus*. Gentile præpositum puta, ut iste inter tot Metrodoros eo citius distingueretur. Fuit autem hic Democriti discipulus, et Hippocratis, medicorum parentis, magister. De quo, quæ huc referuntur, sic Diog. Laert. IX, 58: ὃς ἔλεγε, μηδὲ αὐτὸ τοῦτο εἰδέναι, ὅτι οὐδὲν οἶδε. Et Aristoteles apud Euseb. Præp. Evang. XIV, c. 19, sic ejus περὶ φύσεως librum incepisse testatur: Οὐδεὶς ἡμῶν οὐδὲν οἶδεν, οὐδ' αὐτὸ τοῦτο, πότερον οἴδαμεν, ἢ οὐκ οἴδαμεν. G.

« dem nescire, aut scire; nec omnino, sitne aliquid,
« an nihil sit[14] ». Furere tibi Empedocles videtur : at 74
mihi dignissimum rebus iis[15], de quibus loquitur,
sonum fundere[16]. Num ergo is excæcat nos, aut orbat sensibus, si parum magnam vim censet in his esse ad ea, quæ sub eos subjecta sunt[17], judicanda? Parmenides, Xenophanes[18], minus bonis quamquam versibus, sed tamen illis versibus[19] increpant eorum arrogantiam, quasi irati, qui, quum sciri nihil possit, audeant se scire dicere[20]. Et ab his aiebas removen-

14. *Nego, inquit,... an nihil sit.* Wyttenbachius, in libro inscripto : Φιλομαθίας τὰ σποράδην, t. I, p. 35, sic totum hunc locum scribit, verborum ordinem paululum invertens : « nego, inquit, scire nos aliquid, ne id ipsum quidem scire aut nescire, sciamus ne aliquid, an nihil sciamus; nec omnino sit ne aliquid, an nihil sit ». Quam opinionem exponit et refellit Gœrenz in Academ. præfatione. — *Scire nos.* Recte *nos*, quod olim addebatur, et in tribus etiam nostris legitur, Davis. delevit : idque vel per Laertium l. l. probatur. Repetitum autem *scire* in nostrorum nullo legitur. G.

15. *Rebus iis.* Gœrenz dat : *rebus his* de more.

16. *Sonum fundere.* Int. « verbis convenientissimis loqui », cf. Tusc. V, 26, 73. G.

17. *Quæ sub eos subjecta sunt.* Gud. « quæ sub ipsos subjecta sunt ». Bene. G.

18. *Parmenides, Xenophanes.* Vide supra 4, 15, pari ratione discipulum magistro ex ordine præpostero præmissum. Loca veterum, quibus horum sentiendi de his ratio illustretur, sedulo collegit Davisius. G. — Plut. de audit. p. 45; Sext. Emp. adv. math. VII, s. 111. De Parmenide Xenophanis versus huc facientes laudat Sext. Emp. adv. math. lib. VII, § 49; coll. Fülleb. *Beytr. z. Gesch. d. Philos.* VII, p. 5, seqq. Καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ ἴδεν, οὐδέ τις ἔσται Εἰδὼς, ἀμφὶ θεῶν τε, καὶ ὅσσα λέγω περὶ πάντας· Εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένον εἰπὼν, Αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε, δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται. Coll. Sext. Emp. sect. 110, lib. VIII, s. 326; Diog. Laert. IX, 11, 8. H.

19. *Sed tamen illis versibus.* Gœr. delet *tamen.* In delenda, inquit, hac particula quam fr. cod. et Ven. 1494, ignorant, recte egisse videmur. Non enim solum haud raro *tamen*, post *quamquam* simpliciter omittitur, cf. pro Planc. 3, 8; Phil. IV, 5, 13. Sæpius etiam *sed* sequente. Cf. Turs. 662. Ex locis facile ab eo laud. majorem vim enasci, *tamen* ita omissa, patet. Si vero, addita ea, loco huic videris languorem quemdam enasci; tenuerisque, tum, ex soni ratione, « sed tamen increpant illis vv. » scribendum auctori fuisse; (quod, si vel rationem non intellexeris, aures tamen te docent) : et toties denique particula a scribis intrudatur : jure nostro in ea rejicienda, fecisse videmur. Vide notam proximam.

20. *Qui, quum sciri nihil possit, audeant se scire dicere.* Hic primum

dum Socratem et Platonem. Cur? an de ullis certius possum dicere? Vixisse cum his equidem videor: ita multi sermones[21] perscripti sunt, e quibus dubitari non possit, quin Socrati nihil sit visum sciri posse. Excepit unum tantum, scire se nihil se scire: nihil amplius. Quid dicam de Platone? qui certe tam multis libris hæc persequutus non esset, nisi probavisset: ironiam enim alterius, perpetuam præsertim, nulla fuit ratio persequi[22].

75 XXIV. Videorne tibi, non, ut Saturninus, nominare modo illustres homines, sed etiam imitari numquam[1], nisi clarum, nisi nobilem? Atqui habebam molestos vobis, sed minutos, Stilponem, Diodorum,

locus aperte docet, nimis late eorum præceptum patere, qui sine circumscriptione inter *qui quum* interpungi vetant. Deinde lepide, nec re ad vivum resecanda, excusatio « versuum illorum minus bonorum » ex eo repetitur, quod eos *irati* fuderint: unde magis etiam *tamen* intrusam esse intelligitur. Quam intempestive autem Grut. *nihil se scire* conjecerit, sua sponte cernitur. G.

21. *Vixisse cum his equidem videor: ita multi sermones perscripti.* Constructio proprie debebat esse, « ita multi sermones, etc. ut equidem videar cum his vixisse ». Sed voluit auctor omnem sententiæ vim in *vixisse* collectam, atque ita verbum a fronte posuit. Pro *perscripti*, tres mei, cum Ven. 1494, « prædicti et præscripti », quorum loco Wrat. « præd. et perscripti », et Erl. simpliciter *præscripti*: ut vel ex his torporem et ignorantiam scribarum clare perspicias. De re ipsa vide Acad. I, 4, 16. G.

22. *Ironiam enim alterius... persequi.* Leclerc habet in textu *ulterius* vitio operarum: nam nec ille, nec ceteri critici monent usquam legi *ulterius*.—Hæc ad Platonem spectant, hoc sensu: « si Plato nil nisi Socratis ironiam, imprimis in omnibus ipsius, ut facit, scriptis, exprimere voluisset, haud idoneum scribendi consilium sequutus esset ». Ita nempe dogmatici statuebant, ut Academicis recentioribus, Socratis, Platonisque exemplum, quo hi nitebantur, eriperent. Verba autem, « nulla fuit ratio », sc. idonea, Græcis οὐδεὶς λόγος ἦν respondent. *Ratio* autem de *consilio* sæpe auctori. Cf. Ern. Clav. h. v. *Ironiam* autem latinis literis scripsimus, quum nulla voci explicatio addita esset; de quo supra monuimus. G.

XXIV. 1. *Non, ut Saturninus nominare modo i. h. sed etiam imitari numquam.* Gœrenz delet *etiam*. Primum, inquit, post *non* virgula distinximus, quum, « non nominare modo », cohæreant. Deinde *etiam*, auctoritate *sex* scriptorum apud Davis. et, e nostris, Gudiani, fr. cod. et Wrat. delevimus. Ceterum recte tuetur Davis. structuram « numquam nisi clarum »,

Alexinum [2]; quorum sunt contorta et aculeata quædam sophismata : sic enim appellantur fallaces conclusiunculæ. Sed quid eos colligam, quum habeam Chrysippum, qui fulcire putatur porticum stoicorum? Quam multa ille contra sensus, quam multa contra omnia, quæ in consuetudine probantur [3], dissolvit [4]? idem mihi quidem non videtur, sed dissolverit sane : certe tam multa non collegisset, quæ nos fallerent probabilitate magna, nisi videret [5], his resisti non facile posse. Quid Cyrenæi [videntur?] minime con- 76
tempti philosophi [6], qui negant esse quidquam, quod

sc. *alium*. Simili ratione paullo prius 22, 66 : « numquam a Philone discessit, nisi posteaquam », ubi *ante* cogitandum. Cll. Divv. VI, epist. 6. — Sententia est minus obscura, quam verba ipsa. Seditiosos homines dixerat supra, quum res novas tractarent, solitos ex antiquis esse claros, et nobiles viros nominare, quos suæ sententiæ auctores habere se dicerent. Hic Saturninum, vel seditiosissimum tribunorum, exempli gratia appellat pro seditiosis omnibus, qui se neminem nisi clarum, nisi nobilem imitari dixerit. P. Faber.

2. *Atqui hab. m. vobis...Alexinum*, etc. Sens. « Atqui rationibus Stilponis, etc. uti licebat, quæ vobis satis negotii facessunt » : sed nolebam istis uti, quum non inter claros et nobiles referrentur. *Stilponis* vitam vide apud Laert. II, 113, ut etiam *Diodori*, ibid. § 111. Idem etiam de *Alexino*, ibid. § 109 : διεφέρετο δὲ μάλιστα πρὸς Ζήνωνα; id quod de his Megaricæ disciplinæ philosophis valuisse videtur omnibus. G. — De illo Diodoro Crono, et Alexino v. Meiners V, Ill. *Gesch. d. Wiss. in Gr. u. R.* vol. II, p. 638, seqq. ubi exempla aculeatorum sophismatum allata sunt. Sext. Emp. adv. math. IX, s. 108, seq. Wyttenb. Logic. p. 87-90. H.

3. *Quæ in cons. probantur*. Int. quibus in communi vita solemus assentiri.

4. *Quam multa ille contra sensus... probantur, dissolvit?* Davis. edidit, « probantur. At dissolvit. Idem, etc. » cui se Durandus applicavit. Ern. « probantur; at dissolvit idem. mihi qu. » Hülsem. adhæsit P. Manut. et Pet. Fabro, « probantur? Dissolvit idem ». His addi possit vel potior Wopkensii conjectura « An dissolvit? » et si talibus delecteris, melior forte etiam hæc fuerit, quam novam afferimus, « probantur, dissolvit! Dissolvit? idem mihi q. » Sed locum integrum judicamus, respicique his ad prioris diei sermonem, in quo ex instituto de sensuum veritate disputatum erat. In quo quidem haud improbabile est, datum hoc esse Chrysippo, quod in his multa dissolverit. G.

5. *Nisi videret*. Gœrenz dat : *ni videret*.

6. *Quid Cyrenæi [videntur?] minime contempti philosophi*. Gœrenz delet *videntur*. Plane facio, inquit,

percipi possit extrinsecus[7]; ea se sola percipere, quæ tactu intimo sentiant, ut dolorem, ut voluptatem; neque se, quo quid colore, aut quo sono sit, scire; sed tantum sentire, affici se quodam modo[8].

Satis multa de auctoribus: quamquam ex me quæsieras[9], nonne putarem[10] post illos veteres, tot sæculis, inveniri verum potuisse, tot ingeniis, tantisque studiis, quærentibus. Quid inventum sit, paullo post videro[11], te ipso quoque judice. Arcesilam vero non

cum Grut. et Guyeto, qui verbum *videntur*, quod vulgata post *Cyrenæi* addit, damnant. Scribæ quum laborarent, quomodo nominandi casus in constructionis gyrum esset referendus, eum ad verba superius posita, « idem mihi quidem non videtur », sic aptarunt, ut *videntur* intelligendum esse putarent, quod glossema in textum irrepsit. Si auctor verbum addere voluisset, « quid Cyrenæos putas? censes? » scripsisset; ut solet. Davis. contra totus jejunus est, qui sic locum refingendum judicat, « Quid? Cyrenaici videntur min. contemnendi philosophi; qui negant, etc. » Ita enim *videntur* positu prorsus importuno erit. Cf. Brut. 25, 96. « Q. enim Pompeius, non contemptus orator ».

7. *Extrinsecus*. Græca τῶν ἔξω expressit. Cf. Sext. Emp. Pyrrh. I, 215: οἱ Κυρηναϊκοὶ (περὶ τῶν ἐκτὸς ὑποκειμένων) ἀποφαίνονται, φύσιν αὐτὰ ἔχειν ἀκατάληπτον. G.

8. *Sed tantum sentire, affici se quodam modo*. Gœrenz delet *sentire*. Præter id, inquit, quod verbum hoc per se jam languet, ignorant idem Gud. et Ven. 1494, et quod majus etiam est, ordine mutato refert fr. cod. « affici sentire se »; ut non possis non, quin glossam agnoscas. Ceterum vocem *quodam modo*, distinctis vocibus scripsimus, quum h. l. de particula cogitari nequeat. Cf. Orat. III, 10, 37; Brut. 40, 149. Notant, « certa quadam ratione », ut ubique, si postponuntur. Adhibuit autem consulto Cic. v. *affici*, quum Cyrenaici *solas affectiones* esse dicerent, et ab his veri normam tum in sentiendo, tum in agendo, repeterent. Vid. Sext. Emp. VI, 53: οἱ γὰρ ἀπὸ τῆς Κυρήνης φιλόσοφοι μόνα φασὶν ὑπάρχειν τὰ πάθη, ἄλλο δὲ οὐδέν. Cll. maxime eod. VI, § 195, seqq. Unde clarius etiam patebit, quam leve *sentire* sit intrusum; idque magis, quia *sentiant* statim præcesserat. Cf. præterea supra 7, 20, et infra 46, 142. — Hic, inquit *Leclerc*, referri meretur Durandi nota: « quod et fatebantur Pyrrhonii, teste Valentia, III, § 141; et semper fatebuntur, quoties eos fustibus excipies, ut fecit comicus ».

9. *Ex me quæsieras*. Supra cap. 6, init. « Nihil est igitur actum quod, etc. »

10. *Nonne putarem*. Ipse fatetur h. l. Ern. *nonne* pro *an non*, poni, quam part. alibi, hac vi positam, sæpius tentat. Cf. Nat. Deor. III, 10, 24, etc. Sed ea toties sic obviam est, ut loca afferre tædeat. G.

11. *Videro*. Ernestius *videro* in *videbo* mutari malit: sed contra perpetuum Ciceronis usum. Vide Orat.

obtrectandi causa cum Zenone pugnavisse, sed verum invenire voluisse, sic intelligitur. Nemo, in- 77
quam, superiorum[12] non modo expresserat[13], sed ne dixerat quidem, posse hominem nihil opinari; nec solum posse, sed ita necesse esse sapienti. Visa est Arcesilæ quum vera sententia, tum honesta, et digna sapiente. Quæsivit de Zenone fortasse, quid futurum esset, si nec percipere quidquam posset sapiens, nec opinari sapientis esset. Ille, credo, Nihil opinaturum; quoniam esset, quod percipi posset[14]. Quid ergo id esset? Visum, credo. Quale igitur visum[15]? Tum illum

III, 10, 37; Tusc. II, 11, 26, et in his Acadd. infra 44, 135. G. — Pro *te ipso quoque judice*, Gœrenz dat: « te ipso quidem judice ». Prave, inquit, non *quidem*, sed *quoque* vulgatur, contra et meos omnes, utrumque Oxoniensem, et editos veteres plerosque. Quod h. l. eo vitiosius est, quum alius etiam sensus exsistat. *Quidem* adseverantis est, et hoc sensu locum afficit, « sic ut sane ex tuo ipsius judicio te refellam ». At vulgatæ hic macer sane sensus prodit, « tu mihi etiam in posterum judex eris ».

12. *Nemo, inquam, superiorum.* Davis. ex tribus suis *umquam* dedit, quod ante eum etiam P. Manut. et Lamb. fecerant. Sed recte Ern. ad vulgatum redisse puto: nam primo incipit his novum quasi argumentum, ubi auctor addere *inquam* solet: deinde sæpe fit, ut *inquam* in *umquam* depravetur: vice autem versa nobis certe exemplum nullum innotuit. Tum junguntur fere *nemo umquam* in enunciatis universalibus, quod non hic occurrit. Denique confirmant etiam vulgatum scripti nostri omnes. G.

13. *Expresserat.* Recte Ern. contra Davis. defendit, qui *exposuerat* suadet. Sens. « Ne dicam accurate disputarat, sed ne simpliciter quidem tale quid statuerat ». At licet sic a Cicerone profectum putemus; tamen hæc verba durius sibi opposita videntur. Nam si vel ad *expresserat*, *dicendo* cogitaris, quod debes, nihilominus etiam ad *dixit* animo *simpliciter* addendum habebis. G.

14. *Nihil opinaturum; quoniam esset, quod percipi posset.* Vulgatur *opinatur*. Sed Davis. de suo dedit *opinaturum*; tamen *opinabitur* quoque legi posse judicat: quorum alterutrum amplectendum esse, vel Ern. pronuntiat. Fr. cod. *opinatum*, unde nos recte Davisii exemplum sequuti esse nobis videmur. Lallemandus testatur Par. *opinaturum* exhibere. Sed inde fidem suam hic pæne suspectam fecit, quum hoc ipsum dicit ex suis scriptis correxisse Davisium. De receptæ veritate nos quidem nihil dubitamus. Ex neglecta ultimæ syllabæ nota peccati originem nemo non videt. G. — Vertit *Castillon*: « Zénon répondit, je pense: il n'admettra rien de douteux, parce qu'il y a des choses dont il peut avoir la certitude ».

15. *Quale igitur visum.* De *visi*, i.

ita definisse, ex eo, quod esset, sicut esset impres-
sum, et signatum, et effictum. Post requisitum,
etiamne[16], si ejusmodi[17] esset visum verum, quale
vel falsum. Hic Zenonem vidisse acute, nullum esse
visum, quod percipi posset, si id tale esset ab eo,
quod est, ut ejusdemmodi ab eo, quod non est, posset
esse. Recte consensit Arcesilas; ad definitionem addi-
tum[18]: neque enim falsum percipi posse, neque ve-
rum, si esset tale, quale vel falsum. Incubuit autem
in eas disputationes, ut doceret, nullum tale esse
visum a vero, ut non ejusdemmodi etiam a falso pos-
78 set esse[19]. Hæc autem[20] est una contentio, quæ adhuc
permanserit. Nam illud, nulli rei assensurum esse
sapientem, nihil ad hanc controversiam pertinebat.
Licebat enim nihil percipere[21], et tamen opinari:

e. φαντασίας definitione, quæ sequitur, vide supra ad VI, 18.

16. *Etiamne.* Subaudi: aliquid a sapiente percipi posset.

17. *Ejusmodi.* Gœrenz dat *ejusdemmodi.* Jam, inquit, jusserat Davis. ut sic scriberetur, et nos supra 9, 27, satis accurate docuisse nobis videmur, in hac Academiæ recentioris formula ubique sic esse legendum. Idem valet etiam de *vel*, quam recte Davisius ex *quinque* suis addidit, 4 nostris cum Vien. Ven. 1494, eam confirmantibus. Ita etiam paullo post, « ut ejusdemmodi ab eo, etc. » jubente fr. cod. qui clare sic præbet, cum Ern. qui sic ex ingenio dedit, reposuimus: idque verissimum, quum respondeat præcedenti *tale.* — Int. Si et quæ vera sunt et quæ falsa similiter nobis videntur.

18. *Ad definitionem additum.* Nempe Zeno addidit aliquid definitioni quam primum de viso dederat, quum diceret: « visum esse quod, ex eo quod esset, etc. » quæ definitio falsa erat, quoniam visum ex eo, quod non esset, pariter oriri posset.

19. *Posset esse.* Sic correxit Ern. scriptis editisque *possit* constanter servantibus. Quam correctionem non probat Gœr.

20. *Hæc autem est una cont.* Gœrenz delet *autem.* *Autem*, inquit, e nostris solus Erl. servat. Nec agnoscit part. Davis. cujus sex codd. eam abjiciunt; itemque Ven. 1494, cum pluribus vetus editis. Quare non debebat Ern. recte damnatam reponere. Nam dudum recte notavit Jac. Gron. ad Herenn. IV, 14, *autem* a scribis, velut quoddam nexus fulcrum, intrudi; cf. Heusingg. ad Off. I, 31, 7, et III, 29, 14; et Tusc. II, 13, 30; ibid. III, 34, 84.

21. *Licebat enim nihil percipere, et tamen opinari.* Sententia hæc est, « Nam licebat Academicis recentt. statuere, opinari nonnumquam sapientem, sed percipi posse nihil ». Arcesilas

quod a Carneade dicitur probatum. Equidem Clitomacho[22] plus, quam Philoni, aut Metrodoro, credens, hoc magis ab eo disputatum, quam probatum puto.

XXV. Sed id omittamus. Illud certe, opinatione, et perceptione sublata, sequitur, omnium assensionum retentio[1]: ut, si ostendero, nihil posse percipi, tu concedas numquam assensurum esse[2].

Quid ergo est, quod percipi possit, si ne sensus 79

enim quum hoc a Zenone accepisset, *opinionem* in sapientem nihil cadere, id etiam addebat, cadere in hunc ne *assensionem* quidem. Vide supra § 67, 68. Hanc contra necessario Zeno retinendam esse videbat, quum alias non plenus ad perceptionem aditus pateret. Jam dicit h. l. auctor, Arcesilæ rationem non necessariam fuisse, licere enim cum Carneade statuere, « opinari nonnumquam sapientem ». G.

22. *Equidem Clitomacho.... credens... puto.* Gœrenz dat: « Equidem enim Clit. » sententiamque hanc parenthesi includit. *Enim*, inquit, de nostro addidimus; quæ particula, loco necessaria, ob præcedentem syllabam excidit, sæpe post *em* ex compendio elapsa. Nullam autem particulam parenthesi magis inservire, certissimum est. Ad hanc autem Clitomachi de Carneade sententiam vide infra cap. 31.

XXV. 1. *Illud... sequitur, o. assensionum retentio.* Hülsem. delet verba « omnium assensionum retentio », quo nativum loci nexum corrumpit et jugulat, ignarus duplicis Ciceronis scribendi moris, frequenter usurpati. Primum enim ille usum verbi *sequi* non cepit, quod id verbum non solum impersonaliter quodammodo struitur, sequente vel *ut*, vel acc. cum infinit. sed etiam cum ellipsi, ut hoc loco, ubi sic supplebis « sequitur, ut sit omn. ass. retinenda ». Cf. infra 31, 99. Deinde idem offendit in structura, « Illud... sequitur... retentio ». At quoties neutra pronominum sic ponuntur, ut ad plenum vel antecedentium, vel subsequentium verborum contextum referantur? Ponuntur autem verba « omnium assensionum retentio », sic relate ad hoc pron. ut appositio sit. Nec facile quisquam offenderet, si his auctor *nempe* præposuisset. Jam totius loci contexta videamus. Colligit auctor ex superioribus, retinendum esse assensum omnem, si in sapientem neque opinio, nec perceptio, cadat. Sed quum de perceptione ipsa nondum egisset, ita sibi in apodosi transitum ad hanc ipsam rem parat. *Ut* autem, pro *ita ut* ponitur. G.

2. *Tu concedas, numquam assensurum esse.* Sc. *sapientem*: nam de *assensione sapientis*, quam Academici vetabant, Stoici, et cum his Antiochus, statuebant, in superioribus sermo fuit. Cf. cap. 21, 67, 68. Male igitur Davis. qui *te* suadet, probante Wetzel. Supra l. l. sæpius sic ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *sapiens* cogitandus erat. Et præcesserat h. l. paullo ante, « nulli rei assensurum esse sapientem ». G.

quidem vera nuntiant? quos tu, Luculle, communi loco defendis. Quod ne id facere posses, idcirco heri, non necessario loco, contra sensus tam multa dixeram[3]. Tu autem te negas[4] infracto remo, neque columbæ collo commoveri. Primum cur? nam et in remo sentio non esse id, quod videatur; et in columba plures videri colores, nec esse plus uno. Deinde nihilne præterea diximus? maneant illa omnia; lacerat ista causa[5]. Veraces suos esse sensus dicit[6]. Igitur

3. *Quod ne id facere posses... dixeram.* Accipies hæc verba pro « quamquam ne hoc tale fac. posses », sic ut *id* pro *tale* positum accipiatur, ut ubique solet. Cf. Orat. I, 29, 132. P. Manut. Wetzel. et Hülsem. *id* delent, quod cur scribæ addiderint, ratio idonea addi nulla possit. Accedit etiam, quod toties hoc pronomen cum quadam exuberantia poni solet. Totius autem loci sententia hæc est: «Nihil igitur percipi potest, quum ne sensus quidem veri sint nuntii. Sed tu defendis eos, Luculle, universali argumento: quamquam ideo, ne tale quid a te fieret, heri tot, etc. contra sensus disserueram. Sed tu nihil curas argumenta de infracto remo, etc.» G.

4. *Te negas... neque.* Haud est in simplici *neque* hærendum. Cf. Fin. I, 9, 30: « negat opus esse ratione neque disputatione »: ex verbo enim *negat*, cogitandum est ad *neque*, *dicit*. De *remo*, qualis in aqua videtur, *infracto*, etc. vide supra ad 7, 19. G.

5. *Maneant illa omnia; lacerat ista causa.* Gœrenz dat: « si maneant illa omnia, laceratis istam causam ». Desperatus, inquit, hucusque locus. Vulgata præbet « maneant illa omnia, lacerat ista causa ». In qua sic VV. DD. se exercuerunt, ut, reliquis fere servatis, in *lacerat* hærerent, *lateat*, *latrat*, *jacebat*, *laborat*, *lacera*; qui altius abierunt, auream illam in κρίσει regulam, τ' ἀληθὲς σοὶ ἐγγύθι ναίει, neglexerunt, velut Davisius. Nos quidem quum in Gud. et fr. cod. *istam causam* reperissemus, huic lectioni, quam item Joan. Baptista habet, reliqua accommodavimus. Ac primo *si* addendum esse judicavimus, toties post *s* elapsam, et multis adhuc locis veteribus restituendam. V. c. Att. II, ep. 2. Orat. I, 4. Off. III, 17, 2. In his locis omnibus *si* ex ingenio addendum est. Deinde *laceratis* correximus, cujus addita syllaba itidem facile a sq. voce hauriri potuit. Restat ut verba, *maneant illa omnia*, recte teneantur. *Manere* autem h. l. de iis dicitur, « quæ, haud refutata, vim suam servant »; ut alibi, « quæ firmis argumentis confirmata sunt », eodem modo. Cf. Off. III, 12. *Illa omnia* denique ad verba, « nihil præterea diximus? » referuntur. Sensus est: « Deinde nonne plura, quam quæ sunt de remo et collo columbæ, argumenta proposui? quæ nisi omnia refutaritis, ex parte modo hanc causam agetis ». — Cui explicationi consentit versio gallica: « ensuite n'ai-je rien dit de plus? si ce que j'ai ajouté subsiste, votre cause est perdue ».

6. *Veraces suos esse sensus dicit.*

semper auctorem habes eum[7], qui magno suo periculo causam agat. Eo enim rem demittit[8] Epicurus, si unus sensus semel in vita mentitus sit, nulli umquam esse credendum. Hoc est verum esse[9], confi- 80
dere suis testibus, et importune insistere. Itaque Timagoras Epicureus negat sibi umquam, quum oculum torsisset, duas ex lucerna flammulas[10] esse visas; opinionis[11] enim esse mendacium, non oculorum. Quasi quæratur, quid sit, non quid videatur. Sed hic quidem majorum similis[12]. Tu vero, qui visa sensibus alia vera dicas esse, alia falsa; qui ea distinguis?

Nempe Epicurus. Quod Epicuri nomen suppressum est, id ex illo per ironiam quamdam imitato, αὐτὸς ἔφα, derivarim. G.

7. *Habes eum.* Partic. *et* inter voces *habes eum* ante Davis. legebatur, sed quatuor nostri ignorant. G. — Pro *agat*, Hüls. *agit*, de suo.

8. *Demittit.* Gœr. dat *dimittit.* Hoc, inquit, quod Ern. ex sola Mediol. in *demittit* mutarat, quodque ante eum jam P. Man. et Lamb. sua sponte fecerant, reduximus. « Dimittit est, tam longe rem a nostra sententia abducit ».

9. *Hoc est verum esse, conf. s. t. et imp. insistere.* Delet Gœrenz *verum esse.* Quomodo, inquit, ista et ad hæc contexta rite quadrent, dispicere non est. Quodsi ea defenderis, statues, *verum* dici h. l. *veri amantem;* quod licet. At quo modo verba, *importune insistere*, recte coibunt? quo modo interiorem loci sententiam concinnabis? Deinde, his abjectis, reliqua, quasi causa morbi detracta, lætius efflorescunt, et verum demum sanitatis colorem induunt. Atque quis nescit, quantopere scribæ in locis, quæ in ironia ponuntur, turbent? Quoties denique vel hoc in libro *verum* ex glossemate additum est! *Testes* sunt *sensus*, ad quorum certitudinem ille provocabat. — Ferri potest *verum esse* eo sensu quo significet hominem non disputationis, sed veritatis amantem, et bene vertit *Castillon :* « voilà ce qui s'appelle être franc, se fier à ses témoins, et pousser la chose jusqu'au bout ». *Importune* eo sensu audies quo significet Epicurum tanta concedere, ut in periculum adducat causam eorum qui ipsius auctoritate nituntur.

10. *Quum o. tors. d. e. l. flammulas esse visas.* Idem phænomenon. Conf. quoque Sext. Empir. contra Math. VII; contra Logic. I, sect. 354; Arist. Eudem. VII, 13; Cic. de Div. II, 58.

11. *Opinionis...non oculorum.* Vide et ibi Lucret. IV, 463.

12. *Sed hic quidem majorum sim.* Gœrenz dat: « sit hic quidem major. sim. » Nostri omnes, inquit, vel *sic* præbent, vel *sit*, ut Gud. et fr. cod. nec aliter haud dubie in suis Davis. reperit; sed neglexit. Int. « Sit hic sane quidem superiorum Epicureorum similis (qui tales inconsequentias ex dialectices contemptu admittebant):

Desine, quæso [13], communibus locis: domi nobis ista nascuntur. Si quis [14] deus te interroget, sanis modo et integris sensibus, num amplius quid desideres; quid respondeas [15]? Utinam quidem roget! audias, quam nobiscum male egerit [16]. Ut enim vera videamus, quam longe videbimus [17]? Ego Catuli Cuma-

at tu vero... quomodo tu ista distinguis?

13. *Desine quæso.* Gœrenz dat: « sed desine, quæso ». Vulgata, inquit, ignorat *sed*, cujus loco in prius editis, vetusque impressis *et* legitur. Male quum hoc, tum illud. Conquestus enim erat Cic. jam ante de his communibus locis a Lucullo adhibitis; ne igitur h. l. nudum *desine* ad hoc profectum putes. Immo ex hac *et*, quam quatuor mei tenent, *sed* corrigendum erat, cum *s* a præcedente voce hausta esset, et olim *set* scriberetur. Quod eo verius videtur, cum frag. cod. *distinguisse desine* peccet.

14. *Si quis deus te int.* Gœrenz dat: probante *Leclerc*: « si, inquis, deus te int. » Miror, inquit Gœrenz VV. DD. qui verissimam lectionem *inquis* in *quis* depravare potuerint, quam plerique codd. aliorum, meique omnes, tuentur. Sed etiam Davis. qui *inquis* ex pluribus suis codd. reduxit, et Hülseman. qui hunc sequutus est, cæci in verum ruunt: alias locum attulissent, qui solus rem dirimit. Vide supra 7, 19. Ad quem his respici certissimum est.

15. *Num amplius quid desideres; quod respondeas?* Gœrenz dat: « num amplius quid desideras, quod respondeas ». Decepit h. l. inquit, et scribas et VV. DD. veluti prægnans verbi, *respondere* notio, qua « in reponsione indicare quid requiras, meliusve postules », notat. Cf. Divin. I, 5, 9: « Ejus (Cottæ) orationi, non sane desidero quod respondeam: satis enim defensa religio est ». Ex pæne communi utriusque pron. compendio et h. l. librarii peccarunt, et ubique peccant. — Nobis autem hæc correctio sensum longe obscuriorem fecisse videtur qui patet, si intelligas ut vertit *Castillon*: « que répondrais-je, dites-vous, à un Dieu qui me demanderait si je souhaite quelque chose de plus que l'intégrité et le bon état de mes sens? »

16. *Audias... egerit.* Gœr. habet *audiat.* Quo sæpius, inquit, hæc vv. considero, eo magis cum Grutero hæc glossemati adscribo. Sive lectionum ineptias spectes; plerique enim scripti *audies... agerent;* sive pravam nexus consequentiam; nam proprie *audiat... actum sit*, scribendum erat: sive pravum verborum positum; quum *male nobiscum*, sono ad *male* pertinente, dici deberet: sive denique sententiæ hujus pæne impietatem; quamquam vel Academico quoddam religionis decorum servandum erat: suspecta ista non sine jure tibi videbuntur.

17. *Ut enim vera videamus, quam longe videbimus?* Davis. conjicit *viderimus;* Ern. ex scriptis quibusdam, ut dicit, *videmus* dedit. At nos quidem et scriptos illos ignoramus, et vulgatam meliorem etiam judicamus. *Ut* vero h. l. pro *utut*, aut *si vel maxime*, poni sponte intelligitur. G.

nam ex hoc loco regionem video[18], Pompeianum non cerno : neque quidquam interjectum est, quod obstet; sed intendi longius acies non potest. O præclarum prospectum! Puteolos videmus; at familiarem nostrum Avianum[19], fortasse in porticu[20] Neptuni ambulantem, non videmus. At ille nescio[21] qui, qui 81
in scholis nominari solet, mille et octoginta[22] stadia quod abesset, videbat. Quædam volucres longius. Responderem igitur audacter isti vestro deo, me plane his oculis non esse contentum. Dicet me acrius videre,

18. *Ego Catuli Cumanam ex hoc loco regionem video, Pomp. n. c.* Jam P. Faber notaverat *Cumanam regionem* vix latine dici pro *Cumano*, præsertim quum sequeretur *Pompeianum*. Gœrenz dedit : « Ego Catuli Cumanum ex hoc loco, Pomp. n. c. » Si quædam, inquit, huic loco vera χρίσις adhiberi potest, hæc est, quam sequimur. In plerisque scriptis primo *Catule Cumanum* legitur, quod vel de peccantibus valet; sic Par. 5, et Gud. « Catule quum in alio anum annum ». Scilicet scribæ ignorabant Catulo vere hujus nominis prædium fuisse. Deinde quum in quibusdam *Cumanam* peccaretur (ψ. *Aimanam*), glossa addita est *regionem*, cui duplex altera, vel *cerno*, vel *video*, adjecta est; quam alii codd. simul servant, *cerno regionem video*, ut Gud. et Dr. alii hæc, omisso *video*, ut fr. cod. alii, *regionem cerno ;* alii denique abjectis vv. *regionem video*, ut Vien. et duo apud Davis. Vere igitur redundantia abscidimus: nam si vel cum Lipsio *e regione* malueris, tamen et superflue hæc addita agnosces, et simul *nobis*, vel tale quid, desiderabis. Inde facile intelliges quam bene Hülsem. « Ego, Catule, Cumanum ex hoc loco cerno; regionem video, Pompeian. non cerno ».

19. *Avianum*. Gœrenz dat: *C. Avianum*, notatque: Gud. *Canianum*, fr. cod. *Carianum ;* Wr. *Octavium ;* in Baptistæ codice erat *tamanum*. Ex his prænomen Caii addidimus, quod a vulgatis abest. Notandum etiam simul est semper Ciceronem, si quem honoris causa nominat, ei prænomen addere solere.

20. *In porticu Neptuni. Neptuni* hæc *porticus*, exstructa haud dubie ad mare (erant enim *Puteoli* ad litus positi, unde *Puteolanus sinus*), ut in ea frigidior aura, quam mare exhalat, captaretur; atque ex eo ipso Neptuno consecrata. G.

21. *Nescio qui, qui*. Sic omnes mei codd. sic editi omnes. At Hülsem. *nescio quis* correxit oblitus esse discrimen inter *nescio quis*, et *nescio qui*. Prius semper in contemptu poni, posteriore rem notari, quam vel nescias, vel non tantam judices, ut accuratius designes. Cf. Divv. XII, ep. 18, 2, etc. G.

22. *Mille et octoginta stadia q. a. videbat*. Detraxere VV. DD. huic homini, qui a Varrone *Strabo* appellatur, auctoritate Plin. Hist. Nat. VII, 21,

quam ullos pisces[23] fortasse; qui neque videntur a nobis, et nunc quidem sub oculis sunt; neque ipsi nos suspicere possunt. Ergo ut illis aqua, sic nobis aer crassus offunditur. At amplius non desideramus[24]. Quid? talpam num desiderare lumen putas? Neque tam quereretur cum deo, quod parum longe, quam quod falsum videret. Videsne navem illam? stare nobis videtur; at iis, qui in navi sunt, moveri hæc villa. Quære rationem, cur ita videatur: quam ut maxime inveneris, quod haud scio, an non possis[25];

720 stadia, quum prius *octingenta* legerentur, vel sic nimis singulari oculorum virtute prædito; nam teste Macrob. Somn. Scipion. I, 15, ad fin. « centum et octingenta stadios non excedit acies contra videntis ». G.

23. *Quam ullos pisces.* Gœrenz dat, *illos*. Ita, inquit, ex solo ψ. recepimus; sed interna rei necessitate jubente. *Ullos* enim, quod editi omnes scriptique reliqui tenent, notaret pisces cujuscumque generis, et ubicumque isti fuerint : at h. l. pisces notantur, qui hoc in sermone occupatis *sub oculis erant*, quorum tamen adspectum aquarum profunditas eripiebat. Correct. improbat J. V. L.

24. *At amplius non desideramus. Quid talpam num.* Gœrenz incisi lineam post *desideramus* ponit. Priora verba, inquit, ex vitio notat Ernesti, bicipitem iis conjecturam admovens, ubi nulla opus. Ex inciso, cujus lineas apposuimus, si hæc dicta acceperis, belle in suum orbem coibunt omnia. Ita etiam nihil est, cur *nos* addas. Voce loquentis, et gestu, distinguenda sunt, ut intelligatur, ex mente Luculli de dogmaticis hoc dici. Neque ad *amplius*, *quam pisces* intelliges; sed *quid*. Nota autem hujus vocis vis est, qua *præterea, insuper quid*, audit. At Ernest. ipse sibi aditum ad verum loci sensum præcludit, quum in posterioribus, Davisii exemplo, *non* pro vulgato *num* scriberet; quæ lectio uno codice confirmata, interna etiam probabilitate laborat. Aperte enim contexta hoc valent : « At contenti sumus hac sensuum nostrorum facultate ». (Hæc enim referuntur ad illa supra 7, 17 : « non videam quid quærat amplius »). His respondetur : « Quid mirum? num talpa lumen desiderat? neque (si vel desideraret) tantum ex eo deum vestrum accusaret, quod parum longe videret (quum jam penitus visu destituta sit) quantum inde, quod falsum videret ». — Cic. (obs. Davis.) qui visum talpis hebetiorem dedit, meliorem se physicum præstitit, quam ii, qui nullum. Notum Virgil. Georg. I, 183 : « Aut oculis capti fodere cubilia talpæ ». Sic post Arist. Plin. XI, 52 : « quadrupedum talpis visus non est ». Hesych. ἀσπάλαξ, ζῶον ὀμμάτων ἐστερημένον. Alibi idem; ὄψεως τυφλότερος ἀσπάλαχος. Item Suidas s. v. H.

25. *Quod haud scio, an non possis.* Wopkens p. 35, locum plurimis similibus adstrui posse arbitratur, quibus

non tu verum testem habere, sed eum non sine causa falsum testimonium dicere ostenderis.

XXVI. Quid ego de navi[1]? vidi enim a te remum 82
contemni. Majora fortasse quæris. Quid potest esse sole majus? quem mathematici amplius duodeviginti partibus[2] confirmant majorem esse, quam terram. Quantulus nobis videtur! mihi quidem quasi pedalis. Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum, quam videatur[3], sed non multo; nec majorem quidem multo putat esse; vel tantum esse, quantus videatur: ut oculi aut nihil mentiantur[4], aut non mul-

v. c. dicitur: « quod haud scio an fieri non possit », quum de rei possibilitate ambigitur; et vice versa, « quod haud scio an fieri possit », ubi fieri confiditur. Vid. Davis. ad legg. I, 21; Burm. ad Quintil. I, Or. XII, 11; Lipsium ad Senec. de ira, III, 38. H.

XXVI. 1. *Quid ego de navi?* Recte vidit Ern. hæc, his in contextis, non recte stare, nisi particulam addas, qua nosmet ipsi corrigimus: proprie enim *loquor,* etc. addendum fuerat. Ille *quamquam* v. *sed quid* conjicit: idque plane ex Cic. more. Posterior autem ratio, quum *sed,* ut paullo ante docuimus, *s* præcedente, sæpe multum exciderit, præferenda. Ceterum mirum non est, si Hülsem. hujus rei necessitatem parum sentiat. G.

2. *Amplius duodeviginti partibus.* Quantum nos quidem novimus, Græci fere in eo consentiunt, solem esse *vicies octies,* non *octies decies,* terra majorem. Cf. Stob. Ecl. Phys. I, p. 55; Plut. Decrr. Phill. I, 20; cll. Achill. Tat. Isag. ap. Petav. t. III, p. 81. Videndum igitur erit, an non sit *duodetriginta* legendum. G. — Vide Excursum III.

3. *Eum, quam vid. s. n. m. nec majorem quidem m. p. esse.* Hæc verba absunt a Dr. sed causa elapsorum in duplici *esse* cognoscitur. Plut. l. l. c. 21, τηλικοῦτον, ἡλίκος φαίνεται, μικρῷ μείζω, ἢ ἐλάττω. Ex his apparet, Cic. sic scripsisse, ut accuratius Epicuri mentem exprimeret: atque inde excusandus erit, si ista cum proxime seqq. paullo languere videantur. Quum tamen verba, « ne majorem quidem », etiam vitiosa videremus, ex Gud. fr. cod. Wr. et ψ. *nec* dedimus; sic ut *quidem*, *sane*, notet. Cf. Catil III, 10, 24: « Nec dici quidem opus est ». Divin. I, 9, 16: « Nec hoc quidem quæro, etc. » G.

4. *Ut oculi aut nihil mentiantur, aut non multum mentiantur.* Gœrenz dat: « ut oculi aut non multum mentiantur, aut nihil ». Ita, inquit, Gud. fr. cod. Dr. et Vin. Neque aliter Ven. cum edd. vett. pluribus; modo quod hæ *mentiantur* repetite addunt. At Wrat. « ut oculi aut multum, aut nihil mentiantur ». Erl. solus e nostris cum vulgata, « aut nihil mentiantur, aut non multum mentiantur ». Miror Ern. non saltem cum Davisio verbum prius sustulisse: repetitum enim duris auribus placebit. Ortum autem vitium ex

tum mentiantur. Ubi igitur illud est, SEMEL[5]? Sed ab hoc credulo, qui numquam sensus mentiri putat, discedamus; qui ne nunc quidem[6], quum ille sol, qui tanta incitatione fertur, ut, celeritas ejus quanta sit, ne cogitari quidem possit, tamen nobis stare
83 videatur. Sed, ut minuam controversiam: videte, quæso, quam in parvulis sitis[7]. Quatuor sunt capita, quæ concludant[8], nihil esse quod nosci[9], percipi, comprehendi possit; de quo hæc tota quæstio est. E

eo videtur, quod scribarum oculi, ut toties videre licet, a priore *aut* ad posteriorem vagati, in causa fuerunt, ut voces *non multum* postponerentur, verbo denuo iis addito. Nam si auctor eum vulgata scribi voluisset, *certe*, aut tale quid, addidisset; ut in illo, « vel nihil, vel certe parum ». G.

5. *Ubi igitur illud est, semel?* Contexta hæc sunt: « In sole admittit Epicurus, posse oculos mentiri. Ubi manet igitur illud edictum ejus? si unus sensus semel in vita mentitus sit, nulli umquam esse credendum ». Vide paullo superius 25, 79. G.

6. *Qui ne nunc quidem.* Referes hæc, ex ironia posita, ad *sensus*, cogitato simul *mentiuntur*. Male VV. DD. ad Epicurum referenda censebant. Hinc *putat* olim addidere. Ern. ex antecedd. « sensus mentiri putat ». Sed tum propter part. *nunc* vivacem habebimus Epicurum! Davis. suadet, « quid? ne nunc quidem? » intellecto, « sensus mentiri putat ». Immo sic loci sententiam constitues: « Sed mittamus hunc credulum, qui numquam plane sensus errare statuat; qui videlicet ne nunc quidem errant, quum sol, quem videtis, stare nobis videatur, licet ille tanta velocitate feratur, quantam ne fingere quidem imaginatione valemus ».

7. *Videte, quæso, quam in parvulis sitis.* Tentarunt hunc locum varimode intt. neque nos olim, quum conjiceremus *quam in parvo lis sit*, satis ad auctoris dicendi morem attendimus, petitum a Græcis, et ipsi satis familiarem. Quum enim Græci ἐν πράγμασι, κακοῖς, λόγοις, μεγίστοις εἶναι, tum ponunt, ubi Latinis proprie, « in negotiis... versari » dicitur: eadem imitatus Cic. « in negotio curaque, in vitio aut virtute, in opinione, in sententia esse » scribit. Quæ quum ita sint, dubitatio nulla relinquitur, recte dici, « in parvulis esse », pro « in rebus minutis versari »; idque satis est ad locum plene defendendum. G.

8. *Quatuor sunt capita, quæ concludant.* Omnes mei receptam a Davisio inde lectionem firmant, cujus loco *concludunt* prius editi: quod h. l. nihil est. « Quæ concludant » enim pro, « quibus comprehendatur », dicitur. Conf. Brut. 8. Ceterum proponuntur hæc IV capita accuratius supra, 13, 40. G.

9. *Nosci.* Turbat gradationem Lambin. si pro *nosci*, *cognosci* suadet: *noscere* est enim « in notitiam visi venire, percipere, ejus varias notas perspicere, comprehendere, in unam formam easdem colligere ». G.

quibus primum est, esse aliquod visum falsum; secundum, non posse id percipi [10]; tertium [11], inter quæ visa nihil intersit, fieri non posse, ut eorum alia percipi possint, alia non possint; quartum, nullum esse visum verum a sensu profectum, cui non oppositum [12] sit visum aliud, quod ab eo nihil intersit, quodque percipi non possit. Horum quatuor capitum secundum, et tertium, omnes concedunt. Primum Epicurus non dat. Vos, quibuscum res est, id quoque conceditis [13]. Omnis pugna de quarto est. Qui 84
igitur P. Servilium Geminum [14] videbat, si Quintum se videre putabat [15], incidebat in ejusmodi visum,

10. *Non posse id percipi.* Fr. cod. et Dr. « id percipi non posse » : atque ita plane supra vulgatur § 43 : « quod falsum est, id percipi non potest ». Sed eum locum ex lectionis diversitate corruptum vidimus. Nec h. l. recte de vero ejus positu dubitabitur, si repütes verba *non posse*, quum sint præposita, *non fieri posse, ut*, notare: quod cum loci sententia aptissime convenit; pugnat enim secum, si falsum percipi posse statueris. G.

11. *Tertium.... possint.* Int. Si inter falsum visum et verum omnino nihil intersit, atque certum sit falsum percipi non posse, certum est quoque nullum omnino visum percipi posse. Nam non potest fieri ut simile omnino hujus rei, quæ percipi non potest, ipsum possit percipi.

12. *Oppositum.* Græcis παρατεθὲν dicitur, hoc sensu : « nullum visum datur, quod non similitudine alterius, e regione positi (falsi), obscuretur ». Non male, per se quidem Lamb. post *aliud, falsum* addit : necesse tamen nihil est. G.

13. *Primum Epicurus non dat. Vos, quibuscum res est, id quoque conceditis.* Possis *at vos* conjicere, sic ut verbum antecedens particulam absorpserit. Idque magis, quum sententiæ tenor sit, « primum quidem enuntiatum ab Epicuro non conceditur, sed nihil opus est, ut de eo disseram, quum vos, quibuscum res agitur, nihil in eo offendamini ». Sed equidem hanc part. hac in enuntiationum brevitate cogitandam potius, quam addendam esse judico, quippe qui certus sim, auctorem, si *at* apponere voluisset, in continuo seqq. *omnino igitur* scripturum fuisse. G.

14. *P. Servilium Geminum.* De *Serviliis Geminis*, supra cap. XVIII, 56, mentio fuit; ubi vel brevius etiam notantur : ut vix dubitari possit, quin pridie Cicero, quum de veritate sensuum dissereret, eorum accuratius meminerit. G.

15. *Si Quintum se videre putabat.* Gœrenz dat : « sed Q. se videre putabat ». Hanc lectionem, inquit, utique meliorem, ex fr. cod. et Erl. adscivimus, quam etiam Grut. ex Pal. 2, laudat. Tenendum enim, Ciceronem, *si* posita, hoc verborum ordine usurum fuisse : « qui igitur, si Q. Servil.

quod percipi non posset; quia nulla nota verum distinguebatur a falso : qua distinctione sublata, quam haberet, in C. Cotta [16], qui bis cum Gemino consul fuit [17], agnoscendo, ejusmodi notam, quæ falsa esse non posset [18]? Negas tantam similitudinem in rerum natura esse. Pugnas omnino, sed cum adversario facili. Ne sit sane; videri certe potest. Fallet igitur sensum; et si una fefellerit similitudo, dubia omnia reddiderit. Sublato enim judicio illo, quo oportet agnosci, etiam si ipse erit, quem videris, qui tibi [19] videbitur, tamen non ea nota judicabis, qua dicis oportere, ut non possit esse ejusdemmodi falsa. Quando igitur
85 potest tibi P. Geminus, Quintus videri, quid habes

Gem. se vid. putabat, Publium videbat », idque ex perpetuo ejus more præmittendæ conditionis, ut ubique alibi, ita maxime in hujusmodi enuntiatorum oppositione : in qua nobis certe exemplum, quo exceptio valeret, nullum occurrit.

16. *In C. Cotta.* Ita verissime Ern. consentiente Gud. et Erl. Exciderat, ut assolet, prænominis nota; tum scribæ pro *in M.* scripserunt. Id quidem eo certius est, quum frag. cod. *in Cotta*, et Wr. *in cocta* expresse exhibeant. Prænomen jam Davis. ex Eliensi suo reposuerat. G. — C. Aurelium Cottam constat vel e fastis cum P. Servilio Gemino consulem fuisse ann. U. 501 et 506. Marcum vero Cottam cum P. Servilio neminem; non est dubium quin Cicero C. Cottam illum hic intelligat. P. Faber.

17. *Qui bis. . . . fuit.* Hæc verba Gœrenz parentheseos signis inclusit.

18. *Posset.* Soli Cantabr. Davisii hoc dedimus, ut loco prius vulgatæ *possit*, quæ nostrorum etiam omnium est, cum hoc, et cum Ern. *posset* poneremus (nam sic alias scribæ non peccant); aliam idoneam causam habuimus nullam. Optime autem præsens, ut in commune dictum, et accipi potest, et frequentissime ponitur. Recte dudum hac in re vidit Bremi ad Corn. Nep. Alcib. I, 1. G.

19. *Etiam si ipse erit. . . . qui tibi videbitur.* Davis. ex pluribus suis *videtur;* cui Ernestius et reliqui adhæserunt. Pravo exemplo, quodque ne vera quidem consecutio defenderit. Sæpe et ad libb. de Legg. et his in libris hac de re egimus, ut lectorum captui diffidere videremur, si etiam h. l. acta ageremus. Quid mirum autem, si in his scribæ peccent, in quibus VV. DD. cæcutiunt? Tres meorum optimi *videbitur* firmant. Sensus autem totius sententiæ hic est : « Simul atque enim criterium illud vestrum, ex quo verum agnoscendum esse dicitis, irritum erit, licet tum geminus ille (de Serviliis enim sibi invicem simillimis agitur), quem putas videre, vere talis sit, qualem videre putabis, tamen non ex tali nota judicabis, ex qua judican-

explorati, cur non possit tibi Cotta videri[20], qui non sit[21], quoniam aliquid videtur esse, quod non est? Omnia dicis sui generis esse; nihil esse idem, quod sit aliud. Stoicum est quidem[22], nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum. Hæc refelli possunt; sed pugnare nolo: ad id enim, quod agitur, nihil interest, omnibusne partibus visa res nihil differat, an internosci non possit, etiamsi differat. Sed, si hominum similitudo tanta esse non potest, ne signorum quidem? Dic mihi, Lysippus[23] eodem ære, eadem temperatione, eodem cælo, aqua[24], ceteris omnibus, centum Alexandros ejusdemmodi facere non

dum esse statuis, quin eadem possit esse etiam falsa. G.

20. *Cur non possit tibi Cotta videri, qui.* Forte post *possit*, ex ultima verbi syllaba, per compendium, *item* excidit; fr. enim cod. *id tibi... quod*, et amat sic *item* ponere Cicero. Ita *possit* inter *non item* positum erit ad verbi, quoad ad sensum loci, efficaciam. Orat. III, 46, 181; Att. XIV, ep. 12. Excidit certe hæc vox Or. III, 55, 211. G.

21. *Qui non sit.* I. e. licet non hic, sed alius quis sit. G.

22. *Aliud. Stoicum est quidem.* Davis. edidit « Stoic. id est qu. (Lamb. St. est id quidem »), quum in duobus suis cod. l. *sed* reperisset. Neque aliter 3 mei. At videntur scribæ v. *Stoicum* ad antecedentia applicasse, et deinde adversativam hanc de suo addidisse. G.

23. *Dic mihi, Lysippus.... non posset?* Eadem constructio est Tusc. I, 8, 17: « Quid? si te rogo aliquid, non respondebis? etc. » Gravius est *non*, quam *num*, per Ursin. ex cod. scripto commendata; poneretur hæc etiam iniquo loco. *Posset* deinde, a Davis. primum pro *possit* receptum, 4 nostri confirmant. Neque quid est, cur cum Ern. *potuisset* malis; cogitandum potius, *si viveret.* Ceterum a solo Lysippo ære se fingi Alexandrum voluisse, notum est: de variis autem æris et generibus, et misturis, exponit Plin. H. N. XXXIV, 9. G.

24. *Eodem cælo, aqua.* Bene Lamb. (obs. Faber.) hic nos admonet, ut quæramus: quid *aquæ* nomen valeat. Unus tamen Plutarchi locus e libro de defectu oraculorum satis docere id potuit in disp. de nobilitata sede illa Crateræ, quæ haberet, inquit ille: αἰτίας ὑλικὰς, πῦρ καὶ σίδηρον· καὶ μάλαξιν διὰ πυρός· καὶ δι' ὕδατος βαφήν. Idem paullo post illa verba etiam, quid ignis, quid aqua hic afferat, exponit pluribus. Quodsi quæris etiam *eodem cælo* cur addiderit, id quoque satis docet idem in libro, περὶ τοῦ μὴ χρᾶν νῦν ἔμμετρα τὴν Πυθίαν, ubi multis exsequitur, quid Delphis æneis signis aer, quod hic *cælum* dicitur, pulchritudinis ac nitoris afferat. H.

86 posset? qua igitur notione discerneres? Quid? si in ejusdemmodi cera centum sigilla hoc annulo impressero, ecquæ[25] poterit in agnoscendo esse distinctio? An tibi erit quærendus annularius aliquis[26], quoniam gallinarium invenisti Deliacum illum, qui ova[27] agnosceret?

XXVII. Sed adhibes[1] artem advocatam etiam sensibus. Pictor videt, quæ nos non videmus; et, simul inflavit tibicen, a perito carmen agnoscitur. Quid? hoc nonne videtur contra te valere, si sine magnis artificiis[2], ad quæ pauci accedunt nostri quidem generis admodum, nec videre, nec audire possumus?

25. *Quid? si... impr. ecquæ.* Verba *quid? ecquæ* cohærent : erat igitur post *quid* rogandi signum addendum, quod vulgo post *impressero* ponitur. Cf. Orat. 50, 169. Omnino autem hoc tenendum, *Quid?* si exemplum addentis est, pro *Quid censes?* poni; quippe quod verbum etiam, alio in contextu, addi soleat; vide loca apud Heusingg. Off. III, 26, 8. — *Ejusdemmodi* etiam hoc loco, ut in tot aliis, pro vulgato *ejusmodi*, ex ingenio Lambini necessaria emendatione fluxit. G.

26. *Annularius aliquis.* Gœrenz dat : « annularius aliqui » : notatque : Correxit Hülsem. ut supra, *nescio qui*, in *n. quis*, ita h. l. *aliquis*, ex sese. At nota est hæc quamquam rarior vocis flexio, et recte servata Off. I, 31, 1; ibid. II, 7, 1, et nuper a Wolffio Tusc. V, 22, 62, reducta. Neque ea tam sponte delenda est, quam, vel ex paucis scriptis, reponenda, quum sic scribæ non peccent.

27. *Qui ova agnosceret.* Gœrenz dat *cognosceret.* Ex solis duobus scriptis, inquit, *agnosceret* correxit Ernesti. Nostri omnes, ut edidimus. Vide quæ supra ad I, 1, monuimus, cll. 18, 56, *non cognoscebantur* (gemini inter se simillimi) *foris : at domi;* ubi itidem aperte *cognoscere* pro *agnoscere.* Plane sic etiam *cognitio* apud Terent. Eunuch. V, 3, 12. Reduximus igitur prius vulgatam. — Vide *Marmontel, Logique, leçon XII,* ubi hæc Ciceronis argumenta diluuntur.

XXVII. 1. *Sed adhibes.... agnoscitur.* Sed artem vocas in auxilium sensuum : dicisque pictorem videre, quæ nos non videmus, etc.

2. *Magnis artificiis... admodum.* Nempe in pictoria musicaque arte partis. Sic frequenter auctor plurium numero utitur, ne vitium subodores, quum Gud. *artificiis* ignoret et fr. cod. *artificibus* præbeat. Deinde « nostri quidem generis » possis *Romani* intelligere; ut sæpe *genus* pro *gente* ponitur. Notum enim est, has artes Romanos ipsos parum tractasse, sed ex Græcis et Etruscis maxime fuisse, qui picturam Romæ exercerent. *Tibicines* autem fere Latini generis erant. Cf. Muren. 12, 26. Sed licet etiam *optimates* Romanorum intelligi. Denique mirum est, quod nihil intt. de *admodum* monuerunt, quod luxatius videatur postpositum, quum ad *paucos*

Jam illa præclara[3], quanto artificio esset sensus nostros, mentemque, et totam constructionem hominis fabricata natura, cur non[4] extimescam opinandi 87
temeritatem. Etiamne hoc affirmare potes, Luculle, esse aliquam vim cum prudentia et consilio scilicet[5], quæ finxerit, vel, ut tuo verbo utar, quæ fabricata sit hominem? Qualis ista fabrica[6] est? ubi adhibita? quando? cur? quo modo? Tractantur ista ingeniose; disputantur etiam eleganter. Denique videantur sane, ne affirmentur modo[7]. Sed de physicis mox, et quidem ob eam causam, ne tu, qui idem me facturum paullo ante dixeris, videare mentitus[8]. Sed ut ad ea, quæ clariora sunt, veniam; res jam universas profun-

pertineat. Sed auctor enuntiatum vocibus, *pauci... admodum*, complecti voluit, ut in his binis vocibus sententiæ vis inesset. Cf. Legg. I, 7, 21; et paucis post § 87. Adde Plaut. Mercat. II, 3, 65. G.

3. *Jam illa præclara*. Davisii amicus ille *Jam illa physica:* sed non ad ironiam in voce *præclara* attendisse videtur. Catil. I, 11, 28; Verr. IV, 43, 95. Atque ita auctor sæpissime. G.

4. *Natura, cur non... temeritatem.* Gœrenz post *natura* signum exclamandi ponit, Hülsem. sequens, et post *temeritatem*, signum interrogandi. Nobis autem facile sententia explicari posse videtur non admissa interrogationis nota. Nempe intellige: Jam ista scilicet *quanto artificio*, etc. præclara sunt cur, id est, præclare valent, cur non extimescam opinandi temeritatem.

5. *Esse aliquam vim cum prudentia et consilio scilicet.* Virgula, vulgo post *vim* addita, delenda erat, quum *scilicet* ad *esse* referatur, ideo in clausula posita, ut in his duobus totum enuntiationis pondus contineretur. Att. XIII, ep. 3, in. « A te literas exspectabam nondum scilicet ». Ubi æque prave ante *nondum* colon vulgatur, quum, *a te scilicet*, sensu cohæreant. G.

6. *Fabrica*. Pro « fabricandi fingendique arte » dicitur, ut sæpe. G.

7. *Denique videantur sane, ne affirmentur modo*. *Denique* hoc loco est exaggerantis postremo loco et fere idem notat, ut, « quod reliquum est ». Cf. Rosc. Am. 37, 108. Pro Quint. 23, 74. *Videantur* autem passive ponitur pro *explicentur*, et ex oppositione h. l. *probentur* notat: quo sensu sæpius, « videndum illud est », ponitur. Nihil igitur opus, ut cum Davis. *probentur* corrigas. G. — Putamus autem *videantur* ibi significare idem ac « probabilia videantur », ut dicat auctor: licet in his conjecturas facere, non profiteri se scire aliquid.

8. *Mentitus. Sed ut*. Davis. « mentitus esse. Ut ad ea ». At male h. l. *esse* claudicarit. Valde tamen placet abjecta part. *Sed;* quam toties inculcatam

dam[9], de quibus volumina impleta sunt non a nostris solum, sed etiam a Chrysippo[10]. De quo queri solent stoici, dum studiose omnia conquisierit contra sensus, et perspicuitatem, contraque omnem consuetudinem, contraque rationem[11], ipsum sibi respondentem, inferiorem fuisse[12]; itaque ab eo armatum
88 esse Carneadem. Ea sunt ejusmodi[13], quæ a te diligentissime tractata sunt. Dormientium, et vinolentorum, et furiosorum visa imbecilliora esse dicebas, quam vigilantium, siccorum[14], sanorum. Quo modo? Quia, quum experrectus esset, Ennius[15] non diceret

supra diximus, quæque hoc l. parum commode ponitur. Fin. I, 10, 32 : « *Ut enim ad minima veniam* », ubi æque *Sed* præcedit, etc. De physicis infra c. 37, seqq. G.

9. *Res jam universas profundam, de quibus*. Davis. *non* ante *profundam* addi jubet. Accuratius sane post Davis. de loci sententia cogitandum erat : ita quidem, colo ante *de quibus* posito, non magis etiam obscurata esset. « Res universas de quibus » accuratissime cohærent. Sensus est, « Ad ea, quæ totis voluminibus disputantur, in universum, nec distinctione, qua solent, facta, disseram ». G. — Bene vertit *Castillon* : « Je veux parcourir en gros tous ces articles qui remplissent tant de volumes ».

10. *Chrysippo*. Chrysippus librum de *somnis* scripserat, Divin. I, 20, 39, in eoque hanc Academicorum sententiam refellerat. Cll. ibid. lib. II, 61, 126. G.

11. *Contraque rationem*. Erl. refert, « contraque omnem rationem ». G.

12. *Ipsum sibi respondentem, inferiorem fuisse*. Sens. est, « quum ita Chrysippus ad dubitationes, quas contra perspicuit. etc. sibi ipse excitaverat, respondere, easque refutare vellet, ἐλάττονα γεγονέναι, i. e. huic rei parem eum non fuisse ». Cf. supra § 75. *Sibi respondere* autem is dicitur, qui dubitationes sibi ipse objectionum loco injicit, quibus solutis, res, de qua disputat, ab omni parte clarius et accuratius probetur. Hinc supra l. l. eadem in re, multa Chrysippus *dissolvisse* dicitur. G. — *Ult. ips. sibi resp. infer. fuisse*. Plutarch. in libro de repugn. Stoicor. præivit Ciceroni : Βουληθεὶς αὖθις συνειπεῖν τῇ συνηθείᾳ, καὶ ταῖς αἰσθήσεσιν, ἐνδεέστερος γέγονεν αὑτοῦ. De re v. supra c. 24. H.

13. *Ea sunt ejusmodi*. Etiam hoc l. *ejusdemmodi* scribendum esse judico; ex vulgato enim locus languet. Ceterum spectant hæc supra ad 15, 47, 48, et 17, 52-55. G.

14. *Siccorum*. Id est, sobriorum, non vino gravatorum.

15. *Quum experrectus esset, Ennius non diceret se vid. Hom.* Gœrenz dat : « q. exp. e. Ennius, non, se vidisse Hom. » Sic, inquit, scripsimus, post *non* deleto *diceret*, quod in fr. cod. et Erl. non comparet. Quæ quidem verbi hujus omissio brevitati loci aptissime convenit. Si *diceret* ab au-

se vidisse Homerum, sed visum esse; Alcmæo autem,

Sed mihi neutiquam cor consentit. . . . .

Similia de vinolentis. Quasi quisquam neget, et qui experrectus sit, eum somnia[16]; et, cujus furor consederit, putare, non fuisse ea vera, quæ essent sibi visa in furore. Sed non id agitur: tum, quum videntur, quo modo videantur[17], id quæritur. Nisi vero Ennium non putamus ita totum illud audivisse,

O pietas animi,

si modo id somniavit; ut si vigilans audiret. Experrectus enim potuit illa visa putare, ut erant, et somnia; dormienti vero æque, ac vigilanti, probabantur[18]. Quid? Iliona somno illo,

ctore esset, tum mallem: « Ennius diceret, non, se vid. Hom. »

16. *Eum somnia.* Ita dudum ex optimis scriptis restitutum erat; sed Hülsem. prius vulgatam, *somniare*, retraxit. Nexum periodi ita flagitare dicit. Sed facile videre erat, ex tali nexu absurda hæc prodire, « et eum somniare, qui experrectus sit ». Quid autem huc faciunt « vigilantis somnia? » Contra vero, si ex oratione, paullo a vulgari via declinata, ad « somnia, putare non fuisse vera », ex proximis assumpseris; bene convenient omnia. Neque sane perspectu difficile est, unde hæc levis ἀναχολουθία auctori venerit. Deerat enim vox simplex, quæ voci *somnia* e regione poneretur, quumque loci concinnitas servari non posset, si scripsisset, « eum visa, quæ sibi fuissent in furore, vera non putare »; maluit consulto non concinnus videri, atque ita has enuntiationes transposuit. Cf. haud absimilem locum Fin. II, 20, 65. Talibus Cicero plenus est. G.

17. *Tum, quum videntur, quo modo videantur.* Reddidimus Lambini transpositionem, quam etiam Ern. suam fecit: vulgo edebatur, « videantur... videntur ». In vulgata *videantur* scripti omnes perstant: pro *videntur* exhibent 4 Davisii cum edd. vett. pluribus, 4 mei cum Vin. *viderentur.* Unde conjicit Davis. « videbantur... viderentur ». Probabiliter sane. Sic enim hæc imperff. ad *experrectus sit* et *consederit* aptata putabis. Ex compendio, utroque loco, turbam hanc natam esse, vides. G.

18. *Dormienti vero æque, ac vigilanti, probabantur.* Davis. vult *vigilantis;* quo nihil opus. Sensus est, « in somnis æque se visa hæc ut vera offerebant, ac si eadem vigilans videret ». Sed fr. cod. transposite, « æque probabantur ac vigilanti »: quod placet, quum scribæ sæpe verbum, adje-

Mater, te appello[19]:

nonne ita[20] credit filium locutum, ut experrecta etiam crederet? unde enim illa?

Age adsta; mane; audi; iteradum eademmet ista mihi[21]?

Num videtur minorem habere visis, quam vigilantes, fidem?

89 XXVIII. Quid loquar de insanis? qualis tandem

ctivis, et participiis interpositum, in clausula ponant. G.

19. *Mater, te appello.* Plenius hæc laudantur Tusc. I, 44, 106, a Bentl. in notis ineditis (quas an. 1805 Oxonii editas, parum adhuc nostratibus innotuisse video), sic correcta, « Mater te appello, quæ curam somno suspenso levas, Neque te mei miseretur: surge, et sepeli natum tuum, prius quam feræ volucresque ». Haud enim improbabiliter ille statuit, ea, quæ parenthesi interposita pergunt, *prius quam*, uno tenore cum antecedd. cohærere; unde *tuum* facili manu indidit. Ceterum hæc ex Pacuvii Iliona desumpta videntur: nam quam Columna (vid. ad Ennii fragm. p. 291, edit. Hessel. et Davis. Cf. Tusc. I, 44, 106) Ennii ejusdem nominis fabulam narrat, eam equidem ignoro. Pæne autem hic ex Hyg. fab. 100 explicat, unde Polydori umbra Ilionam sororem, matrem appellare possit, hæc enim ipsum a teneris filii loco educarat. G. — Ilionam sic alloqui fingitur umbra Polydori. Sed et hic, et illa liberi fuere Hecubæ et Priami. Qui fit igitur, ut Polydorus Ilionam *matrem* dixerit? Lamb. ad Horat. l. II, sat. 3, 60, hoc ideo putat evenisse, quod Hecuba, Iliona quoque fuit nominata. At id commentum nullis veterum testimoniis fulcitur. Verius igitur est, Ilionam sororem a Polydoro *matrem* vocatam; quia Priamus et Hecuba Ilionæ, filiæ suæ, dederunt eum educandum, quæ Polymestori regi Thracum erat nupta, quem illa pro filio suo educavit. Hygin. fab. 100 vel 109; Eurip. Hec. v. 3; Virg. Æn. III, 49. H.

20. *Nonne ita.* Verissime dedit Ern. *ita*, ex Davisii conjectura; neque id quidem solum, quod *ut* sequitur; sed *illa* (quod mei quoque habent) nimium h. l. marcebit, quum statim *illo* antecedat, et *illa* sequatur. G.

21. *Age.... iteradum eademmet istamihi.* Hæc ad idem Ilionæ somnium pertinere clarum est, et ex iis, quæ ipsa Polydori umbræ respondere visa esset, decerpta videntur. Quod autem Davis. ad Tusc. II, 18, et h. l. et Att. XIV, ep. 14, ubi æque ad hunc versum alluditur, *iterandum* scribi jubet, id prorsus sine justa causa facit; nam h. l. scripti omnes cum vulgata, et si alibi quidam aliter, peccant. *Iteradum* autem vetus poeta, ut « agedum, tacedum, accededum, memoradum, etc. » scripsisse putandus est. Columna edidit ita: « age, adsta, mane, audi, itera, dum eadem et ista mihei ». Vir doctus in marg. edit. Scriver. « iteratum eadem et ipsa mihi ». G. — Idem Gœren pro *ista* edit *isthæc* cum Vos-

fuit affinis tuus, Catule, Tuditanus [1]? Quisquam sanissimus tam certa putat[2], quæ videt, quam is putabat, quæ videbantur? Quid? ille, qui [3],

Video, video te vivum [4], Ulysses, dum licet:

nonne etiam bis exclamavit se videre [5], quum omnino non videret? Quid? apud Euripidem Hercules, quum, ut Eurysthei filios, ita suos configebat sagittis, quum uxorem interimebat, quum conabatur etiam patrem, non perinde movebatur falsis, ut veris moveretur [6]? Quid? ipse Alcmæo tuus, qui negat cor

sio, quod metri causa sibi faciendum fuisse dicit.

XXVIII. 1. *Tuditanus.* De quo vide Ern. Clav. hist. h. v.

2. *Quisquam sanissimus tam certa putat,* etc. Festiva referri meretur Durandi nota: Ego certe cognovi hominem pium, sed infirmum et senem, qui, assidue meditando, eo usque devenit, ut se ipse Spiritum Sanctum esse profiteretur; monentibus tamen amicis, aliquando remittebat, et cunctantius ea de re loquebatur.

3. *Quid? ille, qui.....nonne.* Hoc quoque loco post *quid?* rogandi signum ponendum erat, ut paullo ante recte vulgatur, « Quid? Iliona...... nonne, etc. » G.

4. *Video, video te vivum, Ulysses, dum licet.* Gœr. dat: « Video, video te. Vive, Ulyx. d. lic. » Correximus, inquit, *vive*, pro vulgato *vivum*, contra omnes h. l. scriptos et editos. At aperte hic versus ex parte, alio addito, laudatur Orat. II, 40, 162: « vive Ulyxes dum licet: Oculis postremum lumen radiatum rape ». Facile autem videre est, cur hoc nostro loco scribæ *vivum* mutarint; quippe qui haud viderent, post *te* distinctione maxima opus esse; forsan etiam *vive* pro vocandi casu acciperent, atque ita corrigendum esse putarent.—J. V. *Leclerc* dicit, ita incertam esse hanc conjecturam, ut melius sit nihil commutare.

5. *Exclamavit se videre.* Gœrenz dat « se exclam. videre ». Ita, inquit, Gud. fr. cod. et edd. vett. cum Ven. 1494 et Crat. complures, ordine vulgatæ, « exclam. se vid. » præferendo. Sæpius enim vidimus auctorem pronomina verbis dicendi sic solere proponere. Conf. Att. III, ep. 5; Fin. V, 31, 93; Att. I, ep. 8.

6. *Ut veris moveretur?* Hæc falsa sunt: sed duplici via sanari possunt; unde nihil mutavimus. Aut enim, « ut si veris mov. » scribendum (nam sic auctori simplex *ut*, hoc in contextu, et hunc ad verbi modum, non ponitur); aut *moveretur* delendum. Utrum horum præferam, dubito. Propendet quidem animus ad posterius, quum VV. DD. magis, quam scribæ, post *ut, si* inducere ament; sed observatur etiam mos auctoris, verbum idem hac in constructione repetite ponentis, v. c. § 88: « totum illud audivisse... ut si vigilans audiret ». G.—Non videas

sibi cum oculis consentire, nonne ibidem incitato furore [7]:

Unde hæc flamma oritur?

Et illa deinceps,

Incede, incede [8]; adsunt, adsunt; me, me expetunt [9].

Quid? quum [10] virginis fidem implorat,

Fer mi auxilium; pestem abige a me,
Flammiferam hanc vim, quæ me excruciat:
Cæruleæ incinctæ igni incedunt [11];
Circumstant cum ardentibus tædis;

num dubitas, quin sibi hæc videre videatur? Itemque cetera:

cur ibi Gœr. exagitet part. *ut.* *Ut* ponitur pro « sicut, velut, perinde ac »: nec aliquid necesse est mutare.

7. *Ibidem incitato furore.* Hoc non tentandum erat, sed explicandum. Et satis jam *incitato* defendit Wopk. pag. 38, cll. Legg. I, 3, 8. Vulgatum multo adeo melius est, quam quod suadent Davis. et Ern. *incitatus.* Nam *incitato* furorem auctum notat, quum *incitatus* simpliciter furentis conditionem indicet. Ita « incitatum studium, incitata odia ». G. — Sæpius rei adscribitur, quod personæ magis convenit; deque abstractis et adjunctis enuntiatur, quod proprie quadrat concretis et subjectis. Sic *occupata opera* de Legg. I, 3, h. e. quum occupatus sis. Vide ibi Davis. coll. orat. pro Plancio, cap. 27; Quint. Inst. Orat. X, 7. H.

8. *Incede, incede.* Nihil est hac lectione verius, quam mei quoque omnes firmant. Videt e longinquo Alcmæo furens Furias, propius propiusque accedentes. Tentat iis effugere, incitatiorem festinationem urgens. Cf. Columna l. l. p. 283. G.

9. *Me, me expetunt.* Ven. 1494, *mene expetunt*, sed loco inde frigente. G.

10. *Quid? quum.* Sic correximus, quum constructio sit « Quid? quum ... explorat ... num. » Vulgo post *explorat* interrog. signum ponitur. G.

11. *Cæruleæ incinctæ igni inced.* Gœr. dat « Cærulæa incinctæ angui i. » Vulgata, inquit, quem sensum præbeat, frustra te ipsum, et interpp. quæres. Neque melius loco consulitur, si cum Hülsem. *incendunt* recoxeris, meis omnibus *incendunt* præbentibus. Quid autem mirum, si scribæ quidam, *igni* præcedente, sic mutabant? Cinguntur Erinnyes, zonæ loco, *angui*: sic enim de Tisiphone Ovid. Met. IV, 482: « tortoque incingitur angue ». Hunc quidem morem exornandi Erinnyas anguibus ab Æschylo repetit Pausan. I, 28, 6. *Angues* autem sæpe *cærulei* poetis. Ita Virg. Georg. IV, 482: « cæruleosque

Intendit crinitus Apollo
Arcum auratum luna innixus[12];
Diana facem jacit a læva[13].

Qui magis hæc crederet, si essent, quam credebat, quia videbantur? Apparet enim jam cor cum oculis consentire[14]. Omnia autem hæc proferuntur, ut illud efficiatur, quo certius nihil potest esse : inter visa

implexæ crinibus angues Eumenides». Femineum autem sexum haud raro poetæ sine discrimine ponunt, ut Plaut. Ovid. alii. Sic non sine justa causa, « cærulea incinctæ angui », correximus, et, ut nuper cognovimus, Columna ad fragm. Ennii, pag. 284, ante nos, conjecit « cæruleo incinctæ angui ». — *Leclerc* defendit vulgatam lectionem, contenditque verbis « incinctæ igni » exprimi hanc Euripidis vocem (Iph. Taur. v. 288): ἐκ χιτώνων πῦρ πνέουσαν.

12. *Luna innixus.* Gœr. dat « lunat innixus ». Vulgo, inquit, *luna :* nec aliter scripti. Sed jam dudum, antequam in edd. vett. *lunat* legi comperissemus (v. c. Asc. Camerar. aliæ, *innixus lunat*), sic ad exemplar nostrum correxeramus. Cf. Ovid. Am. I, eleg. 25: « Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum », quem locum cum nostro comparat Columna l. l. pag. 285. — At verba sunt furentis, atque hujus visa portentosa! — At quis putet, poetis, furentis nomine, inepta quævis licere? Num forte etiam versum hunc, una syllaba in vulgatis truncum, ex eadem furentis insania excusabimus? Sed quomodo hæc cum præced. versu sociantur? Verbo nempe *intendit* res simpliciter notatur : his pingitur accuratius, prout ille eam sibi videre videtur. *Innixus* denique versu illo Ovidiano explicatur. Ex quo simul intelligitur, Lamb. elegantius, quam Grut. et Davis. videbat, *genu* pro *lunat* conjecisse. Sed nimis a codd. scriptura recedit, facileque *genu* intelliges. Ceterum Columna hos versus cum superioribus « Fer mi... tædis » continuos putat. — P. Faber *luna* interpretatur pro ipso *arcu lunato*, quia arcus similis est lunæ curvatæ in cornua, quum incipit ostendi; et sic *lunatum ferramentum* vocat Columella, quod ita curvatum sit. Alii corrigunt *nube innixus.*

13. *Diana facem jacit a læva.* In horum verborum sensu hæreo. Dianam quidem in diis δᾳδούχοις numerari, constat: fingebatur enim facem dextra præferens; vide Pausan. VIII, 37, 2, cll. X, 37, 1 : unde ipsa in Orphicis hymn. XXXV, 3, δᾳδοῦχε. At de Diana facis jactu puniente nobis certe nihil innotuit. Sagittis potius suis morbos et dolores infligit; sic ab Homero inde frequenter poetæ. Quid? si *facem* de dolore, quem Alcmæo sentit, ut ab Diana profectum dicat, acceperis? Conf. Offic. II, 10, 37 : « dolorum quum admoveantur faces ». Tum legi cum ψ. *faces* malim. Dr. fortasse hinc peccat *facere. A læva* cum respectu ad Apollinem acceperim : nam de ostento tristi aliquo ut locus intelligatur, non satis ad contexta quadrat. G.

14. *Cor cum oculis consentire.* De-

vera, et falsa, ad animi assensum, nihil interesse. Vos autem nihil agitis, quum falsa illa[15] vel furiosorum, vel somniantium, recordatione ipsorum refellitis. Non enim id quæritur, qualis recordatio fieri soleat eorum, qui experrecti sint[16]; aut eorum, qui furere destiterint: sed qualis visio fuerit aut furentium, aut somniantium tum, quum commovebantur. Sed abeo a sensibus.

91 Quid est, quod ratione percipi possit? Dialecticam inventam esse dicitis, veri et falsi quasi disceptatricem et judicem[17]. Cujus veri et falsi? et in qua re[18]? In geometriane, quid sit verum, vel falsum[19], dialecticus

nuo alluditur ad versum illum § 52 positum. Non bene igitur Wetzel, « cor æque atque oculos esse conturbatum », explicat: sed, « cor assensum visis præbet, quæ oculis offeruntur ».

15. *Quum falsa illa vel furiosorum, vel somniantium, recordatione ipsorum re.* Gœr. dat « quum illa falsa », virgulamque post *somniantium* positam tollit. Vulgo, inquit, *falsa illa*. Sed jam Davis. tacitus ex ordine hoc dedit, quo nos: suos haud dubie omnes, ut itidem nos, sequutus. Nec aliter vetus impressi, quot vidi, omnes. De toto loco VV. DD. non recte judicarunt; id quod vel ex vulgata interpunctione, qua ante *recordatione* virgula distinguitur, neglecta eadem post *ipsorum*, clare cernitur. Haud enim viderunt, in verbis « somniantium recordatione ipsorum », regens esse rectis interpositum. Sensus est: « Vos inanem operam suscipitis, si illa falsa visa, ex illorum recordationibus fide destitutis, quæ ipsis furiosis et somniantibus, quum jam ex dementia et somno sunt excitati, occurrunt, refellere conamini ».

16. *Experrecti sint . . . destiterint. Sint* ex Davisii conjectura cum Ernest. edidimus: nam etiam nostri *destiterint*, vel *destiterit*, cum edd. vett. pæne omnibus. *Sunt* autem et *sint* communi nota *st̄* scribuntur; ut nihil mirum sit, si toties confundantur. G.

17. *Quasi disceptatricem et judic.* Hülsem. clam subduxit part. *quasi*. Consentit in eo quidem Erl. sed scriba cum docto viro ex pari fonte peccat. Retinenda *quasi* foret, si vel paucissimi codd. addicerent: posita est enim ad vocis, femineo sexu positæ, insolentiam excusandam: solo h. l. apud Cic. obviam, et reliquis fortasse etiam Latinis inauditam. Ubique exempla offeruntur, in quibus vel audacter, vel nove dicta, hac particula mitigari solent. Conf. Offic. II, 9, 6; Acadd. I, 6, 24.

18. *Et in qua re?* Tres mei ac Vien. *et* ignorant. Gud. *et* æque omissa, *inquire*.

19. *Quid sit verum, vel falsum . . . an in literis, aut in musicis?* Gœrenz dat « quid sit verum, aut falsum, dialect. judic. an in literis? an

judicabit, an in literis, aut in musicis? At ea non novit. In philosophia igitur? Sol quantus sit, quid ad illum? quod sit summum bonum, quid habet, ut queat judicare? Quid igitur judicabit? quæ conjunctio, quæ disjunctio vera sit[20], quid ambigue dictum sit, quid sequatur quamque rem, quid repugnet? Si hæc, et horum similia judicat, de se ipsa judicat. Plus autem pollicebatur[21]. Nam hæc quidem judicare, ad ceteras res, quæ sunt in philosophia multæ atque magnæ, non est satis. Sed quoniam tantum in ea arte 92
ponitis; videte, ne contra vos tota nata sit[22]. Quæ

in musicis ». Ex omnibus nostris, inquit, pluribusque cum Crat. vetus impressis, primum *aut* pro *vel* scripsimus. Sæpe enim hæc *aut* in *vel* a scribis mutatur, idque maxime ubi semel ponitur, ut h. l. Variasse autem auctor putandus est, quum bis in proximis *verum et falsum* posuisset. Deinde, pro *aut in mus. an*, etc. e tribus nostris, Vien. Ven. 1494. Crat. aliis, cum Davisio scripsimus. Conf. Attic. XVI, epp. 8. Atque ita sæpe.

20. *Quæ conjunctio, quæ disjunctio vera sit.* Gud. Dr. « quid disjunctione verum sit ». Forsitan locus sic legendus, « quæ conjunctio disjunctiove vera sit ». Ita certe hæc diversitas facile explicabitur: orta ex *ve* in *ne* mutato. In reliquis *ve* absorptum fecit, ut alterum *quæ* adderetur: quod vel per se nonnihil habet, cur h. l. displiceat. Id eo verosimilius est, quum Ven. 1494, solum *quæ* in *quid* mutet. Alias non ceperis, cur scribæ in media constructione mutarint. Adde, quod auctor sic *ve* ponere amat. Cf. Acadd. I, 5, 19, de eadem dialectica, « quid rectum in oratione, pravumve ». G. — Vertit *Castillon :* « de quoi jugera-t-il donc? des propositions conjonctives ou disjonctives ».

21. *Plus autem pollicebatur.* Hoc sane dogmaticorum veterum, maxime Stoicorum, vitium erat, quod a Dialectica, accuratius exculta, plus sperabant, quam hæc, vel ex natura sua, præbere præstareque poterat. Hinc potissimum et Scepticorum, et horum ab Arcesila dubitationes contra sensuum veritatem, vim suam et pondus acceperunt. Nonnulla hanc in rem acute vidit Tennem. *Gesch. der Phil.* vol. IV, p. 395 seqq. sed latius ista patent, et altius repetenda sunt, si plenum ejus rei, ad hæc dijudicanda, fructum percipere velis. Ceterum sensus horum est, « At vero plus dialectica pollicebatur, quam præstat, quum eam veri falsique disceptatricem et judicem diceretis ». G.

22. *In ea arte ponitis; videte, ne contra vos t. nata sit.* Dr. *parte*, El. *ponitis arte.* Unde conjicere liceat, *arte* esse inducendum. Sed *parte* et *arte* ubique confunduntur, et *dialectica* paulo altius repetenda foret. Sensus est, « considerate, anne tota contra vos quasi inventa esse videatur », i. e. tota vobis adversetur. G.

primo progressu[23] festive tradit elementa loquendi, et ambiguorum intelligentiam, concludendique rationem: tum, paucis additis, venit ad soritas, lubricum sane, et periculosum locum; quod tu modo dicebas esse vitiosum interrogandi genus[24].

XXIX. Quid ergo? istius vitii num nostra culpa est? Rerum natura[1] nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re statuere possimus, quatenus. Nec hoc in acervo tritici solum[2], unde nomen est, sed nulla omnino in re minutatim interrogati[3]: dives, pauper; clarus, obscurus sit; multa, pauca; magna, parva; longa, brevia; lata, angusta: quanto aut ad-

23. *Quæ primo progressu. Quæ* pro *nam hæc* valet. Dr. *progressa*, minus bene. G.

24. *Quod tu modo...genus.* Id est, et tu modo ipse hoc interrogandi genus vitiosum dicebas. Quæ quidem constructio plane ex ordine est. Conf. supra 16, 49. Eademque ratio est, quæ in his obtinet § 97: « nulla autem est in natura rerum talis necessitas ». G.

XXIX. 1. *Rerum natura nullam... quatenus.* Sensus est: Natura nobis ipsa hoc negavit, ut ulla in re, extremum quod sit, videre liceat; unde ignoramus, quatenus (quousque) ubique progredi liceat. Duo mei, « ut nulla in re », quod gravius negantis fuerit, si *ut* pro *ita ut* in apodosi acceperis. Eodem modo in continuo seqq. « nec... solum... sed nulla », ubi æque peccatur. Ceterum quum ad voces « rerum natura », addi *potius* deberet, his ipsis cum soni efficacia positis, particula facile compensata est. Atque hoc ipsum est, si alibi VV. DD. abesse hanc partic. recte posse, docent. Post *quatenus* denique non bene Hüls. interrogandi signum posuit. Orat. 22, 73: « In omnibus rebus videndum est quatenus ». Elliptica ratio per se patet. G.

2. *Nec... solum... sed nulla omnino. Nec* tres mei: reliqui cum olim vulgata *ne* peccant. Pro *solum* deinde Cratand. Ascens. utraque cum aliis, *summum*. Quod Davisium, his in contextis, morari non debebat. Tum edidit hic idem *ulla*, quod bona fide recepit Hülsem. At facile erat videre, sic verba ex prægressis supplenda esse, « sed nulla omnino in re statuere possimus quatenus ». Post interjecta, « dives... dempto », sua sponte Cic. anacoluthon admisit, ut negativa adderetur. Talia sunt frequentissima. Contra vero misera sane structura foret, « sed ulla omnino in re... non habemus ». Postremo ignorat Erl. *omnino*, quod, quum soni vis in *nulla* sit, facile abesse possit. Cf. inf. 30. G.

3. *Interrogati.* Sic etiam tres nostri; etsi quidem vulgata ante Davisium *interroganti* haud deterior putanda est, quam mei meliores, Gud. et fr. cod. servant. Nec aliter paulo inferius § 94, et alibi sæpe. Crat. *interrogandi*. G.

dito, aut dempto, certum respondeamus[4], non ha-
bemus. At vitiosi sunt soritæ. Frangite[5] igitur eos, si 93
potestis, ne molesti sint : erunt enim, nisi cavetis[6].
Cautum est, inquit. Placet enim Chrysippo, quum
gradatim interrogetur, verbi causa, tria, pauca sint,
anne multa; aliquanto prius, quam ad multa perve-
niat[7], quiescere[8], id est, quod ab iis dicitur[9], ἡσυ-
χάζειν[10]. Per me vel stertas licet, inquit Carneades,

4. *Q. aut add. a. dempto, certum respondeamus, non habemus.* Nullus nostrorum *quod* ante *respondeamus* agnoscit, a Davisio ex binis suis additum. Hæsisse scribas in his patet, quum Erl. *quanto aut* ignoret, et Wrat. *responsum* referat. Sed vulgata est verissima.—Sensus est : Non possumus respondere quantum addendum, aut demendum sit, ut certo possimus dicere tum rem esse magnam, tum esse parvam. Vertit *Castillon :* « En tout ceci, nous n'avons rien de fixe à dire sur la quantité qu'il faut ajouter ou retrancher ».

5. *Frangite.* Omnes mei *frangite* firmant. Quod alii codd. variant, inde fit, quod hanc frequentissimam auctori vim verbi, qua « vim rei infirmare » notat, librarii non assequebantur. G.

6. *Erunt enim, nisi cavetis.* Vetus editi complures, in quibus sunt Ven. 1494, Crat. *caveatis.* Possis *caveritis* conjicere : sed nihil necesse. Confer Legg. I, 14, 41. G.

7. *Perveniat.* Gœr. dat *perveniatur.* Ita, inquit, ex fr. cod. et pluribus verbis post ex Dr. *proficitur* dedimus. Huc enim nihil eorum quadrat, quæ alias exempla activi, pro passivo positi, afferuntur. Si enim utroque loco *Chrysippus* intelligas, male concinunt, quæ statim subjiciuntur, « sequitur enim qui te ex somno excitet », in quo coactissimum fuerit subitam constructionis inversionem agnoscere. Optime etiam passiva hæc ad *interrogetur* conveniunt, aptius sane, quam, quæ Ern. mavult, « pervenias..... proficis », cujus loco Davis. *prosit.* Passivorum autem terminationes, nota earum neglecta, abolitas videre ubique licet. Cf. Ligar. 10, 30.

8. *Quiescere.* Huc respicit Persius, Sat. VI, 79, pag. 32, edit. Reiz. « Rem duplica.—Feci.—Jam triplex, jam mihi quarto, Jam decies redit in rugam. Depunge, ubi sistam. Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi ». Ubi glossa vetus rem aperuit. Adde Horat. Epist. II, 1, 45 sq. Zwanz. pag. 71, 135; de Orat. lib. II, 38; Stäudlin l. c. pag. 338. H.

9. *Id est, quod ab iis dicitur.* Pro *iis* Gœr. dat *his*, ex tribus nostris, Crat. Ascens. utraque pluribusque vetus impressis. Pro *id est, quod* præbet Wr. *id quod.* Causa patet ex Ven. 1494, quæ « quiescere ī. quod » : hoc enim signo scribæ ubique *id est* exhibent : quod ipsum sollicitari non debet, notat enim « quo nihil aliud volo, quam ». Conf. supra c. XVIII, 59, cll. Dejot. 9, 26.

10. Ἡσυχάζειν Græcis, ut *quiescere* Latinis, de somno quoque dicitur. De illo græco verbo, Stoicorum contra

non modo quiescas. Sed quid proficit? Sequitur enim[11], qui te ex sommo excitet, et eodem modo interroget: Quo in numero conticuisti[12], si ad eum numerum unum addidero, multane erunt? Progrediere[13] rursus, quoad videbitur. Quid plura? hoc enim fateris[14], neque ultimum te paucorum, neque primum multorum respondere[15] posse. Cujus generis error ita manat, ut
94 non videam, quo non possit accedere[16]. Nihil me lædit, inquit[17]: ego enim, ut agitator callidus, prius quam ad finem veniam, equos sustinebo; eoque magis, si locus is, quo ferentur equi, præceps erit[18]. Sic me, inquit, ante sustinebo[19], nec diutius captiose in-

soritas proprio, apte laudat Davis. Sext. Empir. VII, 416. G.

11. *Sequitur enim. Enim* h. l. asseverantis puto: alias ex Cic. more *sequetur* conjecerim. G.

12. *Quo in numero conticuisti.* Peccant nostri quoque *quod;* sed sic ubique scribæ hac in structura. At P. jam Manut. *quo* ex cod. firmatum edidit. Pro *conticuisti* Cantab. et fr. cod. *constituisti.* Fortasse olim erat *constitisti,* ut græcum ἵςασθαι exprimeretur, quo in eadem re usus esse Chrysippus dicitur; conf. Sext. Emp. l. l. Atque ita mox infra § 94, « illustribus igitur rebus insistis ». Sed in sano, ut videtur, loco nulla est medicina opus. G.

13. *Progrediere.* Gud. *progrediero:* impressi vett. fere *progrediar.* At vulgatam, a meis reliquis confirmatam, sic accipies, « progrediere, me semper unum addente, quoad mihi videbitur ». G.

14. *Hoc enim fateris.* Hoc fere, quamquam aliis verbis, supra § 49, Lucullus dixerat. Nihil igitur est, quod Lamb. *fateberis* malit, quod vel per se ipsum languet. G.

15. *Respondere*, est, responsione designare. G.

16. *Cujus generis error ita manat ... accedere.* Sensus est: « cujus generis vaga ratio tam late patet, ut nesciam, an non ad omnia, quæ ad veri judicium referuntur », id est, « an non omne judicium veri inde vagum evadat ». Sic « error de eo, qui, quid agat, nescit »; conf. Ern. Clav. h. v. et omnino hoc loco vox ista propius ad ejus primam, quæ ei inest, vim accommodari debet. *Ita* autem *tam late* notat; ut nihil sit, cur *late* h. l. additum malis, licet alibi fere adjiciatur. G.

17. *Inquit* ad Chrysippum spectat. G.

18. *Quo ferentur equi, præceps erit.* Barbare loqui Ciceronem Davis. fecit, quum ex Eliensi suo *ferrentur* ederet. Hoc enim, ut vere vitiosum, corrigendum foret, si vel scripti omnes ita præberent. Ceterum hac similitudine respexisse Chrysippus ad rationem eam videtur, qua Carneades ἐποχὴν suam explicabat. Conf. Attic. XIII, ep. 21. G.

19. *Sustinebo... respondebo.* Gœr.

terroganti respondebo. Si habes quod liqueat, neque respondes; superbis[20]. Si non habes; ne tu quidem percipis. Si, quia obscura; concedo. Sed negas te usque ad obscura progredi. Illustribus igitur rebus insistis. Si id tantummodo, ut taceas[21]; nihil assequeris. Quid enim ad illum[22], qui te captare vult, utrum tacentem irretiat te, an loquentem? Sin autem usque ad novem, verbi gratia, sine dubitatione respondes pauca esse, in decimo insistis; etiam a certis et illustrioribus cohibes assensum: hoc idem me in obscuris facere non sinis[23]. Nihil igitur te contra so-

dat *sustineo*, *respondeo*. Sic, inquit, cum multis aliorum, omnes mei, præter Dresd. qui *sustinebo*. Vulgo «*sustinebo*». — *Respondeo*. Non attenderunt viri docti. Sensus est, «Hoc more contra soritas utor, in tempore me retinere soleo, ut, si quis ita vafre interroget, haud amplius respondeam». Si Cicero h. l. futura posuisset, totus locus langueret; qui vel sic ex ejus consuetudine, notionem primariam repetite ponendi, excusari debet: per se enim verba, «sic me...respondeo», vere abundant. Neque mirum videri debet, si post tot futura scribæ sic peccent.

20. *Respondes; superbis...percipis. Si*. Peccant in his scribæ sine ulla varietate utili: verissima enim sunt, quæ vulgantur. Fr. cod. et Wr. *percepisti*, Dr. *persipissi*: ut recte vel sic Davis. *percipis: si*, pro olim edito *perspicis: si*, correxisse, intelligatur. G. — *Ne tu quidem percipis*. Sic id, pro quo pugnamus, vincimus, scilicet hoc percipi non posse.

21. *Si id tantummodo* (hac via v. ratione), *ut taceas* (assequi speras); *nihil assequeris*, i. e. si Chrysippeo more id facere cogitas, nihil efficis. G.—Alium obtulit sensum *Castillon*, qui vertit: «Si vous vous taisez seulement pour vous taire».

22. *Quid enim ad illum*. Quæ dicendi ratio eadem cum illa, «nihil ad Cœlium»(cf. Legg. I, 2, 6), pariter ex græco fonte manavit. G.

23. *Etiam a certis et illustrioribus ... hoc idem ... facere non sinis*. Si optare magis, quam judicare, licet, hæc sic scripserim: «etiam a certis et illustribus tu cohibes assensum, qui hoc idem me in obs. f. n. s.» In *illustrioribus* enim de vera scriptura haud parum dubito. Quomodo enim comparativus positivo sic addi potuerit, equidem non dispicio; idque magis, quum nulla comparatio locum habeat, sed *certa* etiam ipsa per se *illustria* sint; ut *illustribus* corrigendum esse videatur. Hoc unum nos retardat, quod fr. cod. et Vien. *lustrioribus* exhibent, quippe sub quo vocis monstro nescio quæ vera alia latere possit. Quod deinde abruptius *hoc idem* dicitur, id ex oratione ob affectum concisiore excusari satis posse putem.—Sensus autem hic est: «Adeo in iis, quæ per se certa sunt (ut unum numero vel addere, vel de-

ritas ars ista[24] adjuvat; quæ nec augenti, nec minuenti[25], quid aut primum sit, aut postremum, docet. Quid, quod eadem illa ars, quasi Penelope telam retexens[26], tollit ad extremum superiora? utrum ea vestra, an nostra culpa est? Nempe fundamentum dialecticæ est, quidquid enuntietur (id autem appellatur ἀξίωμα[27]; quod est quasi effatum[28]), aut verum esse, aut falsum. Quid igitur? hæc vera, an falsa sunt? Si te mentiri dicis, idque verum dicis; mentiri, verum

mere), assensum retines (ἐπέχεις), quod tu nobis ne in obscuris quidem facere concedis ».

24. *Ars ista.* Scil. dialectica.

25. *Quæ nec augenti, nec minuenti.* Ita recte primum Lamb. scriptis, priusque editis, « augendi, nec minuendi », præbentibus. Correctio hæc verissima, non solum contextis eam unice probantibus, sed frequenter etiam scribis in hoc participii dativo ita peccantibus, ut supra § 92. Crat. *rogandi.* Minime vero exempla quadrant, quæ P. Faber ad vulgatam defendendam collegit, qui movet locum de Finib. III : « Ex quo intelligi debet principium ductum esse a se diligendi »; et de Orat. II : « id in quarto loco quærendi posueramus ». Sensus est : « quæ neque addenti ad numerum positum, neque ex eo dementi, indicat, ubi primum multorum, postremum paucorum sit »; cf. paullo ante § 93 : « neque ultimum te paucorum, neque primum multorum respondere posse ». Rediit Hüls. ad prius vulgatum. G.

26. *Quasi Penelope telam retexens.* Nec nostrorum ullus *Penelopæ*, ut Lambin. et Grut. neque sic accurate scriptum foret. Tum enim *Penelopæ more*, vel tale quid, poni debuerit, quum ad comparatum satis sit, « quasi telam retexens ». G. — Penelope quum pollicita esset iis, a quibus in matrimonium quæreretur jamdudum absente Ulysse marito, se unum ex iis pro viro electuram, quando incepta tela perfecta esset, notum est eam per noctem solitam fuisse rumpere quæ per diem texerat.

27. *Id autem appellatur* ἀξίωμα. Gœr. dat *id autem appellant.* Sic, inquit, mei omnes, Vin. editique vett. cum Ven. 1494. Crat. plerique : nec aliter 4 codd. apud Davis. Recte : nam ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *Græci*, quod alias fere addit, vel *Stoici*, intelligendum. Neque raro sic auctor. Cf. Fin. III, 17, 57; ibid. 21, 69, etc.

28. *Quod est quasi effatum.* Id est, « ἀξίωμα fere idem est, quod nos effatum dicimus » : *quasi* enim h. l. *pæne*, *fere* notat, ut sæpius. Conf. Schelleri Obss. 247. Serius Cic. *enunciatio* et *enunciatum* vertit, idque aptius. Cf. de Fato, 10, 20; 11, 28. G. — Ἀξίωμα hic tam late patet Stoicis, ut docet Proclus in Euclid. lib. III, quam πρότασις Aristoteli; cui ἀξίωμα dicitur, ut geometris, de iis enuntiatis, quæ sic certa sunt, ut probationis non egeant; quas etiam κοινὰς ἐννοίας vocant; quarum apud Euclidem sunt exempla. Jam non est quod vereamur, ne sit error hic in

dicis[29]. Hæc scilicet inexplicabilia esse dicitis. Quod est odiosius, quam illa, quæ nos incomprehensa[30], et non percepta dicimus.

XXX. Sed hæc omitto. Illud quæro, si ista explicari non possunt, nec eorum ullum judicium invenitur, ut respondere possitis, verane, an falsa sint: ubi est illa definitio, « Effatum esse id, quod aut verum, aut falsum sit[1]? » Rebus sumptis, adjungam,

nomine *effatum*, quod auctore Gell. lib. XVI, 8, Cic. videatur uno nomine latino græcum reddidisse; quod tam multis, ut superius ostendi, reddiderit; quod Varro etiam *profatum* et *proloquium* vertit. Gellii est h. l. μνημονικὸν ἁμάρτημα, qui etiam græcum ἡμιόλιος negat, lib. XVIII, 14, vocabulum latinum habere, quum id Cicero sesquialterum in Timæo sæpe, et *sesquiplex* in Oratore vertisset. FAB.

29. *Si te mentiri dicis, idque verum dicis; mentiri, verum dicis.* Gœrenz dat « si t. m. d. idque v. dicis, mentiris ». Sequuti sumus, inquit, fr. cod. Dr. Vien. ψ. qui cum multis edd. vett. *mentiris*: licet *verum dicis* servent. Nec reliqui nostri vulgatam referunt. Nam verba *mentiri*, *verum dicis*, plane ignorant. Accuratius igitur ad loci naturam attentum, haud facile, ab utra codicum parte vel addentis, vel detrahentis manus, effugiet. Si *mentiris* verum putabis, quod impressi vett. quos vidi, omnes servant: recte *verum dicis* auctore Ernest. abjicies; eoque magis, quum proxima § eadem verba, eadem prorsus ratione repetantur. Si denique reputaris, auctorem his nihil, nisi simpliciter sophismatis ψευδομένου, seu *mentientis* dicti, mentionem injicere voluisse: non poteris, quin nobiscum facias, qui, modo ex primo conclusionis membro reliqua indicata esse, statuimus.

30. *Incomprehensa.* Verecundius Cicero poscebat in lib. I ad Varronem ut κατάληπτον sibi liceret *comprehensibile* dicere. Hic non videtur esse ausus *incomprehensibilia* dicere pro ἀκατάληπτα: dixit *incomprehensa*. In Timæo tamen quum ἄλυτα vertisset *indissoluta*, paucis versibus post ἄλυτοι vertit *indissolubiles*. Quomodo autem hic *incomprehensa* et non *percepta*, et in Timæo *indissoluta* dixit, et sic apud Sallustium *corruptum* et *infectum* tu meminisse debes, et a viris doctis observatum est. P. FABER. — Gœr. dat *non comprehensa.* Sic, inquit, mei omnes, 5 etiam Davisii, ut edidimus; nec aliter vetus impressi. *Incomprehensa* nusquam alibi Cicero dicit, licet sæpius vocem ἀκατάληπτον exprimat. Conf. supra § 18, ubi ex hac ipsa causa h. vocem circumloquutus esse videtur. Huic rei si addideris, *dicimus* sequi, quo solitus loquendi mos exprimitur; et alibi quoque sic a scribis peccari (cf. Offic. III, 21, 10, ibique Heusingeros); nihil dubitabis, veram auctoris manum a nobis esse revocatam.

XXX. 1. *Effatum esse id, quod aut verum, aut falsum sit?* Ita Davis. ex trinis suis; ita nostri omnes, cum edd. vett. sat multis: ut mirum sit, quo modo Ernest. ad vulgatam, « eff. est

ex his sequendas esse alias, alias improbandas, quæ
96 sint in genere contrario. Quo modo igitur hoc[2] conclusum esse judicas? « Si dicis, nunc lucere, et verum dicis; lucet igitur[3] ». Probatis certe genus, et rectissime conclusum dicitis. Itaque in docendo, eum primum concludendi modum traditis. [Aut], quidquid igitur eodem modo concluditur, probabitis; aut ars ista nulla est[4]. Vide ergo, hanc conclusionem

id », relabi potuerit. Nam vel *sit* delendum erat, vel hæc, scriptis probata, lectio revocanda : utrumque enim neutiquam coibit. G. — *Rebus sumptis, adjungam... contrario.* Gœr. interpr. « Si ad enuntiationem majorem, minorem vel aientem, vel negantem, assumpsero, atque ita conclusero, quo modo tu hoc recte conclusum esse judicabis, nisi omne effatum aut verum esse, aut falsum, concedis ». — Quæ interpretatio ipso textu obscurior videtur. Gallicus interpres : « Si je réunis plusieurs propositions, j'ajouterai qu'il faut adopter les unes et rejeter les autres, supposé qu'elles soient opposées aux premières ». Sed τὰ *rebus sumptis* nondum satis explicantur. Nobis sensus esse videtur : « Si quasdam res, seu veritates, tamquam syllogismi præmissas, sumpseris, admiseris, necesse est conclusionem quæ inde sequitur probari, seu improbari »; at in sequentibus probare conatur neutrum fieri posse.

2. *Quo modo igitur hoc.* Hæc pertinent ad proxime sequentia, et *igitur* est exemplum ad sententiam positam addentis, ut sæpissime. Ea autem vix recte Grut. cepit, alias sibi a meris scribarum mendis scrupulum, quem dicit, injici passus non esset. G.

3. *Si dicis ... igitur.* Gœrenz dat « si dicis [lucere, et verum dicis ; lucet : dicis autem] nunc lucere, et verum dicis : lucet igitur ». Negari, inquit, non potest vere judicasse P. Manut. Lamb. I. Brutum, esse hoc concludendi genus importuno loco truncatum; nam, quod huic in proximis aptatum est, formam etiam istius pleniorem requirit. Non autem, ut illi, « Si dicis nunc lucere, et verum dicis : lucet. Sed dicis autem lucere, et verum dicis: lucet igitur »; nec, ut Davis. qui in assumptione *nunc* repetitam vult : sed prior *nunc* transferenda est. Quod non solum per se patet; sed idem exemplum docet, quod ex Sexto laudavimus. De hac conclusionis ratione conf. Sext. Emp. adv. Logg. II, 224. Chrysippo, in libro περὶ διαλογισμῶν, τοιοῦτος λόγος πρῶτος ἀναπόδεικτος καλεῖται ... εἰ ἡμέρα ἐςὶ, φῶς ἐςιν· ἀλλὰ μὴν ἡμέρα ἐςὶν, φῶς ἄρα ἐςίν. Ex tribus autem rationum indemonstrantium formis hanc primam Stoici ponebant. Vide Sext. ibid. seqq. quod auctor verbis proximis, « itaque..... eum primum concludendi modum traditis », expressit.

4. [*Aut*], *quidquid igitur eodem modo concluditur, probabitis, aut... est.* Cancellis inclusimus *aut* priorem, idque causis sane idoneis. Quis enim constructionem feret, *aut, quidquid igitur,* sic ut *igitur* etiam ad *aut* per-

probaturusne sis: «Si dicis te mentiri, verumque dicis; mentiris. Dicis autem te mentiri, verumque dicis. Mentiris igitur». Qui potes hanc non probare, quum probaveris ejusdem generis superiorem? Hæc Chrysippea sunt, ne ab ipso quidem dissoluta. Quid enim faceret huic conclusioni? «Si lucet, lucet; lucet autem; lucet igitur». Cederet scilicet[5]. Ipsa enim ratio connexi[6], quum concesseris superius, cogit inferius concedere. Quid ergo hæc ab illa conclusione differt[7]? «Si mentiris, mentiris; mentiris autem; mentiris igitur». Hoc negas te posse nec approbare, nec improbare[8]. Qui igitur magis illud? Si ars, si ratio, si via, si 97
vis denique conclusionis valet; eadem est in utroque[9].

Sed hoc extremum eorum est[10]: postulant, ut excipiantur hæc inexplicabilia. Tribunum aliquem cen-

tineat? Debebat enim *aut* ante *probabitis* poni. Deinde vel sic valde de veritate vocis dubitarem. Nam ubi umquam ita auctor ad duplicem *aut* diversa tempora jungit? Ipse tum haud dubie *erit* scripsisset. Jam vero supra monuimus, scribas *aut*, si simplex ponitur, turbare solere. G. — In *vide ergo*, quod sequitur, ne *ergo* vitiosam putes, quum ad hoc *Vide* ubique fere *igitur* addatur, et hæ partt. tantum non semper a scribis permutentur; ut h. l. Erl. Immo *ergo* h. l. suo prorsus loco ponitur; quippe quæ part. proprie superius posita resumentis, et cum rationibus comparantis, sit, ut argumentatio conficiatur. G.

5. *Cederet scilicet.* Peccant scripti quidam, et vetus editi, *crederet.* Nam recte P. Faber docet ex Plut. de Stoic. repp. 1052. C. auctorem hoc verbum ad græcum εἴκειν accommodasse, quo proprie sic Stoici utebatur. Cf. Ern. Cl. h. v. G.

6. *Connexi. Connexum* est συνημμένον, quod hac in re proprie dicitur.

7. *Quid ergo hæc..... differt?* Nihil dicit Davis. *Qui* suadens. Sensus, «dic ergo, quid hæc conclusio, si mentiris, mentiris, ab illa, si lucet, lucet, differat?» i. e. nihil differt. *Ergo* autem idem valet, ac, «quod si est, dic, quid, etc.» Inde etiam h. l. male Gud. et Crat. *igitur.* G.

8. *Hoc negas ... nec approbare, nec impr. Hoc* notat, «tali forma conclusum», et sensus est, «Hæc tu cum Stoicis in ἀπόροις ponis». G.

9. *Si ars... eadem est in utroque.* Miro modo Hülsem. hæc aliis typis exprimi jussit, quasi essent ex alio nescio quo conclusionis genere posita. Sensus est, «si recte dialectici, si mentiris, mentiris; quæ est in, si lucet, lucet, differentia?» G.

10. *Sed hoc extremum eorum est,* id est, «extremo eo loco confugiunt». Expressit græcum τελευταῖόν ἐστι· rectius igitur colon puncti loco posuimus. G.

seo videant[11] : a me istam exceptionem[12] numquam impetrabunt. Etenim quum ab Epicuro, qui totam dialecticam et contemnit, et irridet[13], non impetrent[14], ut verum esse concedat, quod ita effabimur, « Aut vivet cras Hermachus, aut non vivet » : quum dialectici sic statuant, omne, quod ita disjunctum sit, quasi, « aut etiam, aut non », non modo verum esse, sed etiam necessarium : vide, quam sit cautus is, quem isti tardum putant[15]. Si enim, inquit, alter-

11. *Tribunum aliquem censeo videant*. Vulgo *adeant*. Sed fr. cod. et Erl. clare *videant*, quod etiam Grut. in Pal. 2 et Davis. in Baliol. repererat, edente sic dudum Victorio, Gronovioque idem reponente. Dav. deinde id hac de causa rejecit, quod *adeant* latinissime dicatur; de alterius vero formæ usu non constet. In quo acquievere et Ernest. et reliqui. Sed facile intelligitur, *adeant* magis ex *videant*, quam versa vice, ortum videri. Si enim *videant* h. l. commodum sensum præbet, eumque ab librariorum captu remotiorem; non levis jam inde subnascitur contra illud suspicio. G.

12. *A me istam exceptionem*. Si cui magistratus ab re aliqua exceptionem negarent, isque tribunum plebis aliquem invocasset, hic in rebus minoris momenti suapte vi, in iis majoris autem per populum exceptionem dabat; quod posterius *privilegium* dicebatur. G.

13. *Qui totam... irridet*. Hoc Epicuro sæpe vitio vertit Tullius. Vide de Fin. lib. I, 7; II, 6. Diog. Laert. lib. X, § 31 : τὴν δὲ διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκιμάζουσιν Epicurei. Hieron. in Rufin. lib. I, p. 500. F. « Quoniam Stoici logicam sibi vindicant, et tu hujus scientiæ deliramenta contemnis, in hac parte Epicureus, etc. » H.

14. *Ab Epicuro... non impetrent, ut verum esse concedat... aut v. cras H. aut non vivet*. Conf. Topic. 14, 56. Sed commentarii loco huc pertinet locus a Davisio jam allatus, Nat. Deor. lib. II, 25, 70 : « Idem facit (Epicurus) contra dialecticos : a quibus quum traditum sit, in omnibus disjunctionibus, in quibus aut etiam, aut non, poneretur, alterutrum verum esse : pertimuit, ne, si concessum esset hujusmodi aliquid, aut vivet cras, aut non vivet Epicurus, alterutrum fieret necessarium : totum hoc, aut etiam, aut non, negavit esse necessarium ». Causa, cur id ille negaret, ut idem Davis. vidit, legitur de Fato, 9, 19, seqq. veritus enim est, ne, hoc concesso, omnia fato fieri, concederet. G.

15. *Vide, quam sit cautus is, quem isti tardum putant*. Sic omnes et scripti, et vetus editi. Sed quum Lamb. ideo, quod *cautus* non recte *tardo* opponeretur, *catus* conjecisset, Davis. et Ern. cum reliquis sic ediderunt. Sed certo errore. Nam primum hoc loco auctor Epicurum, non *catum*, sed *cautum* laudat, quippe qui sibi prospiceret, ne in fati incideret ne-

utrum concessero necessarium esse [16]: necesse erit, cras Hermachum aut vivere, aut non vivere. Nulla autem est in natura rerum talis necessitas. Cum hoc igitur dialectici pugnent, id est, Antiochus et stoici [17]: totam enim evertit dialecticam. Nam si e contrariis disjunctio (contraria autem ea dico, quum alterum ait, alterum negat [18]), si talis disjunctio falsa potest esse, nulla vera est. Mecum vero quid habent litium, 98
qui ipsorum disciplinam sequor? Quum aliquid ejusmodi inciderat, sic ludere Carneades solebat [19]: « Si

cessitatem; in qua re *cati* nihil inest: nam *catus* male catus fuerit, si in ipsa re non satis sibi prospexerit. *Cautus* contra dici aliquis potest, licet etiam in cavendo rei minus convenienter agat: cavet enim, quamquam non accurate. Deinde haud video, cur non recte *tardus* (ingenio) *cauto* opponatur, qui certe in eo, quum cavet, tardus non est. Denique certum nobis est, Ciceronem prisca voce *catus* nusquam, nisi cum excusatione quadam usum esse, utpote ipsius tempore obsoleta; vide nos ad Legg. I, 16, 45. Hoc etiam addimus. Stoici Epicurum ita abjiciebant, ut ipsi vix communem captum relinquerent. G.

16. *Si enim, inquit, alterutrum concessero necessarium esse.* Davisio, recta monenti, parendum erat. Quum ante hunc post *concessero* virgula distingueretur, Ern. colon posuit, licet constructio sit, « si concess. alterut. esse necessarium ». G.

17. *Id est, Antiochus et Stoici.* Recte Davis. hæc verba contra glossematis suspicionem vindicat; huc enim referuntur inferius posita: « Mecum vero quid habent litium, qui ipsorum disciplinam sequor ». Sequebatur autem Cicero in Logicis Stoicos, et qui in his nihil differebat, Antiochum, magistrum, ut et ipse sæpe fatetur, et ipsa ejus scripta loquuntur. Conf. § 98. G. — De quorum cognatione vide Diog. Laert. lib. II, sect. 108; Zwanz. pag. 74, 141; Wyttenb. Log. pag. 11, 92. H.

18. *Quum alterum ait, alterum negat.* Dubito an lectio hæc vera sit. Nam codd. mei præter Wr. omnes, *neget*, et pro *ait*, ut assolet, *aut* peccant. Erl. *ait* plane ignorat. Inde editorum vett. complurium lectionem *aiat...neget*, veram judico. G.

19. *Quum aliquid hujusmodi inciderat, sic ludere Carneades solebat.* Turbant in his scripti. Dr. *incidebat*; tres alii mei *concludere*. Gud. *sique auderere*. At vulgata vera est: *concludere* enim ex seq. *conclusi* ortum (imprimis quum *c* litera præcederet), quum scribæ vim loci non caperent, Gudianique scribæ mendum e codicis, quem depingebat, evanidis literis natum videtur. Sensus est, « Si quid litium inter Carneadem et Stoicos de distinctionis alicujus veritate ortum erat; tum ille, hac distinctione facta, sic illudens jocabatur, Si recte conclusi, etc. » G.

recte conclusi[20], teneo[21]; sin vitiose, minam Diogenes reddet[22] »; ab eo enim stoico dialecticam didicerat[23]; hæc autem merces erat dialecticorum. Sequor igitur eas vias[24], quas didici ab Antiocho; nec reperio, quomodo judicem[25], « Si lucet, lucet », verum esse, ob eam causam, quod ita didici, omne, quod ipsum ex se connexum sit[26], verum esse; non judicem, « Si mentiris, mentiris », eodem modo esse

20. *Conclusi.* Alii *conclusit*, quod recte Lambinus in *conclusi* correxit.

21. *Teneo.* Suadet Huls. *te teneo.* Sine causa; quum *tenere* dicantur ii, *qui causam suam obtinent :* cogitandum enim est *causam.* Conf. Schelleri Obss. pag. 279; adde de Fato, 16, 38 : « Tenebitur id... omnem enuntiationem aut veram, aut falsam esse ». G.

22. *Reddet* præbent mei, omnesque fortasse omnium : nam ex correctione puto, quod editi quidam *reddat.* Futurum multo melius. G. — Vertit *Castillon :* « Si j'ai bien raisonné, j'ai gagné ma cause; si j'ai mal raisonné, Diogène n'a qu'à me rendre ma mine ».

23. *Dialecticam didicerat.* Gœrenz dat *dialectica.* Ita, inquit, pro vulgato *dialecticam* ex solo Gud. dedimus. Neque solum, quia selectius : sed sic flagitant sequentia, *hæc autem merces* (δίδακτρον) *erat dialecticorum.* Nam *merces dialecticorum* dicitur, ut *periculorum*, *habitationum*, *prædiorum*, etc. ne *dialecticos* cogites. Quod si auctor hos voluisset, *dialecticis* scripsisset. — Quidquid dicat Gœr. nobis in verbis argutari videtur; nec umquam nobis persuadebit ea verba *merces dialecticorum*, minus latina esse eo sensu, quo significent « merces, quam dialectici accipiebant » : certe dici potest *merces prædiorum;* sed nisi Cicero jocari voluerit, perinde ac si gallice diceretur : « Voilà ce que coûtait la dialectique », non arbitramur eum dialecticam inter ea quæ pretio penduntur, numerare voluisse.

24. *Sequor igitur eas vias.* Recte sic pro *sequar* Grut. meis omnibus consentientibus. *Vias* autem plurium numero, ut amat auctor, capies h. l. de singulis quibusque præceptis, ad dialecticam pertinentibus. Conf. Legg. I, 6, 18. Non tam justitiæ, quam litigandi, tradunt vias. G.

25. *Quomodo judicem.* Opponitur inferius positum *non judicem ;* ubi denuo *quomodo* intelligendum est. Ita videbis, nihil esse, cur Davisio, « quomodo, quum judicem » scribi debeat. G.

26. *Omne, quod ipsum ex se connexum sit*, expressit græca πᾶν ἐξ αὐτοῦ συνημμένον. Conf. Sext. Emp. Logg. II, 219 seqq. G.— Huic quod erat *connexum per se*, Stoici opponebant *connexum per alia : connexum per se* locum habebat, quum antecedens et consequens propositionis conditionalis idem continerent, ut : si lucet, lucet ; *connexum per alia* locum habebat, quum antecedente idem ac consequente non continebatur.

connexum. Aut igitur hoc, et illud; aut nisi hoc, ne illud quidem judicabo[27].

XXXI. Sed, ut omnes istos aculeos, et totum tor-
tuosum genus[1] disputandi relinquamus, ostendamus-
que, qui simus[2] : jam[3], explicata tota Carneadis sen-
tentia, Antiochia[4] ista corruent universa. Nec vero
quidquam ita dicam, ut quisquam id fingi suspice-
tur[5] : a Clitomacho sumam, qui usque ad senectutem
cum Carneade fuit, homo et acutus, ut Pœnus, et
valde studiosus ac diligens[6]. Et quatuor ejus libri
sunt de sustinendis assensionibus. Hæc autem, quæ
jam dicam, sunt sumpta de primo. Duo placet esse 99
Carneadi genera visorum : in uno hanc divisionem,

27. *Judicabo.* Ad illustrandum hujus et præcedentis capitis rationem vide Arist. de demonst. lib. I, cap. 2; Cic. Topic. Tusc. I, 7; II, 21; Arist. lib. VIII, cap. 1 et 3 Topicorum; Valentia passim; Sen. ep. 68; Diog. Laert. VII, 82; Aul. Gell. V, 10, IX, 15, XIV, 2, XX, 1; Saverianum, Hist. Phil. ant. II, pag. 197, art. *Euclide de Mégare.*

XXXI. 1. *Et totum tortuosum genus.* Lamb. non sine veri specie, « et hoc totum, etc. » conjicit. Sed quum *istos* præcesserit, nihil hoc opus est: immo nescio quid inane subaudies, si aures consulueris; ut omittam, *et totum hoc* conjiciendum fuisse. Accedit etiam, quod pronomina ad prius subst. posita, haud raro ad posterius quoque referenda sint, licet et genere differant, et numero. Triplici igitur parte, hoc nihil esse videtur. G.

2. *Qui simus*, οἵτινες ὦμεν, i. e. *quid valeamus*, ut sæpe. G.

3. *Jam*, valet *continuo* : sic nihil est, quare *nam* malis; quæ alias part. ex conjectura præplacere debebit. G.

4. *Antiochia.* Ita recte Davis. ex Cantab. cui plene consentit fr. cod. Gud. Vien. Dr. *Antiochie*, reliqui cum olim vulgata, *Antiochi.* Auctor Græcam ει tum per *e*, tum per *i* reddit, posteriorem autem rationem maxime in adjectivis sequitur, a nominibus propriis oriundis. In voce autem *Antiochius* longe frequentior est. Quoties enim sic in Epp. ad Atticum? quoties alibi? Cf. supra 22, 70. Secus est infra 36, 115. Nulla igitur causa fuit, cur Hülsem. *Antiochea* scriberet. G.

5. *Ut quisquam id fingi suspicetur.* Int. ut quisquam suspicetur me quid enuntiare, quod non sit a Carneade. G.

6. *Diligens. Et quatuor.* Davis. « diligens etiam. Quatuor » suadet: sed bis peccat in uno. Nam primum poni in clausula *etiam* non potest, nisi *adeo* notet. Quod quum sit certissimum, conjecturæ languor sua sponte patet. Deinde parum vidit, quanta frequentia *et*, pro *et sane* dicatur. Vide nos ad Legg. II, 3, 7. Sensus est, « Et sane IV libros περὶ ἐποχῆς scripsit » : ut vel ex librorum numero conjectura valeat, accuratius hæc ab eo esse tractata. G.

Alia visa esse, quæ percipi possint, alia quæ non possint[7]; in altero autem, Alia visa esse probabilia[8], alia non probabilia. Itaque, quæ contra sensus, contraque perspicuitatem dicantur, ea pertinere ad superiorem divisionem; contra posteriorem nihil dici oportere. Quare ita placere, tale visum nullum esse, ut perceptio consequeretur; ut autem probatio, multa. Etenim[9] contra naturam esset, si probabile nihil esset: et sequitur omnis vitæ ea, quam tu, Luculle, commemorabas, eversio. Itaque et sensibus probanda multa sunt: teneatur modo illud, non inesse in his quidquam tale, quale non etiam falsum, nihil ab eo

7. *Alia, quæ non possint.* Ante Davis. post *quæ*, *percipi* repetite scribebatur; quod verbum, recte ab ipso deletum, tres quoque nostri ignorant. G.

8. *Alia visa esse probabilia.* Quoniam hæc divisio Stoicor. est, ut in Zenone Diogenes testatur, et Galen. lib. IX, de decret. Hipp. et Platonis, Carneadi autem sunt *incomprehensa* omnia ἀκατάληπτα ἅπαντα, ut ait Aristocles ap. Eus. (præp. ev. l. XV, p. 835), et sæpius idem hoc in libro a Cic. dicitur, facile suspicetur quis hic aliquid esse mendi. Nihil est. Supra dixit Lucullus quum academicos refelleret, illos etiam componere *artem* quamdam, et, « visorum, inquit, et vim et genera definiunt, in his quale sit id, quod percipi, et comprehendi possit, totidem verbis quot Stoici ». Deinde *esse* usitatum pro *dici*, monuit Prisc. l. 18, et Donat. ad Terent. Fab. — Vid. Sext. Emp. P. H. lib. I, 23, s. 226: Οἱ δὲ ἀπὸ τῆς νέας Ἀκαδημίας, εἰ καὶ ἀκατάληπτα εἶναι πάντα φασὶ, διαφέρουσι τῶν σκεπτικῶν· (vid. Cic. supra c. 6, 31; Euseb. præp. ev. IX, 8): ἀγαθὸν γάρ τί φασιν εἶναι οἱ Ἀκαδημαϊκοὶ, καὶ κακὸν, οὐχ ὡς ἡμεῖς, ἀλλὰ μετὰ τοῦ πεπεῖσθαι ὅτι πιθανόν ἐστι μᾶλλον ὃ λέγουσιν εἶναι ἀγαθὸν, ὑπάρχειν, ἢ τὸ ἐναντίον. Cf. Cic. c. 10, supra. H.

9. *Etenim... ev.* Hæc, inquit Gœr. parenthesi dedimus, ut ab auctore de suo addita. Ita cuncta in suum orbem redeunt; neque cum Davisio, « contra naturam esse », neque cum Lamb. et Ern. *sequeretur*, scribi males. Post parenth. mutata, ut sæpe, constructio, directa oratione pergit. Imperfecta autem illa sic capies, ut ad Carneadem referantur, hoc sensu: « cum natura Carneades pugnaret, si, probabile nihil esse, diceret ». Ita recte addi præsens indicativi cum asseveratione potuit, hac vi: « et sane verum est, sequi inde, quod tu modo dicebas, ut omnis vita evertatur ». *Etenim* parenthesi haud ita raro inservit. Cf. Læl. 17, 62. Denique refert cum St. Victoris et Paris. 4, Dresdensis *eversionem*. Cujus quidem structuræ loca plura feruntur; sed in iis pauca indubitatæ fidei.

differens[10], esse possit. Sic, quidquid acciderit specie probabile, si nihil se offeret, quod sit probabilitati illi contrarium, utetur eo sapiens; ac sic omnis ratio vitæ gubernabitur. Etenim is quoque, qui a vobis sapiens inducitur[11], multa sequitur probabilia, non comprehensa, neque percepta, neque assensa, sed similia veri : quæ nisi probet, omnis vita[12] tollatur. Quid enim? conscendens navem sapiens, num comprehensum animo habet atque perceptum, se ex sen- 100
tentia navigaturum? qui potest? Sed si jam ex hoc loco proficiscatur Puteolos, stadia triginta, probo navigio, bono gubernatore, hac tranquillitate[13] : probabile videatur, se illuc venturum esse salvum. Hujusmodi igitur visis[14] consilia capiet et agendi[15], et non agendi : faciliorque erit, ut albam esse nivem probet, quam erat Anaxagoras; qui id non modo[16] ita esse negabat, sed sibi, quia sciret aquam nigram esse,

10. *Nihil ab eo differens.* Sens. est : « nihil in sensuum cognitione reperiri, quod, quum verum videatur, non, ut notis veri cum falso communibus, etiam falsum esse possit ». Hæc ipsa verba virgulis distinximus. G. — Callide vertit *Castillon :* « Pourvu qu'on sache qu'ils ne présentent rien qui ne puisse être faux, sous les apparences même de la vérité ».

11. *Qui a vobis sapiens inducitur.* Ursinus ex suo aliquo *nobis* commendat, atque ita quoque duo nostri. Sed recte defendit Davis. vulgatam. Nihil enim certius est, Stoicos, et Antiochum, sapienti suo probabilitatem sequi concessisse, opinationem contra negasse. Præter ea, quæ Davis. habet, cf. supra § 67, 68. G.

12. *Omnis vita tollatur; vita* pro « agendi ratione in vita » dicitur, ut sæpe. G.

13. *Hac tranquillitate.* Fr. cod. Dr. cum vetus editis multis *ac* pro *hac.* Male : nam *hac* est, « quæ nunc regnat ». Ita Acadd. I, 3, 11, *huic ætati*, qua ego nunc sum. Div. II, ep. 5, *hæc negotia* i. e. hujus loci, et temporis. G.

14. *Hujusmodi igitur visis.* Intellige : ductus, nixus.

15. *Agendi.* Gerundia, « agendi, et non agendi, i. e. ad agendum, etc. » auctori valde frequentantur, alibi frustra tentata Off. I, 33, 6, « consilium vivendi ». Legg. I, 14, 42, « recta ratio imperandi atque prohibendi ». Ita paucis post § 102, « propriam percipiendi notam ». Quare recte reposuit nuper Wolf. Tusc. V, 40, 117 : « æternum nihil sentiendi receptaculum ». G.

16. *Qui id ... ne v. q.* Hæc Gœr. lineis, ut parenthetica, distinguit.

unde illa concreta esset[17], albam ipsam esse, ne videri quidem. Et quæcumque res eum sic attinget, ut sit visum illud probabile, neque ulla re impeditum, movebitur. Non enim est e saxo sculptus, aut e robore dolatus[18]. Habet corpus; habet animum: mo-
101 vetur mente; movetur sensibus: ut ei multa vera videantur[19], neque tamen habere insignem illam et propriam percipiendi notam; eoque sapientem non assentiri, quia possit ejusdem modi exsistere falsum aliquod, cujusmodi hoc verum[20]. Neque nos contra

17. *Unde illa concreta esset.* Hæc verissima lectio. Ita enim auctor alibi Nat. Deor. II, 10, 26: « aqua... quæ neque conglaciaret frigoribus, neque nive pruinaque concresceret ». Similiter ibid. « aer concretus in nubem », et poetis frequenter *nix concreta* dicitur Lucret. III, 20. Scripti vetusque impressi, *congregata*. Camerar. *congelata* corrigebat, sed nullus auctor sic, neque de glacie. Hülsem. hoc recepit. Rem dirimit Sext. Emp. Pyrrh. I, 33. Cll. II, 22, ex quo intelligitur, Anaxagoræ verba fuisse, ἡ χιὼν ὕδωρ ἐςὶ πεπηγός. G.

18. *E saxo sculptus, aut e robore dolatus.* Ita Nonius v. *dolitum*: nam scripti omnes, et editi vett. plerique, *aut ebore*, quod nihil esse constat, quum locus sit ex Odyss. 19, 163, imitatus. Abierat versus ille in proverbium, sic ut a plurimis Græcorum scriptoribus ad eum alludatur. Ceterum vult Ern. *scalptus*, non *sculptus*, scribi (ut vere Crat. cum editis vett. pluribus, et Nizol. præbent); quippe quod Græco λαξευτὸς, et ξεςὸς respondeat. Difficili judicio rem, et parum adhuc liquidam, Vir Summus commovit, quum verborum *sculpi* et *scalpi* discrimen parum adhuc constitutum sit. G. — Versus est: Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐςι παλαιφάτου, οὐδ' ἀπὸ πέτρης Ἀλλ' ἀνδρῶν γένος ἦεν. De quo versu plura collegit Jac. du Portus in gnomol. Homer. p. 262, seq. contra v. Il. π, 33, sp. Cf. Virg. Æn. IV, 365; Gell. N. A. 12, 1; Macrob. Saturn. l. V, c. 11. De re v. Stäudlin *Gesch. d. Skeptic. Th. I. S.* 112. H.

19. *Multa vera vid. neque tam. h.* Gœrenz dat: « vera multa vid. »—In verbis deinde « neque tamen habere » offendunt Lamb. et Rath. Ille *habet*, hic « nego tamen h. » commendat. Sed locus probus est, et ex iis, haud raro obviis, ubi verbum præmissum, denuo subaudiendum est. Cf. Off. II, 10, 10. Cf. Quint. 8, 31; Muren. 16, 34; Tusc. IV, 2, 3, etc. Si auctor scripsisset, « ut ei vera multa videantur, neque (ea) tamen (videantur) habere, etc. » nihil quisquam offenderit. Sed *ea* consulto omisit, ne ad *vera* simpliciter (quæ dignosci nequeant), applicaretur. Prorsus eadem constructio paucis post redit, « qui multa falsa esse dicunt, longeque (ea) aliter se habere (dicuntur) ac sensibus videantur ». G.

20. *Cujusmodi hoc verum.* Possint hæc quidem abesse: sed recte se habent, et sunt ex usu auctoris dicta; si modo ad *hoc*, « quod putetur, v. judicetur », intellexeris. G. — De

sensus aliter dicimus, ac stoici; qui multa falsa esse dicunt, longeque aliter se habere, ac sensibus videantur.

XXXII. Hoc autem si ita sit, ut unum modo sensibus falsum videatur[1]: præsto est, qui neget, rem ullam percipi posse sensibus. Ita, nobis tacentibus, ex uno Epicuri capite, altero vestro, perceptio et comprehensio tollitur. Quod est caput Epicuri? Si ullum sensibus visum, falsum est; nihil percipi potest[2]. Quod vestrum? Sunt falsa sensus visa. Quid sequitur? ut taceam, conclusio ipsa loquitur[3], nihil posse percipi. Non concedo, inquit[4], Epicuro. Certa igitur cum illo[5], qui a te totus diversus est; noli me-

parvo Ciceronianæ defensionis momento, vid. Zwanz. p. 144-50. H.

XXXII. 1. *Ut unum modo sensibus falsum videatur.* Gud. fr. cod. Ven. 1494 *falsum* ignorant. Inde, non sine magna probabilitate, scribendum esse judico, « ut unum sensibus modo videatur ». Sic *unum* graviori vi ponitur; quod est ad loci sententiam aptissimum. Scribæ, ex quo *falsum* pro glossemate irrepserat, non potuere non, quin *modo* transponerent. Accedit, quod in proximis eorumdem manus clare bis cernatur. Sensus sic erit, « ut vel unum sensibus tantummodo videatur, nec re tale sit, quale videatur ». G.

2. *Si ullum sensibus visum, falsum est; nihil percipi potest.* Gœrenz dat: « Si ullum sensus visum falsum est, nihil percipi ». Veram, inquit, auctoris manum reduximus. Nam primo, quatuor mei cum quinque Davisii *sensus*, et Erl. qui *sensibus* refert, tamen hoc ipsum post *visum* transponit. Respici autem a Cic. ad cap. 26, κυρίων δοξῶν videtur. Laert. X, 147. Εἴ τινα ἐκϐάλῃς ἁπλῶς αἴσθησιν (ullum sensus visum).... τὸ κριτήριον ἅπαν ἐκϐαλεῖς. Coll. supra 25, 76. Ne autem *sensus*, vel *sensibus* deletum malis, tenendum est, auctorem consulto *sensus* addidisse, quum Epicurus modo sensus visa in certis poneret: animi enim visa relinquebat in opinionibus. Deinde ignorant 4 mei, et Vien. *potest;* quod Erl. cum Ven. Crat. et aliis vetus editis transponit, *potest percipi.* Addi autem h. verbum a scribis supra bis vidimus 14, 44. Cf. Tusc. I, 36, 88, ubi itidem jure nuper Wolf. *potest* abjecit. Additum autem ex proxime sequentibus vides: nisi vel ibi *nihil percipi*, omisso *posse*, legendum: nam duo mei cum editis vett. plerisque transpositis vv. *percipi posse.*

3. *Ut taceam, conclusio ipsa loquitur.* Prave ubique post *taceam* colon minus ponitur: non enim viderunt intt. *ut* h. l. pro *utut*, *vel si*, dici. G.

4. *Inquit*, secundæ personæ loco est. Esse enim hoc personarum omnium dudum animadversum est. Cf. Bremi ad Fin. II, 23. G.

5. *Certa igitur cum illo.... noli mecum.* Facile hoc in loco de vera

cum, qui hoc quidem certe, falsi esse aliquid in sen-
102 sibus, tibi assentior. Quamquam nihil mihi tam mi-
rum videtur, quam ista dici[6], ab Antiocho quidem
maxime, cui erant, quæ paullo ante dixi, notissima[7].
Licet enim hæc quivis arbitratu suo reprehendat,
quod negemus rem ullam percipi posse; certe levior
reprehensio est[8]. Quod tamen dicimus, esse quædam
probabilia, non videtur hoc satis esse vobis. Ne sit[9];
illa certe debemus effugere, quæ a te vel maxime
agitata sunt: « Nihil igitur cernis? nihil audis? nihil
tibi est perspicuum[10]? »

Explicavi paullo ante, Clitomacho auctore, quo modo ista Carneades diceret. Accipe, quemadmodum

verborum collocatione ambigas, nisi plena contexta consulueris: ex oppositionis enim vi hæc eorum series requiri videtur: « Cum illo igitur certa ». Idque sane, per se quidem, verissimum est; sed pertinent hæc ad § 98. « Mecum vero quid habent litium? » Ex quo loco non solum verbi *certa* præmissi ratio intelligitur, quum sic ad superiora lectoris animus remittatur; verum ipsius etiam verbi recte positi modus patebit. Non enim alias auctor *certare* tam absolute (*Pugna* tum dicit aut *Discepta*), nisi in rebus ad forum et judicia pertinentibus; unde huc translatum vides. Quæ quidem dubitatio nos, ad ulteriora contexta minus attendentes, antea commoverat, ut *Certa* pro adjectivo accipi mallemus. G.

6. *Q. i. dici.* Post, *dici*, colon minus, pro virgula, posuit Gœr. quia sensus est: « quamquam id mihi maxime mirum, ista dici a Stoicis, maxime vero ab Antiocho »; nempe, se non concedere Epicuro.

7. *Cui erant... notissima.* Addidit Davis. ex tribus suis post *erant*, *ea*; atque ita e nostris Gud. Sed facile hoc l. carere pr. demonstrativo licet, quod toties a scribis additur; cujusque loco auctor rectius *hæc* scripsisset. G.

8. *Certe levior reprehensio est.* Gud. *comprehensio.* Erl. cum Pal. 2, *responsio.* Sed hæc nihil sunt: nam optime vulgata cum verbo præc. *reprehendat* convenit. Nec Ven. 1494, cum Crat. et aliis audienda est, quæ transponit, *est reprehensio.* Alia res foret, nisi esset clausula. Sens. « certe, gravius Epicurum reprehendere vos licet, si mecum certa sensuum visa negabitis. G.

9. *Ne sit.* Hic conjecturas profundere Davis. non debuisset; quis enim hæc umquam a scribis non vexata vidit? Cf. supra 26, 84. « Ne sit sane: videri certe potest, etc. » G. — Hoc dicitur per concessionem, verbi gratia, etiamsi hoc vobis satis esse non videatur, illa certe, etc.

10. *Nihil igitur cernis?.. perspicuum?* Sunt hæc quodammodo exprobrantis, et cum quadam imitatione vocis Lucalleæ cogitanda. Exprobrantis ea esse, vel inde clarum, quod continuo argumentum abrumpitur. G.

eadem dicantur[11] a Clitomacho, in eo libro, quem
ad C. Lucilium scripsit poetam, quum scripsisset
iisdem de rebus ad L. Censorinum[12], eum, qui con-
sul cum M'. Manilio fuit. Scripsit igitur his fere ver-
bis[13]; sunt enim[14] mihi nota, propterea quod earum
ipsarum rerum, de quibus agimus, prima institutio
et quasi disciplina illo libro continetur; sed scriptum
est ita. Academicis placere, esse rerum ejusmodi dis- 103
similitudines[15], ut aliæ probabiles videantur, aliæ
contra; id autem non esse satis, cur alia percipi
posse dicas, alia non posse[16]; propterea quod multa
falsa probabilia sint; nihil autem falsi perceptum et

11. *Quemadmodum eadem dicantur. Eadem* referunt mei omnes : ut recte Davisius hoc pro *ea*, quod prius vulgabatur, dedisse putandus sit. Scribebatur olim ex compendio *ead.* inde sequens *d* præcedentem hausit. G.

12. *Ad L. Cens.* Cos. an. U. 604, quem Ern. in Cl. cum *C. Censorino* miscet, ut recte Wetzel. ad Brut. 90, docet. G. — Vid. Vellei. Paterc. l. I, 13. Ante triennium, quam Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendæ ejus auctor, L. Censorino, M'. Manilio coss. mortem obiit; ubi in marg. Jani, vir desideratissimus, a Chr. 149, allevit. Cf. et Censorinum de die nat. c. 17; Cic. Brut. c. 15. H.

13. *His f. verbis.* Ignorant fr. cod. et Erl. *fere.* Sed amat his auctor hanc part. addere, nec causa præterea adest, cur suspecta esse possit. G.

14. *Sunt enim... continetur.* Hæc Gœrenz parentheseos lineis distinxit.

15. *Esse rerum ejusmodi dissimilitudines.* Erl. transponit, *ejusmodi rerum :* sed falso. Si enim auctor in *ejusmodi* vim sententiæ esse voluisset, *ejusmodi esse* scripsisset. Hoc voluit potius, « res sane ita inter se differre, ut cognoscenti aliæ probabiles, aliæ improbabiles videantur ». Recte autem vulgatum *dissimilitudines* contra Passeratium, et Ursin. defendit Davis. licet editi vett. complures, in quibus est Ven. 1494, *similitudines* præbeant. Positum enim abstractum pro concreto est, ut auctor frequenter in hac voce solet. Cf. Divin. II, 45, 94; Off. I, 30, 109, etc. G. — Audiamus nunc P. Fabrum : optime correxisse Passeratium ex conjectura, et postea Ursinum libris auctoribus, docet Plutarchus in iis, quæ scribit in Stoicos, ubi illos Academicis ait in jurgio solere hoc idem objicere, ὡς πάντα τὰ πράγματα συγχέουσι ταῖς ἀπαραλλαξίαις, quum ἀπαραλλαξία illa non aliud significet, quam quum res rei sic par ac similis est, ut eæ nullo discrimine separentur, ut infra dicetur : « quoniam vera a falsis nullo discrimine separentur ».

16. *Cur alia posse percipi dicas, alia non posse.* Ita quatuor mei : quod unice verum esse judico. Vulgo *percipi posse :* sed sermo est, « an fieri possit, ut quid percipiatur ». Vis igitur loci in *posse*, non in *percipi* quærenda. G.

cognitum possit esse. Itaque, ait, vehementer errare eos, qui dicant, ab academia sensus eripi, a quibus[17] numquam dictum sit, aut colorem, aut saporem, aut sonum nullum esse; illud sit disputatum[18], non inesse in his propriam, quæ nusquam alibi esset, veri et
104 certi notam. Quæ quum exposuisset, adjungit[19], dupliciter dici assensus sustinere sapientem: uno modo, quum hoc intelligatur, omnino eum rei nulli assentiri; altero, quum se a respondendo, ut aut approbet quid, aut improbet[20], sustineat, ut neque neget aliquid, neque aiat[21]. Id quum ita sit, alterum placere,

17. *Ab Academia sensus eripi, a quibus*. Scribendum proprie erat *a qua*: sed quum in *Academia Academici* necessario cogitentur, et de Academia non bene, *eam dicere*, poni posset, addidit auctor *a quibus*, i. e. « quippe quæ Academici numquam dixerint ». Hujus generis exempla passim occurrunt. Cf. Off. I, 34, 3, « ut eorum vigeat industria ». Ubi ex prægressis verbis « Ineuntis ætatis », et « hæc ætas » cogitari debet *juvenum*. G.

18. *Sit disputatum*. Gœrenz malit deleri *sit* ut spurium et a scribis invectum.

19. *Quæ quum exposuisset, adjungit*. Recte præsens *adjungit* se habet: est enim scriptoris, cujus verba laudantur; quod alias sollicitari ab intt. solet, et maxime ab Ernestio. Cf. Bremi ad Fin. I, 8. Hinc forte etiam scribæ turbant: nam Gud. et fr. cod. *adjungit* nesciunt, et hic *dicit* pro *dici* refert. G.

20. *Ut aut... improbet*. Hæc, inquit Gœrenz, qui uncis inclusit, ex glossemate esse, suspicatus est Grut. viditque Davis. qui ante nos uncos spuriis adhibuit. Ern. commemoratis horum sententiis, miro modo, « rem non esse tanti », pronuntiat. Nos rem gravem agi statuimus, si non modo de ingenua auctoris manu quærendum sit, sed si vel contra linguæ ingenium peccatum videas. Quis enim hanc structuram latinam judicabit, « a respondendo se sustineat, ut aut approbet, etc. » *aut* pro *nec* posita? Ita enim ubique Latini, ut, « me sustineo a re, ne v. quo minus »; aut « ut ne... nec », construant. Possis hæc quidem proxime ad vv. « a respondendo », relata putare: at vel tum non *ut*, sed *an*, scrib. fuisset. Sed adsunt etiam alia glossæ signa. Tres mei cum aliis pluribus, *ut aut* ignorant; quatuor autem post *improbet*, alterum *quid* addunt: unde impressi vett. quos vidi omnes, priore *quid* deleto, posterius servant. His si denique miseram ταυτολογίαν adjunxeris, qua, illis retentis, locus gravatur, nihil erit, cur rationem nostram pluribus confirmemus. Superscripta nempe hæc verbis, « ut aut neget aliquid, aut aiat », erant, atque deinde in textum illata. G.

21. *Ut neque neget al. neq. aiat*. Oppositio vulgaris, sed a scriptoribus librariis pessime corrupta v. c. de Legg. l. II, 6, ibi v. Lips. et Davis. qui

ut numquam assentiatur; alterum [22] tenere, ut, sequens probabilitatem, ubicumque hæc aut occurrat, aut deficiat, aut etiam, aut non [23], respondere possit. Nec ut placeat [24], eum, qui de omnibus rebus contineat se ab assentiendo, moveri tamen, et agere aliquid : reliquit ejusmodi visa [25], quibus ad actionem excitemur; item ea, quæ interrogati in utramque partem respondere possimus [26], sequentes tantummodo, quod ita visum sit, dum [27] sine assensu : neque tamen omnia ejusmodi visa approbari, sed ea, quæ nulla re impediantur [28]. Hæc si vobis non probamus, sint falsa

uterque errant, nam rescribendum est ibi *ait* pro vulg. *at*. H.

22. *Alterum placere.... alterum tenere.* Hæc sic accipienda sunt, « alterum sapienti plac. alterum sapientem tenere, i. e. sequi, tueri ». G.

23. *Aut etiam, aut non. Etiam* affirmantis esse, nemo non videt; cf. § 97. G. — Respondet gallica vox *oui* ou *non*.

24. *Nec ut placeat.* Vulgatam, quam VV. DD. uno ore vitiosam judicant, et multis conjecturis mactant, sic reposuimus, ut modo virgulam post *Nec* deleremus, quæ harum turbarum origo et fons fuit. *Nec ut* positum pro *Et ne* est, quum auctor in negatione loci vim positam vellet, hoc loci totius sensu : « Et ne pugna ex eo oriatur, si placeat, ut nos ab omni assensu retineamus, et tamen moveamur visis, atque his ad agendum provocemur; ea visa admisit (Clitomachus), quæ nos ad agendum excitent ». Ita quidem mutare nihil opus erit : nec Lambini, « nam quum pl. » a scriptis plane recedens conjectura, nec illa P. Manut. et P. Fabri, *hic ut pl.* quæ, recepta ab Hülsem. prorsus jejune, *Clitomachus*, intelligi jubet; nec aliæ aliorum recte vulgata potiores judicabuntur. G.

25. *Reliquit ejusmodi visa... excitemur.* Post *visa* olim *approbari* addebatur; quod recte Davis. et Ern. abjecerunt. Voluit glossator verbo *reliquit* succurrere, quod, ut Græcum ἀπέλιπε, h. l. « admisit, non sustulit » notat. Cf. Fin. III, 4, 13. Nullus nostrorum *probari*. Deinde proprie *excitaremur* scribendum erat, certe sic ubique corrigit Ern. At vide, quæ supra 26, 84, notavimus. G.

26. *Respondere possimus.* Ita quoque scripti nostri omnes : nec stare his in contextis *possumus* potest, primo a Davisio ex tribus suis correctum. G.

27. *Dum* pro *dummodo* ponitur. Noluit Cic. *modo*, quod in *tantummodo* brevi præcesserat, reponi. Ita æque scribit, « dummodo... dum... dum » Brut. 82, 285. G.

28. *Neque tamen... approbari, sed ea, quæ nulla re impediantur.* Gœrenz dat *impedirentur*. Primum, inquit, duo mei, *nequeant tum* peccant; deinde ad inf. « approbari, oportere statuit », cogitandum est, quod in prægresso *reliquit* latet. Pro *impedirentur* tacite Ern. *impediantur* dedit : sed prave, quum *approbari* infinitivus sit *imperfecti*. *Sed ea*, pro *sed tantum ea* dici, in manifesto est.

sane, invidiosa certe non sunt. Non enim lucem eripimus; sed ea[29], quæ vos percipi comprehendique, eadem nos, si modo probabilia sint, videri dicimus.

XXXIII. Sic igitur inducto et constituto[1] probabili, et eo quidem expedito, soluto, libero, nulla re implicato[2], vides profecto, Luculle, jacere jam illud tuum perspicuitatis[3] patrocinium. Iisdem enim hic sapiens, de quo loquor[4], oculis, quibus iste vester, cælum, terram, mare intuebitur; iisdem[5] sensibus reliqua, quæ sub quemque sensum cadunt[6], sentiet. Mare illud, quod nunc, Favonio nascente[7], purpu-

29. *Sed ea... eadem.* Possis *ea* deletum velle, quum plane otiosum sit. Sed nimis sæpe auctor sic, et similiter. G. — Vertit *Castillon :* « Mais quand vous dites, *je sais, je comprends*, nous disons, *il me semble*, si nous croyons voir quelque probabilité ».

XXXIII. 1. *Inducto et constituto probabili.* Nostri quoque codd. « inducta et constituta probabilia », ut Victorius cum vetus editis, quos vidimus, omnibus, Gruteriani etiam, et haud dubie Davisiani referunt. Sed vitium apertum est, a scribæ alicujus torpore profectum, vulgataque verissima. G.

2. *Expedito... nulla re implicato.* Dilatavit auctor, quod sæpius dixerat, « probabilia, quæ nulla re impediantur », cf. § 100, cll. 104, etc. G.

3. *Perspicuitatis.* Quæ *perspicuitas* memoratur, is summus gradus καταλήψεως est, græce ἐνάργεια, et eadem cum *evidentia*, vide supra 6, 17. G.

4. *De quo loquor.* Notatur is sapiens, quem Academici sibi fingebant; cui statim ille Stoicorum, qui etiam Antiochi erat, opponitur. G.

5. *Iisdem sensibus.* Gœrenz dat *eisdem* sicut tres sui MSS.

6. *Cadunt.* Gœrenz dat *cadent* ex fr. cod. et Erl. Sensus enim, inquit, est : « ut quæque cuique sensui se offerent ». Ita sententia, quæ alias nimis late patet, in angustius contrahitur, et mos auctoris, ita futura ponendi, servatur.

7. *Fav. nascente... mane flavum.* Quem exspectaverant Lucullus, et Cicero, ut ejus ope ad villas suas, quæ in altera parte sinus Baiani erant, trajicerent; vide sup. 3, 9, cll. 48, 147. *Nascens* est *oriens;* supra similiter *infantes nascentes* dicuntur. G. — Pro *flavum*, quod sequitur, Gœr. dat *ravum*. Sic, inquit, erat retinendum, ut dudum ante Victorium VV. DD. scripserant : qui primus scrupulum injecit, ex duplici Academicorum editione repetitum. Sed, ut hic nihil est, ita facile ex re ipsa conjicere licebat, *flavum*, quod Ern. ex vulgata reposuit, non esse hujus loci. Nam in ipso solis exortu mare non flavum est, sed tenebris adhuc cum luce mixtis, ex rubore nigricans, quod *ravum fulvum*que dicitur. Deinde necessario audiendus Nonius erat, qui simillimum, et haud dubie ex secunda editione decerptum, locum in *Ravum* his laudat : « Quia

reum videtur, idem huic nostro videbitur, nec tamen assentietur; quia nobismet ipsis modo cæruleum videbatur, mane flavum; quodque nunc, quia[8] a sole collucet, albescit, et vibrat, dissimileque est proximo ei continenti : ut, etiam si possis rationem reddere, cur id eveniat, tamen non possis id verum esse, quod videbatur oculis, defendere[9].

Unde memoria, si nihil percipimus[10] (sic enim 106 quærebas[11]), quod meminisse visa, nisi compre-

nobismet tum cæruleum, tum ravum videtur, quodque nunc a sole collucet ». Nam variant nostro loco scripti sic, ut gravis sit suspicio, vocem veram obliteratam. Præter *flavum* nempe 4 mei cum aliis *atrum* præbent; solus Erl. *flavum* retinet : in quo turbæ causa vix quæri potest. Jam pæne ubique vox *ravus* obliterata reperitur, idque eodem prorsus modo apud Horat. Epodd. 16, 33 : « flavos timeant armenta leones »; ubi verum ipsum vidit Bentlei. qui *ravos* reposuit, ad exemplum *ravæ lupæ* ib. III, od. 27, 2. nam qui *flavos* defendunt, miscent. — Contra P. Faber; non corrigo etsi *ravum* legit Nonius; is enim æque indiligens, hic est, atque in ceteris quoque verbis hujus loci, aliisque item locis compluribus referendis. Itaque potius assentior Ciceronis libris, et Ennio et Pacuvio, qui apud Gellium lib. II, cap. 26, mare vocant *marmor flavum*, et aquam, *flavam*.

8. *Quia a sole collucet, albescit... continenti.* Gœrenz dat : « qua a sole coll. » *Qua*, inquit, ope fr. cod. et Erl. pro *quia* rescripsimus, quod Grut. jam ex Pal. 2, probaverat. Ita quidem hunc locum, qui alias laborat, egregie restitutum judicamus. Mare enim intra sinum, littoribus occidente sole id inumbrantibus, ex reflexu solis radiorum, littora altiora ipsa collustrantium, *purpurascebat*. Sic mare, purpureum colorem ex umbra referens, « dissimile est proximo » (id est proxime illi posito), quod « albescit et vibrat »; licet cum eo sit *continens*. Inde simul intelligitur, nihil esse cur Guietus verba, « quodque nunc... ei continenti », ut de glossemate suspecta judicet, quum vel *nunc* repetitum sic optime se habeat, nec opus esse cum Lamb. « proximo et continenti », probantibus Davis. et Ern. conjicere; licet ita quidem auctor sæpissime, *et* pro *et quidem* posita : nam vulgata est pro « proximo, quod ei continens est ». Si quid mutari placeat, *ei* rectius deleris.

9. *Tamen non possis id verum esse, quod videbatur oculis, defendere.* Sententia hæc est : « si vel docere possis, unde hi varii diversis temporibus locisque colores exstiterint, tamen non veros hos colores esse, qui modo videbantur, probabis ». Sic facile imperfectum tempus in *videbantur* defenditur : nam non de coloribus, qui modo *jam videntur*, sed de *visis* agitur, si eorum *ratio additur*. G.

10. *Percipimus*. Gud. *percepimus*. G.

11. *(Sic enim quærebas), quod m. v. n. c. non possumus ?* Gœrenz dat : « Sic enim quærebas. Quid? mem. v.

hensa, non possumus? Quid? Polyænus[12], qui magnus mathematicus fuisse dicitur, is posteaquam, Epicuro assentiens, totam geometriam falsam esse credidit, num illa etiam, quæ sciebat, oblitus est? Atqui, falsum quod est, id percipi non potest, ut vobismet ipsis[13] placet. Si igitur memoria perceptarum comprehensarumque rerum est, omnia, quæ quisque meminit, habet ea comprehensa atque percepta. Falsi autem comprehendi nihil potest: et omnia meminit Scyron Epicuri dogmata; vera igitur illa sunt nunc omnia. Hoc per me licet. Sed tibi aut concedendum est[14], ita esse[15], quod minime vis; aut memoriam mihi remittas[16], oportet, et facile esse ei locum,
107 etiam si comprehensio perceptioque nulla sit. Quid fiet artibus? Quibus? iisne, quæ ipsæ fatentur, conjectura se plus uti, quam scientia; an iis, quæ tantum id, quod videtur, sequuntur, nec habent istam artem vestram, qua vera, et falsa dijudicent[17]?

n. c. n. poss. » Sic, inquit, ut Gud. Wrat. et Ven. 1494, præbent. Neque est, ut pluribus hanc veram et lectionis, et interpunctionis rationem probemus, quum alibi viderimus, quam proni quum scribæ, tum VV. DD. sint ad mutandum, si *non* in interrogatione ponitur. Cf. Legg. II, 22, 51; ibid. III, 20, 48, et h. l. supra 22, 69. Ceterum respicitur his ad ea, quæ Lucullus supra 7, 22, disputarat.

12. *Polyænus* in principibus Epicuri discipulis numeratur, ad quem hic ipse, Charino archonte, epistolas scripsit. Cf. Seneca ep. 18. Eumdem ante Epicurum vita excessisse, ex hujus testamento conjici licet, quum ejus nulla ibi mentio fiat, licet Epicuro familiaris audiat, Fin. I, 6, 20. G. — Fuit Lampsacenus, Athenodori filius, vid. Laert. X, 24; Plutarch. adv. Colot. p. 1109. Dav. — Totam mathesin inanem ridebat cognitionem, quo joco non rem, sed quosdam ejus heroas castigasse mihi videtur. H.

13. *Vobismetipsis.* Confirmant Gud. fr. cod. et Wr. quamquam id satis jam ex semet ipso firmetur, quum olim vulgata, *nobismetipsis* h. l. nihil sit. G.

14. *Concedendum est.* Recte ad hæc contexta addidere Davis. et Ern. *est*, quod omnes etiam mei firmant. G.

15. *Ita esse.* Sc. *vera esse.* Nempe Epicuri dogmata.

16. *Aut memoriam mihi remittas*, notat, « concedas me memoriam non tollere ». Idem denique verbum ad proxima, quæ deinceps sequuntur, cogitandum, *et* (remittas s. concedas oportet) « facile ei esse locum », i. e. « recte eam locum habere posse ». G.

17. *Nec habent istam artem ve-*

Sed illa sunt lumina[18] duo, quæ maxime causam istam continent. Primum enim negatis fieri posse, ut quisquam nulli rei assentiatur. At id quidem perspicuum est: quum Panætius[19], princeps prope, meo quidem[20] judicio, stoicorum, ea de re dubitare se dicat, quam omnes, præter eum, stoici certissimam putant, vera esse haruspicum auspicia[21], oracula, somnia, vaticinationes, seque ab assensu sustineat. Quod is potest facere de iis rebus[22], quas illi, a qui-

stram, qua... dijudicent. Gud. cum duobus Davisii, et reg. Alemanni, « quæ... dijudicet », quod Ern. non sprevit. Nobis sane hæc constructio ironiæ, quæ hoc in loco aperta inest, videtur esse accommodatior. Sed minus bene sic clausula cadit. G.

18. *Lumina... continent.* Nos quoque cum Davisio in hac verborum junctura aliquid offendimur; non autem sic, ut eam non Ciceronis putemus. Ita sæpe enim hic *lumen* translate usurpat, ut sæpius in hac voce verbum tropo consentaneum neglexerit. Ita hoc loco *lumina* plene pro *capitibus* posuit; *caput* autem *continere aliquid* proprie dicitur. Conf. Orat. cap. 36, § 125. G.

19. *Panætius*, Rhodius, discipulum habuit præcipue Scipionem majorem, Posidoniumque. Veteres eum habuerunt Stoicum celeberrimum, qui quædam propria sibi præcepta tuebatur, et *probabilitatem* Academicorum concedebat. Vid. Tusc. Qu. l. I, 32. Animum materiam habuit, de Nat. Deor. II, 46, et imprimis a Cic. libr. de Off. in usum vocatus est, et pæne (ut videtur) expressus. De hoc sapiente viro egit Hissmann *Magaz. f. Philos. Gesch. B. IV*, 6, et v. doct. in *Mémoires de l'Acad. des inscr.* t. X; novissime, van Lynden diss. de Panætio Stoico, Lugd. 1802, 4. Adde Cic. de divin. II, 47. H.

20. *Quidem.* Abest ab Hülsemaniana, nulla causa. G.

21. *Haruspicum auspicia.* Gœr. dat « haruspicinam, auspicia ». Relinquere, inquit, in textis turpe vitium *haruspicum*, non potuimus: imprimis quum ejus medela talis esset, ut nemini non in mentem venire deberet; et simul tam facilis, ut pari vitio ex vocis compendio a scribis ubique peccetur. Dedimus igitur, ut Ern. conjecerat. Si vero idem judicat, etiam « haruspicum responsa » legi posse; hoc ideo minus placebit, quod haruspicum responsa latius patent, quam haruspicina. Consuli haruspices a privatis etiam de *somniis* solebant: nemo autem somnia ad haruspicinam retulerit. Reliquorum conjecturæ, ut Pet. Fabri *haruspicia*, ut Davisii, *haruspicium*, ipsa per sese concidunt, quum neutrum sit auctoris. Aliter denique Hülsem. se expedivit, quum *haruspicum*, tamquam glossam ad *auspicia* additam, deleret. G.

22. *Quod is potest facere de iis rebus.* Gœrenz dat: « Quod si is facere potest vel de his rebus ». Primum, inquit, recte jam Davis. ex Paris. *si* edidit, et duo nostri *his* præbent, quod haud dubie ex *si is* ortum est. Neque recte ista particula ab hac dicendi forma

bus ipse didicit, certas habuerint; cur id sapiens de reliquis[23] [rebus] facere non possit? An est aliquid, quod positum vel improbare, vel approbare possit, dubitare non possit[24]? An tu in soritis poteris hoc, quum voles; ille in reliquis rebus non poterit eodem modo insistere[25], præsertim quum possit sine assensione ipsam verisimilitudinem non[26] impeditam sequi?

108 Alterum est, quod negatis actionem ullius[27] rei posse in eo esse, qui nullam rem assensu suo comprobet. Primum enim videri oportet, in quo sit etiam assensus[28]. Dicunt enim stoici, sensus ipsos assen-

abest. Secus foret, si aut *potuit*, aut *id cur* scriberetur. Deinde verba *vel de his*, ex fr. cod. Dr. et Wrat. in quibus, *ut de his*, legitur, *vel*, ubique fere, si *adeo* notat, a scribis cum *ut* commutato: facili sane lapsu, quum *vl* scribatur. Reliqui scripti, et mei, et aliorum, qui *ut* non tenent, abjecerunt, quum ei sensum aptare non possent.

23. *Cur id sapiens de reliquis rebus.* Gœr. delevit *rebus*. Gud. fr. cod. et Dr. inquit, « rebus de reliquis », Ven. 1494, cum aliis « de rebus reliquis ». Ex hac vaga sede vocem supervacaneam non sine causa ut spuriam abjecimus.

24. *An est aliquid, quod positum.... dubitare non possit.* Gud. Dr. Wr. Ven. 1494, *quo posito*. An forte scribendum, « an est, quo posito aliquid, etc. » ut *aliquid* transpositum sit? Sed videntur scribæ non cepisse in *positum* integrum enuntiatum latere, pro « quod si positum fuerit ». Deinde etiam ex meis Gud. et Wr. *dubitari*. Unde putat Ern. *improbari* vel *approbari* legi posse. Sed prætulit rectius, quum *dubitare* ederet: non enim sententia communis est, sed ad sapientem referenda. Reliqui mei *dubitare* recte præbent. Nihil igitur Guietus dicit, qui *approbare possis* malit. G.

25. *Insistere.* Quum de soritis sermo sit, græcum Chrysippi verbum ἵςασθαι expressum putabis. Cf. Sext. Emp. Pyrrh. II, 253. Coll. ibidem adv. Math. VII, 416. Inde Grut. audiendus non est, qui verba « eodem modo insistere », ut superflua, deleta malit, quum Pal. 1, « eodem studio ins. » nescio quo errore, referat: sic docte enim scribæ non peccant. G.

26. *Non impeditam.* Int. nulla re impediente quin probabilitati cedas.

27. *Actionem ullius rei.* I. e. τὸ « agere rem aliquam »: sæpius enim de subst. in *io*, et de ipsa hac voce supra exposuimus. Sensus loci hic est: « Alterum (scil. vestræ causæ caput) est, quod statuitis, neminem rem ullam agere posse, nisi quam rem assensu suo comprobet ». G.

28. *Primum enim videri oportet, in quo sit etiam assensus.* Vertit *Castillon*: « Avant d'agir, selon vous, il faut avoir une perception qui commande l'assentiment ».

sus esse[29]; quos quoniam appetitio consequatur, actionem sequi; tolli autem omnia, si visa tollantur.

XXXIV. Hac de re in utramque partem et dicta sunt, et scripta multa[1]; sed brevi res potest tota confici. Ego enim etsi maximam actionem[2] puto, repugnare visis, obsistere opinionibus, assensus lubricos sustinere, credoque Clitomacho ita scribenti, Herculi quemdam laborem exantlatum[3] a Carneade, quod, ut feram et immanem belluam, sic ex animis nostris assensionem, id est, opinationem et temeritatem extraxisset: tamen, ut ea pars defensionis relinquatur, quid impediet[4] actio-

29. *Dicunt enim Stoici, sensus ipsos assensus esse.* Ut hæc explicentur. Cf. Acadd. I, 11, 41 : « quod erat sensu comprehensum, id ipsum sensum (Zeno) appellabat; et si ita erat comprehensum, ut ratione convelli non posset, scientiam ». Quum autem Stoici *sensus* multiplici ratione dicerent; vide nos ibid. § 41, atque iis etiam ἡ φαντασία καταληπτικὴ δι' αἰσθητηρίου γίγνεται. Plut. de Placitt. Philos. IV, c. 8. *Sensus* auctor *ipsos*, ex horum mente, *assensus* dicit. Si igitur Græca cogitaris, αὐτὴ ἡ αἴσθησίς ἐστι συγκατάθεσις, facile intelliges, quid sibi hæc velint. Jam etiam proxima patebunt. Si enim *sensus* Stoicis de « sensationibus mente perceptis » dicuntur, necesse est, ut eos « appetitio consequatur », atque hæc pariat *actionem : sique visa* (i. e. eorum veritas) « tollantur, tolli omnia », i. e. omnem veritatem. G.

XXXIV. 1. *Et dicta sunt, et scripta multa.* Misella glossa, quæ ante Davis. his vulgo addebatur, *vide superiora*, ignoratur recte a Gud. Sens. « Ea res et hesterno sermone agitata, ab utraque parte, multis est; et multa etiam de eadem scripta exstant, fidem visis vel vindicantia, vel negantia ». G.

2. *Maximam actionem puto.* I. e. « difficillimam rem in agendo judico » : ut *assensus lubricos* ea dixit visa, quibus difficile sit non assentiri, atque ita se ab errore et lapsu defendere. Cf. supra 28, 68 : « ipsa consuetudo assentiendi periculosa esse videtur et lubrica ». G.

3. *Herculi quemdam lab. exantlatum.* Sic Gœr. nisi quod dat *exanclatum*. Qui observat: De genitivo prisco (*Herculi* pro *Herculis*) in græcis nominibus Ciceroni tantum non unice probato, vid. supra cap. 6, § 16. Pro *exanclatum* dedit Ern. *exantlatum*, quum esset pro *exhaustum*. Sed nos quidem inter *exanclare* et *exantlare* discrimen nullum videmus, nisi hoc, *exantlare* esse scripturæ serioris, et in auctore ubique illud sectandum esse. Nam quod h. v. Lamb. ab *anculare* derivat, in eo certe sic me consentientem habet, ut utrumque ex communi fonte judicem. Communis autem ille horum fons græcum ἀντλεῖν videtur. Sic nuper etiam Wolf. Tusc. I, 49, 118 : « exanclavisset omnes labores ».

4. *Quid impediet.... Hoc, inquit, ipsum impediet.* Ven. 1494 : « impedit.... Hoc ipsum, inquit, imp. »

nem ejus, qui probabilia sequitur, nulla re impe-
109 diente? Hoc, inquit, ipsum impediet, quod statuet,
ne id quidem, quod probet, posse percipi. Jam istuc
te quoque impediet et in navigando, et in conse-
rendo [5], in uxore ducenda, in liberis procreandis,
plurimisque in rebus, in quibus nihil sequere, præ-
ter probabile.

Et tamen illud usitatum, et sæpe repudiatum refers, non ut Antipater, sed, ut ais, pressius [6]. Nam Antipatrum reprehensum, quod diceret, consentaneum esse ei, qui affirmaret, nihil posse comprehendi, id ipsum saltem [7] dicere posse comprehendi: quod ipsi Antiocho pingue [8] videbatur, et sibi ipsum contrarium [9]. Non enim potest convenienter dici, nihil comprehendi posse, si ipsum [10] comprehendi

Hoc ne esse quid videatur, notandum est, bene se habere fut. a scriba aliquo, ob proximum *sequitur*, in præs. mutatum. Neque *ipsum* transponendum est, quippe quod hoc loco *solum*, ut græcum αὐτὸς, audiat. Cf. Arch. Poet. 8, 18: « poetam natura ipsa valere, etc. » G.

5. *Et in navigando, et in conserendo.* Priorem copulam, quæ trium meorum est, et edd. vett. plurium, vulgata ignorat. Sed aut sic erat scribendum, aut contra codd. etiam posterior delenda. Post *conserendo* (ad quod recte Ern. *agro* intelligit), colon minus ponendum erat. G. — *In conserendo.* H. e. ἐν τῷ φυτεύεσθαι τὸν ἀγρόν, ut Xenoph. dicit Memor. Socr. οὔτε γὰρ τῷ καλῶς ἀγρὸν φυτευσαμένῳ δῆλον, ὅστις καρπώσεται. Faber.

6. *Sed, ut ais, pressius.* Hæc referuntur supra ad 9, 28, seq.

7. *Id ipsum saltem.* Sc. nihil posse comprehendi.

8. *Pingue videbatur.* Est: « minus argute subtiliterque cogitatum. » G.

9. *Et sibi ipsum contrarium. Ipsum*, quod antea ignorabatur, a Davisio primum in texta receptum, præter Erl. omnes mei firmant. G.

10. *Si ipsum comp. posse dicatur.* Gœrenz dat: « Si quidquam comp. p. d. » Quum, inquit, in 5 suis Davisius *quidquam*, pro *ipsum*, quod vulgatur, scriptum reperisset, ita edidit. Nec aliter mei, nisi quod Wr. *quidquid*, ex eodem fonte, refert. Pari quoque modo edd. vett. plerique omnes. Ern. vulgatum reduxit, idque « facilius ac melius » judicat. Quod equidem non video. Notat auctor pugnam in Antipatri dicto, si, nihil comprehendi posse, et tamen quidquam comprehendi posse, statuatur. Si *ipsum* legeris, pugna minus clare apparebit. Non igitur hoc *melius* dici debet. *Facilius* autem si id erit, quod magis cum ipsis verbis, quæ præcedunt, quam cum eorum sensu conveniat; tum, quod glossema judicandum erat, pro vera auctoris

posse dicatur. Illo modo potius putat urgendum fuisse Carneadem : quum sapientis nullum decretum esse possit, nisi comprehensum, perceptum, cognitum ; ut hoc ipsum decretum, quod sapientis esset, « nihil posse percipi », fateretur esse perceptum : proinde quasi sapiens nullum aliud decretum habeat, et sine
decretis vitam agere possit[11]. Sed ut illa habet pro- 110
babilia[12], non percepta, sic hoc ipsum, nihil posse percipi. Nam si in hoc haberet cognitionis notam, eadem uteretur in ceteris. Quam quoniam non habet, utitur probabilibus[13]. Itaque non metuit, ne confundere omnia videatur, et incerta reddere. Non enim,

lectione venditabitur. — Ponitur interdum *ipse*, omisso pron. demonstrativo, hac vi, si locorum sanitas certa sit. Verba sunt Bremi ad Cic. de Fin. II, 28, p. 228, ubi de Divin. II, 58, V, 43; Flor. IV, 10, 4, ibique Duckerum laudat. H.

11. *Proinde quasi.... possit.* Hæc male Ern. a præcedd. colo distinxit. Sunt enim cum cavillatione quadam rejicientis, et responsionis loco ponuntur. Fr. cod. et Erl. « nullum sapiens aliud » : quæ, hoc modo transposita, non plane displicent, quum sic enuntiati vis in *nullum* cadat. Sed ut supra § 109. « Quum sapientis nullum decretum esse possit » : sic hoc quoque loco in *sapiens* enuntiati pondus poni videtur, h. s. « quasi is, qui sapiens est, etc. » *Non* denique ante Camerar. in vulgatis post *vitam* adjectum, nullus meorum agnoscit; et pari errore a scribis additum est, quo Rosa cum Lamb. loco *et*, ejus, quam diximus, *nec* poni suadet. G. — Res est confirmata exemplis pluribus. Ciceronis sunt hæc, leviter Antiochum reprehendentis, quod is diceret nos Academicos hoc unum decretum habere, quum haberent multa alia, sed ea probabilia modo, non etiam percepta. Faber.

12. *Sed ut illa habet probabilia.* Gœrenz dat : « Sed ut ille » quod, rectius, inquit, ex quatuor nostris et Ven. 1494, posuimus. *Ille* enim est Academicorum sapiens, ad quem aperte contexta spectant. Quomodo contra vulgatum *illa* capi recte possit, equidem nondum video. Idem, in tribus ejus optimis repertum, non debebat abjicere Davisius, ut ejus loco *alia* suaderet. Sed non recte ille attendit, quum textus pro se ipse loquatur. Hic enim ejus tenor est : « Sed prout Carneades πιθανὰ sectatur, non κατάληπτα ; ita etiam hoc ex probabili modo statuit : nam si ex certa nota hoc perceptum haberet, nihil posse percipi, idem, tamquam decretum, ad cetera quoque judicanda adhiberet ».

13. *Utitur probabilibus.* Fr. cod. et Ven. 1494, *probabili*, sed plurium numerus verissimus, quum in prægressis *percepta* opponantur. G.

quemadmodum, si quæsitum ex eo sit, stellarum numerus par, an impar[14] sit: item[15], si de officio, multisque aliis de rebus, in quibus versatus exercitatusque sit[16], nescire se dicat. In incertis enim nihil est probabile[17]; in quibus autem est[18], in his non deerit sapienti, nec quid faciat, nec quid respondeat[19].

111 Ne illam quidem prætermisisti, Luculle, reprehensionem Antiochi (nec mirum; in primis enim est nobilis), qua solebat dicere Antiochus[20] Philonem[21] maxime perturbatum. Quum enim sumeretur unum, esse quædam falsa visa; alterum, nihil ea differre a veris: non attendere, superius illud ea re a se esse concessum[22], quod videretur esse quædam in visis

14. *Par, an impar.* Æque vitiose paucis post tres mei, et eadem Ven. « an par, an impar », cf. supra 10, 32, unde hæc ipsa repetita sunt. G.

15. *Item.* Editi vett. cum Crat. plures *itidem;* sed scriptis non addicentibus. Rarior est structura « quemadmodum... item »; inde fortasse in editione vet. *item* omissum est. Vulgata verissima est, nostrisque codd. omnibus firmata. G.

16. *In quibus versatus exercitatusque sit.* Turbant in his scripti: plerique omnes *versatur;* in aliis, binisque nostris et Ven. 1494, *sit* abest; atque ψ. *que sit* ignorat. Unde putari liceat, olim *versatur* solum lectum esse et deinde *exercitatus*, et reliqua, ex glossa addita esse (nam « versatur exercitaturque » aures respuunt). Sed vulgatam veram judico, quum hæc perfecta rei sint opposita, in qua nemo versatus exercitatusque esse possit. Plene eam tuentur Gud. et fr. cod. G.

17. *Nihil est probabile.* Gœrenz delet *est.* Quia, *inquit*, hoc Gud. fr. cod. Dresd. nesciunt, et Ven. 1494, ejus loco *esse* præbet; auctorque verbum subst. in brevibus enuntiatis, iisque adseverantibus, Platonis exemplo omissum amat, jure delendum esse judicavimus; idque magis, quum statim recurrat.

18. *In quibus autem est.* Int. in quibus autem probabilitas offertur.

19. *Non deerit sap... respondeat.* Cf. Cic. de Nat. Deor. I, 5. In fine, de Off. II, 2; Quint. Inst. Or. XII, 1.

20. *Antiochus.* Ne quis hoc inductum malit, quum statim adfuerit, auctoris mos tenendus est, quo ille vocem, quæ sententiæ vim continet, post parenth. repetere solet. Tusc. V, 5, 14. Mire igitur fecit Hülsem. hoc nomine omisso, cujus certe loco *qua hic solebat*, vel tale quid, scribi debebat, ne locus laboraret. G.

21. *Philonem.* De Philone, quæ huc pertinent, vide supra 6, 18. G.

22. *Superius illud ea re a se esse concessum, quod.* Male sollicitant Grut. et Davis. *ea re*, quod mei omnes servant. Cf. Off. III, 13, 1; Tusc. IV, 38, 83. Nihil autem mirum, si in

differentia; eam tolli altero, quo neget visa a falsis vera differre; nihil tam repugnare. Id ita esset, si nos verum omnino tolleremus. Non facimus; nam tam vera, quam falsa cernimus. Sed probandi species est; percipiendi signum nullum habemus[23].

XXXV. Ac mihi videor nimis etiam nunc agere je- 112
june[1]. Quum sit enim campus, in quo possit exsultare[2] oratio: cur eam in tantas angustias, et in stoicorum dumeta[3] compellimus? Si enim mihi cum

selectiore latinitate scribæ torpent. Sed voces *a se*, quæ a 5 Davisii scriptis, et tribus meis absunt, non nihil suspicionis movent: quamquam iis h. l. ægre carebis. Erl. *a se sese* peccat. Fortasse inde *a sese*, deleto *esse*, quod ad hæc participia toties auctori omittitur, quodque intrusum has turbas excitasse putari possit, si duplicem lectionem *se* et *sese* in texta collatam, ut sæpe sit, statuas. G. — *Non attendere*, etc. Int. non attendere se ideo concessisse alia visa esse falsa, quia observare potuerat aliquid esse quo vera a falsis discernerentur.

23. *Sed probandi species est; percipiendi nullum signum habemus.* Fortasse τὸ *est*, quod fr. cod. non habet, a scribis additum, et sic corrigendum: « sed probandi species, percipiendi signum nullum, habemus »; ut sit *species* plurium numero positum. Duo autem maxime scribas ad *est* inserendum movere poterant. Unum, quod in *species* simplicem numerum quærebant; alterum, quum vim verbi *habere* non caperent. Adde, si *est* auctor posuisset, haud dubie sic scriberet: « species est, quam habemus, percipiendi signum nullum ». Ipsum etiam *est* vide, quam dicatur: certe, *nobis* non additum, miraberis. Tum hæc quoque reputes, « percipiendi signum esse κριτήριον »; quale sibi esse illi ab Arcesila negabant: sequebantur *probabilia*, ubicumque offerrentur, sine nota communi. Rectius igitur *species* plurium numero. Sed contra rem pæne dirimit, quod nusquam sic Cic. *species* plurium numero. G. — Vertit *Castillon*: « Loin de là, nous distinguons le vrai comme le faux; mais nous avons l'apparence de la probabilité : nous n'avons aucun signe de la certitude ».

XXXV. 1. *Jejune.* Sicco et non delectante sermone. Amabat Cic. florentem et exsultantem orationem, quæ non cadebat in Stoicorum (quasi antischolasticorum) aculeata præcepta. H.

2. *Possit exsultare.* Gœrenz dat *exsultare possit.* Sic, inquit, ex Gud. fr. cod. Erl. et Dr. quod est vulgatæ positu melius, quum verbo « exsultare, in angustias compellere » opponatur, atque inde sonus in illud requiratur.

3. *Cur eam in tantas angustias, et in St. dumeta.* Gœr. dat: « C. e. tantas in ang. et St. d. » Duo, inquit, novavimus. Nam primum vulgatæ loco, quæ *in tantas* refert, ex Gud. fr. cod. et Dr. cum Ascens. Camerar. aliis vett. edd. Davisio etiam tacite sic edente, *tantas in* scripsimus. Deinde, nostris, præter Gud. jubentibus omnibus, alteram *in*, quæ ante *Stoicorum* editur,

peripatetico res esset, qui id percipi posse[4] diceret, « quod impressum esset e vero[5] »; neque adhiberet illam magnam accessionem, « quo modo imprimi non posset a falso » : cum simplici homine simpliciter agerem, nec magnopere contenderem; atque etiam, si, quum ego nihil dicerem posse comprehendi, diceret ille, sapientem interdum opinari : non repugnarem; præsertim ne Carneade quidem huic loco valde re-
113 pugnante : nunc quid facere possum? Quæro enim, quid sit, quod comprehendi possit. Respondet mihi non Aristoteles, aut Theophrastus, ne Xenocrates quidem, aut Polemo; sed mihi minor est[6] : « tale ve-

delevimus. At alias tu præpositionum repetitionem apud auctorem, ut ex certa norma, urges! Hoc quum facimus fecimusque, bene etiam meminimus, legibus, vel strictissime jubentibus, suas tamen quasdas esse cautiones. Sic præposs. repeti omittuntur, si *et* explicativa ponitur : qualis ratio h. l. reperitur. Causa in promptu est; ita quidem, ut mirum foret, si secus esset. Cf. Orat. 21, 69. — *Dumeta* præcedenti voci *campo* (aperto) respondere, hisque Stoicorum subtiles, omnique dicendi nitore nudatas disputationes intelligi, vix est, ut moneamus. Cf. Nat. Deor. I, 36, 114. G.

4. *Qui id percipi posse diceret.* Gud. Dr. *id* ignorant, *et quia perc.* fr. cod. cum Ven. 1494, *quid perc.* Erl. *quid id.* Wr. simpliciter *id* non novit; quod probo. Sed quum omnis turba e *quid*, in quod *qui id* pæne ubique a scribis conflatum reperitur, orta esse possit, nihil mutamus. G.

5. *Quod impressum esset e vero . . . quo modo imprimi non posset a falso.* Hervag. et Lamb. *a vero;* quod et Rath. ob seq. *a falso* probat, et tacite edidit Hülsem. Nos dupliciter vulgatum retinemus. Primum enim haud raro auctor sic præpositiones mutat. Cf. Legg. I, 5, 17; Fin. IV, 5, 13; Off. I, 30, 13; Catil. II, 7, 14. Deinde consulto auctor sic mutate h. l. scripsisse videtur. Recte enim *e vero*, quum *verum* vere sit : at *e falso*, quum hoc nihil sit, ut ipse supra sæpius dicit, scribi bene sic non poterat. G.—Quæ posterior a Gœr. allata ratio nobis paullo subtilior videtur. — In definitione Zenonis erat ἀπὸ ὑπάρχοντος. Id Cic. vertit supra, « ex eo quod esset ». H.

6. *Sed mihi minor est.* Gœrenz dat : « sed qui minor etiam ». Sequutus sum, inquit, fr. cod. « sed qui minor et jam tale, etc. » qui proxime ad verum accedere videtur. *Qui* referunt etiam duo potiores Davisii. Vulgo scribitur, « sed mihi minor est », quod nihil plane est. Olim ab Aldo vulgata, « sed nihil minor est », quam Hülsem. reduxit, auctoris menti plane adversatur, qui nusquam Zenonem illis superioribus philosophis parem habet, sed ubique postponit. Vulgatæ *mihi* ortus ab sequente syllaba *mi* repetendus videtur, cui si linea superadditur, *mihi* ex compendio pictum habes. *Etiam* au-

rum, quale falsum esse non possit ». Nihil ejusmodi invenio. Itaque incognito nimirum[7] assentiar, id est, opinabor. Hoc mihi et peripatetici, et vetus academia concedit[8]: vos negatis, Antiochus in primis : qui me valde movet, vel quod amavi hominem, sicut ille me; vel quod ita judico, politissimum et acutissimum omnium nostræ memoriæ philosophorum[9]. A quo primum quæro; quo tandem modo sit ejus academiæ,

tem in enuntiati fine pro *adeo* posita, non potuit non, quin scribas offenderet : scripserunt igitur *est*, cum quo toties ex nota confunditur. Denique haud recte intt. viderunt, qui *minor* h. l. non de ætate dictum volebant : si enim sequentia recte contulissent, quibus hæc latius disseruntur, facile vidissent, Antiochum tangi, qui quum veteri Academiæ adscribi vellet, hæc mera Zenonis præcepta profiteretur. Sensus est, « Quæro, quid comprehendi possit : ab Aristotele usque ad Polemonem (sic quoque Legg. I, 13, 38, ultimum Academiæ veteris Polemonem ponit), omnes aliter respondent; qui his adeo ætate minor est, is sic respondet, etc. » — *Castillon* vertit : « et ce n'est pas d'Aristote.... mais d'un philosophe plus jeune encore, que vient cette réponse.

7. *Itaque incognito nimirum.* Omnes etiam mei codd. « in cognitione mirum ». Sed verissime correxit Lamb. Cf. infra 36, 114, 43, 133, et alibi sæpius; expressitque auctor Græcum ἀγνώςῳ συγκατατίθεσθαι. *Nimirum* optime ex ironia ponitur : hoc totius sensu, « Equidem accuratius considerans, tale quidquam non reperio. Si igitur assentiendum est, assentiar scilicet ei, cujus nullam cognitionem (κατάληψιν) habeo, quod, nihil aliud est, quam, opinabor ». G.

8. *Et Peripatetici, et vetus Academia concedit.* Id est, « non solum Peripatetici, sed etiam omnes veteres Academici concedunt ». Similiter Legg. I, 21, 55, « valde a Xenocrate et Aristotele, et ab illa Platonis familia discreparet ». Quum igitur nomen potius, et universale, *Academia* sit, suo more auctor verbum numero simplici addidit. Cf. quæ sup. ad 1, 3, notavimus. Addimus, Academiam veterem duplici sensu accipi, altero communi, quo Peripatetici simul intelliguntur; altero, quo ii seorsim, qui a Speusippo inde Platonis philosophiæ pressius adhæsere. G.

9. *Vel quod ita judico, politissimum.... philosophorum.* Dixeris in his *ita* pro *deinde* positum esse (quam vulgo VV. DD. a græco εἶτα derivant). Affertur Cluent. 60 : « Aliquot dies ægrotasse, atque ita esse mortuum ». Ex comicis præterea loca quædam comparantur, quæ aliquo modo huic significationi favere videantur. Sed huic particulæ potestati equidem haud parum diffido. Scripti in *ita* consentiunt, alias facile *item* conjeceris. Liceat tamen *ita* pro, « hoc in eum animo quum sim », dictam putare : nota enim multiplex illa eam elliptice ponendi ratio est. Sic nihil erit, cur cum Davisio *illum* malis. Gud. Ven. 1494, Asc. *omnium* post *philos.* transponunt. G.

cujus esse se profiteatur[10]? Ut omittam alia, hæc duo, de quibus agitur, quis umquam dixit, aut veteris academiæ, aut peripateticorum? vel id solum percipi posse, quod esset verum tale, quale falsum esse non posset; vel sapientem nihil opinari? Certe nemo. Horum neutrum ante Zenonem magnopere defensum est. Ego tamen utrumque verum puto: nec dico temporis causa[11]; sed ita plane probo[12].

114 XXXVI. Illud ferre non possum. Tu[1], quum me incognito assentiri vetes, idque turpissimum esse dicas, et plenissimum temeritatis; tantum tibi arroges, ut exponas disciplinam sapientiæ, naturam rerum omnium evolvas, mores fingas, fines bonorum malorumque constituas, officia describas, quam vitam

10. *A quo... tandem modo sit ejus Academiæ, cujus esse se profiteatur?* *A quo* est, *sed ab hoc*, et *profiteatur* ex Græci optativi loco positum. Sententiæ vis hæc est : « Sed primum ex eo scire velim, qua demum ratione ad veterem Academiam referri possit, cujus sectatorem se venditat? » G. — Ideo auctoris sensum non vidisse *Castillon* putamus, qui vertit : « Je lui demande d'abord quelle est cette académie qu'il prétend suivre ». Nempe Antiochus Ciceroni negat quod vetus Academia concedit. Ideoque Cicero dicit Antiochum eam veterem non sequi Academiam, quam profitetur.

11. *Nec dico temporis causa.* Bene vertit *Castillon :* « et ce n'est point un langage de circonstance ».

12. *Sed ita plane probo. Ita* est, « hoc modo, quo utrumque præcipitur ». Sic in Epp. ad Q. Fr. I, 1 : « Sine imperio populi romani suis institutis per se ipsi ita fuerunt, etc. » Nihil igitur Davis. dicit *ista* suadens. G.

XXXVI. 1. *Tu... perficies, ut... nusquam labar?* His quasi compagem et commissuras hujus loci vides. Sed post *Tu* virgula, vulgo addita, jure abjicienda erat : quum constructio sit, *Quum tu me*, etc. et *Tu* modo ob soni gravitatem præmittatur. In verbis, « tantum tibi arroges », non vidit Davis. vim eorum in *tantum* præmisso quærendam; alias haud, *tamen* suadendo, locum elumbem fecisset. Deinde ad « mores fingas, tuo arbitratu », cogites, quod in ipso verbo *fingere* latet. Quod autem sequitur, « quam vitam ingrediar », non audiendus Durandus, *viam* suadens : sermo enim est de « vitæ genere eligendo », ingenii, corporisque viribus prudenter aptato. Tum *idemque etiam* cum Davisio male in *atque etiam* mutaveris, licet duo quoque nostri sic referant. Scribæ enim non videbant, hæc, « atque tu simul etiam », notare. Cf. Att. lib. III, epist. 12. *Perficies* denique futurum objurgantis ex græco, maxime Platonis, more, auctori valde frequens est. G.

ingrediar, definias; idemque etiam disputandi et intelligendi judicium dicas te et artificium traditurum: perficies, ut ego ista innumerabilia complectens, nusquam labar? nihil opiner? Quæ tandem ea est disciplina, ad quam me deducas, si ab hac[2] abstraxeris? Vereor, ne subarroganter facias, si dixeris tuam. Atqui[3] ita dicas, necesse est. Neque vero tu solus, sed me[4] ad suam quisque rapiet. Age, restitero[5] peri- 115
pateticis, qui sibi cum oratoribus cognationem esse, qui claros viros a se instructos dicant rempublicam sæpe rexisse; sustinuero Epicureos, tot meos familiares[6], tam bonos, tam inter se amantes viros: Diodoto[7] quid faciam stoico, quem a puero audivi? qui mecum vivit tot annos? qui habitat apud me? quem et admiror, et diligo? qui ista Antiochea contemnit[8]?

2. *Ab hac abstraxeris. Ab hac* sc. *quam amplector*. G.

3. *Atqui*. Sic tres nostri: ut nihil dicat P. Faber., prius vulgatum *atque* revocans. G. — Observat enim P. Faber: particulæ *atque* vim docuerunt veteres esse multiplicem. Donatus in Andriam Terentii ad illud: « atque ipsis commentum placet », ait *atque* valere *tamen*. Cur nos hic veterem grammaticum tam doctum non sequamur, et nihil mutemus?

4. *Sed me ad suam q. rapiet.* Gœr. delet *me*. In quo, inquit, paruimus fr. cod. Dr. Wr. et Ven. 1494, id ignorantibus. Facile abesse potest, et melius, pro auctoris more, sententia loci velut in commune accipitur. Incommoda denique sede foret; quum rectius post *tu* poneretur.

5. *Age, resistero... sustinuero... Diodoto quid faciam.* Hæc in vulgatis pluribus modis perverse interpunguntur. Veram apodosin inde intt. non vidisse videntur, quod *Diodoto* ob soni vim præmissum est. Quod si affectum loco exemeris, ita hæc sonabunt: « Si restitero... si sustinuero.... tamen nesçio quid Diodoto faciam ». G.

6. *Tot meos familiares.* Ex Epicureis, Ciceroni familiaribus, recte laudat Wetzel *Zenonem* et *Phædrum*: adde *Patronem*, *Xenonem* (Att. V, ep. 11), et alios minorum gentium plures. G.

7. *Diodoto.* De *Diodoto* philos. cujus loco etiam nostri *Diodoro* (ut ubique), peccant, cf. Brut. 90, 309. Dudum hic homo ante mortuus erat, quam hæc scripta sunt, nempe an. U. 694, ante mensem quintilem, ut clare patet ex Att. II, ep. 20. G. — Habuisse Ciceronem secum Stoicum philosophum constat, qui et cæcus fuerit, et mortuus domi illius, et qui reliquerit ipsi ad centies (sc. sestertium). Camer.

8. *Qui ista Antiochea contemnit?* Quatenus nempe Antiochus seorsim a Stoicis sentiebat: quæ ipsa vide infra 43, 133-137. In *Antiochea* h. l. scri-

Nostra, inquies, sola vera sunt. Certe sola, si vera; plura enim vera discrepantia esse non possunt. Utrum igitur nos impudentes[9], qui labi nolumus; an illi arrogantes, qui sibi persuaserint, scire se solos omnia? Non me quidem, inquit[10], sed sapientem dico scire. Optime[11]: nempe ista scire, quæ sunt in tua disciplina. Hoc primum quale est, a non sapiente explicari sapientiam[12]? Sed discedamus a nobismet ipsis[13]: de sapiente loquamur; de quo (ut sæpe jam dixi) omnis hæc quæstio est.

116 In tres igitur partes et a plerisque, et a nobismet ipsis distributa sapientia est. Primum ergo, si placet, quæ de natura rerum sunt quæsita, videamus; vel, ut illud ante[14]. Estne quisquam tanto inflatus er-

pti et vetus impressi consentiunt; modo recentiores quædam edd. *Antiochia*. G.

9. *Nos impudentes... an illi arrogantes*. Lamb. *imprudentes :* atque ita Paris. 4. Perperam : compares enim supra § 114. G.

10. *Inquit*. Secundæ personæ loco, ut sæpius notavimus. G.

11. *Optime* ex ironia positum. Ita Fin. II, 4 12. Ita *melius* Divin. II, 15, 35. *Optimus* denique eodem modo sæpissime. G.

12. *A non sapiente explicari sapientiam*. Ita mei, præter fr. cod. quod, *explicari sapientem;* correctum quidem recentiori manu : sed ita cum Ven. 1494, Asc. Crat. editi vett. complures. Quod non plane abjecerim : apertius enim sic ὀξύμωρον foret. Novimus quidem sic VV. DD. non placere, qui etiam Acadd. I, 2, 7, in, *Academiam explicare*, hærent. At opportune in mentem venit Orat. 20, 68 : « Orator....explicandus est nobis ». G.

13. *A nobismet ipsis*. Infelici conjectura Davis. « a vobismet ipsis » : nam vulgata idem notat, atque, « a non sapientibus ». Inurbane igitur auctor loqueretur; atque ideo ne latine quidem, quum *met* sic prorsus abundaret. G.

14. *Primum ergo.... videamus; vel, ut illud ante*. Distinximus *vel ut*; quod vulgo una voce scribitur : sic ferri hanc constantem scriptorum editorumque vett. omnium lectionem posse putamus. Notanda enim particulæ *vel* in corrigenda sententia potestas est, qua pro *vel potius* ponitur. Philipp. II, 12, 30; Brut. 57, 207; Orat. 53, 177. Si hoc loco voci eamdem vim tribuas, cogitato denuo verbo *videamus*, certe multo melior sensus exsistit, quam vulgatæ, qui est pæne nullus. Ern. cum Davisio facit, qui *verum illud ante* conjecit : quod edidit Hülsem. Sed ista vaga ratione, si vel verum tetigeris, tamen, an verum sit, nescies. In tam facili sane loco salus quærenda non est. Omnes etiam

rore[15], ut sibi se illa scire persuaserit? Non quæro rationes eas, quæ ex conjectura pendent; quæ disputationibus huc et illuc trahuntur, nullam adhibent persuadendi necessitatem[16]. Geometræ[17] provideant, qui se profitentur non persuadere, sed cogere; et qui omnia vobis, quæ describunt, probant[18]. Non quæro ex his illa initia[19] mathematicorum; quibus non concessis, digitum progredi non possunt: punctum esse, quod magnitudinem nullam habeat; extremitatem et quasi libramentum[20], in quo nulla omnino crassitudo sit; lineamentum, longitudinem latitudine carentem[21]. Hæc quum vera esse concessero, si adjiciam

nostri, cum omnibus omnium *a te :* nam *ante* debetur Lambino. G. — *Castillon* intellexit, ut Gœrenz jubet; vertit enim : « Voyons d'abord.... et commençons par dire : Est-il un seul homme? etc. »

15. *Tanto inflatus errore.* Bentl. pro *errore, tumore* ex conjectura commendat : sed hoc rectius illius glossema dixeris. Nam modo *error* et præjudicata opinio hominum mentes inflare valent, quippe ex quibus solis arrogantia et oriatur, et alatur. Ita auctor etiam alibi. Off. I, 26, 91 : « homines inflati opinionibus.... in maximis versantur erroribus ». Et quid aliud dictum illud sibi vult, quod Stob. Serm. XXII, p. 189, Socrati tribuit : τοὺς μὲν κενοὺς ἀσκοὺς τὸ πνεῦμα διΐστησι, τοὺς δὲ ἀνοήτους ἀνθρώπους τὸ οἴημα. G.

16. *Nullam adhibent persuadendi necessitatem.* Int. nihil habent quo oporteat animos hominum necessario persuaderi.

17. *Geometræ provideant.* Int. ipsi geometræ cavere debent ne sua scientia incerta sit. Vertit *Castillon :* « Que les géomètres eux-mêmes soient sur leurs gardes ».

18. *Et qui omnia vobis, quæ describunt, probant.* Dr. *omnia, quæ vobis*, Wr. *omnia quæ nobis.* Alii aliorum *om. nobis, quæ*, prout Lamb. et Davis. dedere. Perperam. *Vobis* est pro « ex vestro judicio, ut vos statuitis ». Nec melius est Guilielmii, « ecqui omnia nobis » : nam male cum *provideant* coit. Vulgata verissima est. G.

19. *Illa initia Math. Illa* sunt, « qualia ab illis dicuntur », ut sæpe. Dicuntur hæc autem *initia* ut Græcis στοιχεῖα. G.

20. *Extremitatem, et quasi libramentum.* Lamb. *et* delet. Non male : nam voluit auctor Græcum ἐπιφάνεια ἐπίπεδος expressum, quod simplici, et propria Mathematicis, voce *planum* dicitur : nempe « planum ad libram quasi examinatum ». Sed *et* explicativa h. l. recte stabit. G.—Gall. *la surface, ou pour ainsi dire le niveau d'un plan.*

21. *Lineamentum, longitudinem latitudine carentem.* Sequuti sumus Davisium in hoc loco mire corrupto. Scripti constanter, « lineamento sine

jusjurandum[22], sapientemne prius, quam Archimedes, eo inspectante[23], rationes omnes descripserit eas, quibus efficitur, multis partibus solem majorem esse, quam terram, juraturum putas? Si fecerit, solem ipsum, quem deum censet esse[24], contempserit.

ulla latitudine carentem » : nisi quod Cantabr. *ulla* omittit. Ern. conjicit « lineamentum, longitudinem sine latitudine », inducto v. *carentem*, ut a glossatore addito : quem Hülsem. imitatur, modo quod *ulla* adjicit. Sed in hac inter *sine ulla*, et *carentem* optione, valde vereor, ne verius damnatum sit : imprimis si illud hujus glossam putaris, a scribis pro lubitu textis aptatam. Tum sane nescio, quid Davisiana ratione melius judicem. Vocem *longitudinem*, quam intt. omnes ex Græcorum Mathematicorum definitione, γραμμὴ, μῆκος ἀπλατὲς, addendam esse recte viderunt, vel ex nota, quam scribæ non capiebant, vel ex mera horum socordia perisse putabis. Lambinus conjicit *linea autem*. Totus hic locus videtur esse transpositus, et ante verbum *extremitatem* reponendus. Nam Mathematici omnes post *punctum*, *lineam* collocant, quippe quæ sit στιγμῆς ῥυσέως, ut Sext. Emp. adv. Math. III, 19, cll. VII, 99, et puncto ex loco suo moto oriatur. Hanc denique sequitur *extremitas*, utpote quæ sit *lineis*, ut vocant, *motis*, i. e. his circumdata et inclusa. Cf. Photii Bibl. p. 173, Hoesch. ἐπεὶ τὸ σημεῖον ἀρχὴν ἔλεγον γραμμῆς, τὴν δὲ ἐπιπέδου, et sic ubique. G.

22. *Si adjiciam jusjurandum, sapientemne... juraturum putas?* Speciose sane conjicit P. Manut. *adigam*; et sic recepere Lamb. Olivet. Oxon. Hülsem. probant P. Faber, et Davis. Cf. ejus formulæ aptiora loca, quam, quæ laudantur : Cæsar I B. C. 76. Recte tamen vidit Davis. in hac dictione accus. personæ abesse non posse. Sed facilis etiam tum medela foret, si *sapientem*, *eumne*, etc. legeris. At locus castus est et probus. VV. enim DD. se ipsi impediverunt quum verba præcedd. ad sapientem traherent, praveque distinguerent. Proprie sic scribi debebat : « Si, quum hæc vera esse concessero, jusjurandum adjiciam, sapientemne... juraturum putas? » Nec fut. in *adjiciam* quæras, sed subjunct. optativi græci loco positum. G.

23. *Prius, quam Archimedes, eo inspectante.* P. Fab. *postquam* corrigi jubet; quod plerique post hunc intt. probant, ne Ernestio quidem, qui ad reliqua loci tacet, excepto. Idque haud dubie idcirco hi faciunt, quum sequatur, « Quod si geometricis rationibus non est crediturus ». At sic vim verbi consulto delecti, *crediturus*, non videbant. Nullo enim modo (nisi verborum probe dignoscendorum notiones miscebis), hoc, pro *assensurus*, συγκαταθησόμενος, accipi potest; quo modo ii accipere debent, quibus *postquam* placet. Simpliciter, « fidem habebit », i. e. *probabit*, πιθανὸν εἶναι ἡγήσεται, valet. Sensus ergo est : « Sapiens haud prius fidem habebit huic Mathematicorum præcepto, solem multo terra majorem esse, quam id Archimedes ipsi ad oculos demonstrarit ». Itaque *priusquam* recte se habet : nam sapiens tum *de credulitate*, ut jurisconsulti vocant, jurabit. G.

24. *Quem deum censet esse.* Mire Rosa cum Lamb. *censent* suadet : ne-

Quod si geometricis rationibus non est crediturus, 117
quæ vim afferunt in docendo [25], vos ipsi ut dicitis, næ ille longe aberit, ut argumentis credat philosophorum; aut, si est crediturus, quorum potissimum? Omnia physicorum licet explicare; sed longum est. Quæro tamen, quem sequatur. Finge aliquem nunc fieri sapientem, nondum esse; quam potissimum sententiam eliget et disciplinam [26]? Etsi quamcumque eliget, insipiens eliget [27]. Sed sit ingenio divino, quem unum e physicis potissimum probabit? Nec plus uno poterit. Non persequor quæstiones infinitas: tantum de principiis rerum, e quibus omnia constant, videamus quem probet. Est enim inter magnos homines summa dissensio.

XXXVII. Princeps Thales [1], unus e septem, cui sex 118

que consideratius egit Davis. late probans, « solem cunctis fere gentibus deum esse habitum ». Ideo potius *sapientem* auctor dicit, « solem deum esse, censere », quod philosophi, ut Academici, Peripatetici, Stoici, stellas in deorum numero ponebant. Cf. § 119. G. — Int. sapiens contemnere videtur solem, quia Deum, ens per se infinitum, finiri et metiri voluerit; seu non hominis est tam exigui, atque humilis, divini corporis mensuram arbitrari se obtinuisse.

25. *Quæ vim afferunt in docendo*. Quæ vos cogunt ut fateamini, ea vera esse. Vertit *Castillon :* « qui exercent sur l'entendement une espèce de violence ».

26. *Sententiam el. et disc.* Lamb. *aut* Hülsemanno sectatore: male quum *sententia*, ut solet, collective de systemate philosophi dicatur, et addita voce *disciplina* explicetur. G.

27. *E. quamcumque eliget, insipiens eliget.* Male præcipiunt, quicumque priore loco cum Davis. et Ern. *elegerit* suadent : nam sensus est, « quamcumque sap. eliget, tum, quum eliget, insipiens erit »; voce *insipiens* odiosius pro *non sapiens* posita. Alius sensus, nec loco consentaneus, erit, si *elegerit* correxeris. Sed vitiosius etiam fuerit, si, paullo post, cum iisdem *probarit* malis. Quod autem quidem scribæ *probabitis* peccant, id mirum esse non debet, quum VV. DD. toties hoc in libro obliti sint, de sapiente agi. Ex eodem fonte § 116, duo mei *adjiciamus*, et *contempseritis* peccant. G. — Vertit *Castillon :* « A quelque doctrine qu'il s'arrête, il aura fait ce choix avant d'être sage ».

XXXVII. 1. *Princeps Thales*. Hülsemannus totum hunc locum, qui philosophorum vett. de principiis rerum sententias continet, velut interpolatum, ad uncos damnat, sine ulla justa causa. G. — Cf. Arist. Metaph. l. I, 3, et Simplic. in phys. Arist. l. I; Euseb. pr. ev. l. I, 8; Senec. N. Q.

reliquos concessisse primas[2] ferunt, ex aqua dixit constare omnia. At hoc Anaximandro, populari et sodali suo, non persuasit. Is enim infinitatem naturæ[3] dixit esse, e qua omnia gignerentur. Post ejus auditor Anaximenes, infinitum aera[4]; sed ea, quæ ex eo orirentur, definita; gigni autem terram, aquam, ignem, tum ex his omnia. Anaxagoras[5], materiam infinitam; sed ex ea particulas, similes inter se, minutas; eas primum confusas, postea in ordinem adductas a mente divina. Xenophanes[6] paullo etiam antiquior,

III, 13; Sext. Empir. P. H. III, 30; Meiners *Gesch. d. Wiss. Th. I*, p. 304. Rem præclare excussit Tiedemann. *Geist d. speck. Philos. Th. I*, p. 35, ubi retractavit ea, quæ in libro: *Ælteste Philoss. Griechenl.* p. 128, docte olim exposuerat. Hic imprimis consulendus. H.

2. *Concessisse primas.* Alii *consensisse primos.*

3. *Infinitatem naturæ.* Vertit presse auctor τὸ ἄπειρον; ut Fin. I, 6, 21, ἀπειρίαν, *infinitionem.* Videtur autem Anaximander in hoc ἀπείρῳ, tale quid ponere voluisse, quo attenuato, subtiliora, quoque condensato, crassiora elementa nascerentur. Inde hic illud inter quatuor illa ςοιχεῖα medium quasi collocasse, sed ἑτέραν τινὰ φύσιν (voce φύσις non κατ' ἀκρίβειαν sumpta), tribuisse, videtur. Cf. Simpl. ad Physic. Arist. p. 6. Neque sic τὸ ἄπειρον, per se si spectes, mutabatur; sed partes ejus modo laxius, modo pressius, cohærebant. Ita sane necesse non erit diversimodam materiam in hoc ἀπείρῳ accipere, ut Tennemannus fecit. In his enim tribus philosophiæ tamquam Choragogis, Thalete, Anaximandro, Anaximene, manifeste se nisus ille ad τὴν πρώτου ςοιχείου ἀπλότητα prodit. Cf. Arist. Ausc. phys. III, c. 4; de Cælo, III, l. 5; Jo. Stob. t. I, p. 292. G.—Illustratam hanc sententiam dedit Tiedemann. *Geist. d. speck. Philos. Th. I*, p. 50 seqq.

4. *Anaximenes, infinitum aera.* Vid. Tiedem. l. c. p. 64, seqq. Origenis philos. c. 7, ed. Wolf. Jo. Stobæ. ecl. phys. ed. Heer. t. I, p. 296; vid. Euseb. præp. ev. I, 8, XIV, 14; Plut. de placit. I, 3; Nemes. de nat. p. 130. H.

5. *Anaxagoras.* De hoc vide Jo. Stobæ. l. c. p. 296. Hissmann. *Magaz. f. Philos.* v. V, p. 237, seqq. et Fülleb. *Beitr. z. Gesch.* X (diss. Carus.); Kinderv. ad Cic. de Nat. Deor. p. 176, 190, 195, 293; Simplic. in Aristot. phys. fol. 6; Justin. Mart. Cohort. ad Græc. c. 3, p. 50; Sext. Emp. P. H. III, 4; Epiphan. t. I, p. 1086; Irenæ. l. III, 19; Plut. placit. I, 7; Euseb. præp. ev. XIV, 14, 16; Meiners hist. doctrin. de vero deo, part. II, sect. 1, p. 220, alios. H.

6. *Xenophanes... unum esse omnia.* Cf. supra laudatos auctores. Cf. Euseb. præp. ev. l. I, 8, p. m. 23. Cf. Theodoret. Therap. IV, p. 57: Ξενοφ. ἓν εἶναι τὸ πᾶν ἔφησε, σφαιροειδὲς, καὶ πεπερασμένον, οὐ γεννητὸν, ἀλλ' ἀΐδιον, καὶ πάμπαν ἀκίνητον. Plura fragmenta collegit Henr. Steph. poes. philos.

unum esse omnia, neque id esse mutabile, et id esse deum, neque natum umquam [7], et sempiternum, conglobata figura. Parmenides [8], ignem, qui moveat terram, quæ ab eo formetur. Leucippus [9], plenum et inane. Democritus [10] huic in hoc similis, uberior in ceteris. Empedocles [11], hæc pervulgata et nota quatuor; Heraclitus [12], ignem; Melissus [13], hoc, quod esset infinitum, et immutabile, et fuisse semper, et

p. 62, seqq. et Fülleborn. *Beitr. z. Gesch. der Philos. St. VII*, 6-15; Sext. Emp. P. H. I, 33, s. 225, p. 59, Fabr.—Cf. Tiedem. *Geist. d. speck. Philos. t. I*, p. 143-152, ubi res ipsæ critico judicio illustrantur. Stobæus h. l. non in censum venit, temere et obiter de Xenophane exponens. H.

7. *Neque natum umquam, et sempiternum.* Omnes nostri *umquam*, ut recte Davis. ex pluribus ejus, pro vulgato *usquam* commendavit, et Ern. recepit. Quod autem in multis codd. *quidquam* additur, id aliquo modo ferri possit, si ante *neque* colo interpunxeris, et ex *neque quidquam*, ad *et sempiternum*, *omne* intellexeris. Sed quum duo ex meis quoque *quidquam* ignorent: recte hoc in glossa habitum videtur. *Et* disjunctive positam esse, per se patet. Ceterum transpositio, quam h. l. Davisius suadet, « et id esse deum, et sempiternum, conglobata figura, neque natum umquam quidquam », speciosior, quam probabilior videtur: nam sic *et semp.* haud belle ad præcedd. quadrabit. G.

8. *Parmenides, ignem.* Cujus fragmenta nuper post Henr. Steph. auxit, et emendavit Fülleborn, l. c. VI, 35, 102; cf. Diog. Laert. IX, s. 21; Theodoret. Therap. IV, p. 57; Simplic. in Arist. phys. l. I, fol. 7; Chalcid. in Timæ. § 279; Hermiæ irrisio gentil. philoss. c. 6, ed. Dommer. Tiedem. *Geist. d. sp. Ph. I*, p. 166, 181, seqq. Arist. Met. l. I, 5; Plut. adv. Colot. t. II, p. 1114; Cic. de Nat. Deor. I, 11, ibi Kinderv. p. 176, 190; Epiph. t. I, p. 1087. H.

9. *Leucippus, plenum, et inane.* Cf. Meiners *Gesch. d. Wiss. in Griechenl.* t. I, p. 603, seqq. 693; Tiedemann. *Geist.* etc. p. 226, seqq. 229; Arist. de generat. et corr. I, init. et c. 8; Physs. IV, 6, de Cælo I, 7; Jo. Stobæ. ecl. phys. ed. Heer. I, p. 310, τὸ κενὸν ἄπειρον τῷ μεγέθει. Theodoret. l. c. H.

10. *Democritus.* Conf. Sext. Emp. adv. math. VII, s. 135, p. m. 399. Ceterum v. auctores ante laudatos; et ad l. I, 2, § 6, ed. Fabric.

11. *Empedocles.* Qui ignem, aquam, aerem, terram, pro principiis rerum habuit. Vid. Justin. Martyr. cohort. ad gent. c. 3, seq. Clem. Alex. Protrep. p. 55, ed. Sylb. Ejus fragm. collegit Henr. Steph. poes. philos. vid. Tiedem. *Geist.* etc. *Th. I*, 242, seqq. H.

12. *Heraclitus, ignem.* Vide quæ jam diximus de Parmenide; et præterea Sext. Emp. adv. math. VII, s. 126, p. 397. H.

13. *Melissus.* Vid. Laert. l. IX, 24, ibi intpp. Chalcid. § 279; Aristot. de Cælo l. III, 1; Simplic. in Aristot. phys. fol. 9. In alia abit Epiphan. t. I, p. 1087. H.

fore[14]. Plato[15] ex materia in se omnia[16] recipiente mundum esse factum[17] censet a deo sempiternum. Pythagorei, ex numeris, et[18] mathematicorum initiis proficisci volunt omnia. Ex his eliget vester sapiens unum aliquem, credo, quem sequatur; ceteri tot viri, et tanti, repudiati ab eo, condemnatique discedent[19].
119 Quamcumque vero sententiam probaverit, eam sic animo comprehensam habebit, ut ea, quæ sensibus; nec magis approbabit nunc lucere[20], quam, quoniam stoicus est, hunc mundum esse sapientem, habere

14. *Hoc, quod esset infinitum.... semper, et fore.* De lite nondum composita, an Melissus deos, et quales, statuerit, hoc certum videtur : si hic deos acceperit, monogrammos potius eos, ut Epicurus, reliquisse, quam ut ad σύςημα ejus pertinerent. Multo probabilius autem videtur, quod Diog. Laert. IX, 24, de eo refert, περὶ θεῶν μὴ δεῖν ἀποφαίνεσθαι, μὴ γὰρ εἶναι γνῶσιν αὐτῶν, quam quod legitur apud Stob. Ecl. Phys. p. 60. G.

15. *Plato.* Vid. Theophrastus ap. Simplic. phys. l. I, 6, 13; Alcinoi doctr. Plat. c. 8-10; Epiphan. t. I, p. 1088; Plut. de placit. II, 4; Tennemann. *Syst. d. Plat. Ph. Th. II*, p. 320, seqq. *Th. III, S.* 164-191; Tiedem. *Geist. d. speck. Philos. Th. II, S.* 176, seq. H.

16. *In se omnia recipiente.* Cf. Acadd. I, 7, 27, ubi hæc uberius explicatiusque disseruntur. Expressum autem hoc et illo loco τὸ πανδεχὲς Platonis : vide nos l. l. G.

17. *Mundum esse factum.* Gud. fr. cod. et Erl. *m. factum esse.* G.

18. *Ex numeris, et mathematicorum initiis. Et* abest a Gud. atque sunt sane *numeri* quodammodo mathematicorum initia ςοιχεῖα. Sed h. l. auctor aliud voluit. Recte enim laudat Davis. Plut. Placc. Philos. 1, 3, et maxime Photii Bibl. ex Pythagoræ vita Anonymi cod. 249, p. 713. Hoeschel. Vere enim Pythagorei Geometrarum elementa principia rerum omnium esse statuebant. G. — De Pythagoreorum numeris, cf. Meiners *Gesch. d. Wiss. Buch III*, p. 178-510, inprimis, p. 520, 523, infra, seqq. c. epimetro. Tiedem. *Geist der spec. Philos. Th. I. S.* 93, seq. Iamblich. in Arithm. Nicomachi, p. 5, et Theolog. arithmetica. Paris. 1538, 8, min. quæ I. A. Fabric. illustraturus erat, si fata concessissent. Sext. Empir. adv. math. X, s. 260, seq. Aristot. Met. I, 5; XII, 4; XIV, 3. H.

19. *Discedent.* Tres mei cum Ven. 1494. Crat. aliis, *discedant.* Perperam. Sed duo futura quum ponuntur, alterutrum plerumque a scribis obliterari solet. Hoc loco etiam præcedens *sequatur* decipiebat. Futura autem, græco more, ut objectioni, ita etiam ironiæ favent. G.

20. *Nunc lucere, quam, quoniam.* Sensus est : « Sapienti vestro æque certum erit, mundum esse sapientem, etc. atque hoc, quod nunc quidem lucet », Gr. φῶς ἐςι, i. e. dies est. Pergit nempe auctor in ironia, quam ante illud ironicum *credo* inchoaverat. G.

mentem, quæ et se, et ipsum fabricata sit, et omnia moderetur, moveat, regat. Erit ei[21] persuasum etiam, solem, lunam, stellas omnes, terram, mare, deos esse, quod quædam animalis intelligentia per omnia ea permeet, et transeat[22]: fore tamen aliquando, ut omnis hic mundus ardore deflagret.

XXXVIII. Sint ista vera (vides enim jam me fateri aliquid esse veri); comprehendi ea tamen et percipi nego. Quum enim tuus iste stoicus sapiens syllabatim[1] tibi ista dixerit; veniet, flumen orationis aureum fundens[2], Aristoteles, qui illum desipere dicat[3]: neque enim ortum esse umquam mundum, quod nulla fuerit, novo consilio inito[4], tam præclari operis in-

21. *Erit ei persuasum etiam. Ei*, quod Lamb. et Davis. in texta recepe-runt, servant nostri quatuor; solus Erl. pron. non habet. Editi vett. quos vidi, omnes ejus loco *enim*: inde fortasse, quod *etiam* ad seqq. referendam putabant. Sed recte cum vi, *adeo* notans, in clausula additur. G.

22. *Permeet et transeat*. Gœrenz dat *permanet*; mei, inquit, omnes cum plerisque aliorum (nisi forte omnibus), *permanet*, quod recepit Hülsem. Scilicet Lamb. P. Faber et Davis. ferri hoc verbum posse, pronuntiarant. Recte. Nam etsi quidem paullo durius dictum videatur, « animalis intelligentia permanat »; tamen auctor similiter sæpius. Ita Fin. IV, 15, 42. Hoc loco autem videtur id verbum consulto delectum esse, ut quasi per « venas naturæ hæc anima intelligens permanare » intelligatur. Additum deinde aliud verbum est, quo tropus mitigaretur. Utroque autem Græcum, Stoicorumque proprium, διήκειν expressum est: quorum plena sententia est, πνεῦμα διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου Plut. Pll. Philoss. 1, 7; cll. Diog. Laert. VI, 147.

XXXVIII. 1. *Syllabatim... dixerit*. Opponuntur his, « flumen orationis aureum fundens ». Debet igitur « syllabatim dicere » anxie verba disciplinæ ipsa reddere, sic ut pæne syllabas numeres. Similiter Græci, ταῖς αὐταῖς συλλαβαῖς λέγειν. Sæpius auctori dicuntur Stoici argumenta sua « brevius adstringere », et « dicere contortius »; quod fere ad idem redit. G.

2. *Fl. o. aureum fundens*. Hanc Aristotelis laudem, a communi recentiorum opinione tam alienam, confirmant Quint. Inst. Or. XI, et Plut. Cic. vit.

3. *Illum desipere dicat*. Stoicum dicit Academicus. Vid. Wyttenbach Logic. p. 74, seq. 93. Et de Aristotelis cosmogonia docte disseruit Tiedem. *Geist d. speck. Ph. Th. II*, p. 288, sqq. ex Arist. libello de generat. et corrupt. l. II, 1-10. H.

4. *Novo consilio inito*. Quum nempe in Deo sint æterna omnia, unde demum hoc novum mundi condendi consilium? G.

ceptio, et ita eum esse [5] undique aptum, ut nulla vis tantos queat motus, mutationemque moliri, nulla senectus diuturnitate temporum exsistere [6], ut hic ornatus umquam dilapsus occidat. Tibi hoc repudiare, illud autem superius, sicut caput [7] et famam tuam, defendere necesse erit : mihi [8], ne ut dubitem quidem, relinquatur?
120 Ut omittam levitatem temere assentientium, quanti libertas ipsa [9] æstimanda est, non mihi necesse esse [10], quod tibi est? Cur deus, omnia nostri causa [11] quum faceret (sic enim vultis),

5. *Et ita eum esse und. apt.* Gœrenz dat « et ita esse eum und. apt. » Nostro, inquit, jure vulgatam verborum seriem, « eum esse undique aptum », sic mutavimus, ut verbum subst. in quo aperte vis inest (*ita* vere *esse*), pronomini præponeremus. Ita Gud. fr. cod. Dresd. impressique vett. quos contulimus, plerique : tacite sic etiam dedit Davis. Sensus est : « et tam accurate mundum in sese cohærere ». Vide nos supra 10, 31.

6. *Nulla senectus diuturnitate temporum exsistere.* Suadet Walk. *efficere*, et Davis. hoc probato, etiam, *diuturnitasve temporum :* quibus ideo accedit Ern. quoniam sic melius, *ut hic ornatus*, jungantur. Sed explicanda hæc sunt, non corrigenda. Sensus est : « ut nullo modo umquam hunc mundum, ne post longissimam quidem temporum seriem » (ut Stoici statuebant), » senectus tangere possit, qua ille, cum hoc egregio ornatu, sensim dissolutus intereat ». Melius igitur vulgata se habet, quam quæ ejus loco substituuntur. Ablat. *diuturnitate temp.* idem notat, quod *propter diuturn.* Cf. Legg. I, 15, 43. G.

7. *Sicut caput et famam tuam.* Scribæ turbant in his, ut non intellectis. *Et* explicantis est : nam *caput* haud ita raro de sola hominis existimatione simpliciter ponitur; ut recte vidit Ern. in Clave v. *caput.* G.

8. *Mihi, ne ut dub. quidem, relinquatur?* Gœrenz dat : « quum mihi, ne ut d. q. r. » Sic, inquit, ex solo fr. cod. dedimus. Atque ita demum ratio subjunctivi *relinquatur* intelligitur. Sine *quum* enim, quam vulgata ignorat, cum Paul. Manutio et Lamb. necessario *relinquetur* scribendum fuisset, ut viderat Guietus. Inter *t* et *m*, *quum* facile excidere potuisse, probe intelliget, qui umquam scriptos codices tractavit.

9. *Libertas ipsa.* Sic scripti mei omnes, quatuor Davisii, unus Ursini : vulgatur *ista.* Notanda enim pronominis *ipse* potestas est, qua pro, « si per se eum spectes », ut Græcum αὐτός, ponitur. Cf. Off. III, 6, 18. G.

10. *Non mihi necesse esse.* Vitiose Hülsem. « non mihi necesse est », pro vulgato *esse* præbet, quod et scripti editique omnes servant, et per se sane verissimum est. G.

11. *Nostri causa.* Gœrenz dat *nostra causa.* Sic, inquit, ex uno Lactantii, qui hunc locum Instt. VII, 4, 11, laudat, et fr. cod. aliisque aliorum dedimus, pro *nostri causa*, ut vulgata cum scriptis vetusque impressis refert.

tantam vim natricum[12] viperarumque fecerit? cur mortifera tam multa[13] [perniciosa] terra marique disperserit? Negatis hæc tam polite, tamque[14] subtiliter effici potuisse sine divina aliqua solertia; cujus quidem vos majestatem[15] deducitis usque ad apium formicarumque perfectionem: ut etiam inter deos Myrmecides[16] aliquis, minutorum opusculorum fabricator, fuisse videatur. Negas sine deo posse[17] quidquam. 121
Ecce tibi e transverso Lampsacenus Strato[18], qui det

Sed offenderat in *nostri* etiam Reiz, voce hac in exemplari suo notata; et nos quidem certi sumus, Ciceronem numquam scripsisse « mei, tui, sui, nostri, vestri causa », sed hanc serioris ætatis esse scripturam, atque inde in codd. hic illic irrepsisse. Nam, ut alia taceam, vel poetæ a Plauto inde illud tenent.

12. *Tantam vim natricum*. Hæc laudat Lactant. div. inst. l. VII, 4, 11. Cf. Euseb. præp. l. VIII, c. 14, ubi providentia divina mundum regi docet, p. 386. H.

13. *Cur mortifera tam multa* [*perniciosa*]. Merito Lambino suspectum hoc fuit. Ego *perniciosa* post mortifera vix adducor ut credam a Cicerone additum: etsi enim *perniciosum* ut *pernicies*, a nece est ductum; *mortifera* vel gravius in usu erat, ut hoc posterius minuendi potius quam augendi vim habere videatur. P. Faber. — Gœrenz dat: « cur tam multa pestifera terram », Lactantium sequutus.

14. *Tam polite, tamque subtiliter*. Pertinent hæc ad mundi quum condendi, tum maxime conservandi sapientiam, in qua docenda Stoici perquam sibi placebant. Cf. Nat. Deor. 36-51. G.

15. *Majestatem*. Ironia in eo est, quod *majestas*, quum modo in rebus maximis cernatur, traducta a Stoicis etiam ad perfectam apium formicarumque naturam dicatur. G.

16. *Myrmecides*. Jocose *Myrmecidem* deum aliquem fingit, cujus hominis, sive Atheniensis, sive Milesii, ars in operibus ex ebore ita pusillis, ut eorum ἀκρίβεια oculorum pæne aciem fugeret, a veteribus passim memoratur. Cf. Plin. Hist. Nat. VII, c. 21; Hadr. Jun. de Pict. Vett. in Catal. addito p. 126. In quo joco non prætervidendum est, quod μύρμηξ Græcis formica dicitur. G.

17. *Negas sine deo posse quidquam*. Hærent hoc loco VV. DD. Davis. *esse* addit; quod Ern. probat et excidisse per sequens *Ecce* suspicatur. Hæc recinit, pro more suo, Hülsem. et tamen in textis, pro *posse*, *esse* scribit; ex incuria puta. Nihil addendum est: nec tam de *exsistentia*, ut vulgo dicunt, rerum per deum sermo est, quam de earum *conservatione*. Jam VV. DD. meminisse debebant, sæpe auctori *posse* dici, ut *fieri posse* notet. Divv. I, ep. 2, ad fin. Tusc. I, 31, 76. Ita sensus est, « Statuis, sine divina providentia necquidquam fieri posse ». G.

18. *Lampsacenus Strato* fuit Arcesilai filius, qui *physicus* cognominatus, quod eo studio sit præter cetera oblectatus; auditor Theophrasti, cu-

isti deo immunitatem magni quidem muneris. Sed quum sacerdotes [19] deorum vacationem habeant, quanto est æquius habere ipsos deos? Negat opera deorum se uti ad fabricandum mundum. Quæcumque sint, docet, omnia esse effecta natura: nec [20], ut ille, qui asperis, et lævibus, et hamatis uncinatisque corporibus concreta hæc esse dicat, interjecto inani. Somnia censet hæc esse Democriti, non docentis, sed optantis [21]. Ipse autem, singulas mundi partes persequens, quidquid aut sit, aut fiat, naturalibus fieri, aut factum esse docet ponderibus [22] et motibus. Sic ille et deum [23] opere magno liberat, et me timore. Quis enim potest (quum existimet a deo [24] se curari)

ratorque testamenti, Ptolemæi Philadelphi magister. Cf. Plut. adv. Colot. p. 1115; Epiphan. t. I, p. 1090: Cudv. syst. intell. c. 3, § 4, seqq. Tiedem. *Syst. der Stoi. Philos. Th. II*, p. 99; Kinderv. ad Cic. de Nat. Deor. I, 209. De Lampsaceno Stratone vid. Lactant. de ira dei, c. 10: « Naturam, ait Straton, habere in se vim gignendi et minuendi, sed eam nec sensum habere ullum, nec figuram, ut intelligamus omnia quasi sua sponte esse generata, nullo artifice, nec auctore ». Augustin. de Civ. Dei, l. 6, 10 (p. m. 604, vol. I, ed. Francof. 1661), 4. H.

19. *Sed quum sacerdotes*. Gœrenz dat, *et quum s.* Quomodo, inquit, *sed* disjunctiva stare possit et sententiarum connexioni conveniat, prorsus non video: hoc potius video *et* necessario esse corrigendum. Hæc autem *et* pro *et sane* posita, toties in comparatione ponitur, ut vix quidquam sæpius. Jam *s* præcedente, et *set* olim scripta, vitii fontem cernis.

20. *Nec, ut ille qui*, etc. I. e. omnia natura ipsa effecta esse censet Strato, non autem ita ut philosophus ille (nempe Democritus) qui dicat, etc.

21. *Non docentis, sed optantis*. Græci τοῦτ' ἔστιν εὐχομένου τινὸς ἀλλ' οὐκ ἀμφισβητοῦντος, Galen. Opp. II, p. 371, c. Quod varie exprimit Cicero. Cf. Fat. 20, 47; Tusc. 13, 30; Nat. Deor. I, 8. Nihil est igitur, si edd. vett. quædam, in quibus est Asc. *opinantis* referunt. G.—De hac locutione vide Victorium var. lect. XX, 6. Non satis mirari possumus F. Guietum, sagacem virum, ridicule conjecisse *potantis*. Durandus conjiciebat *oscitantis*. J. V. L.—Bene vertit *Castillon*: « Straton regarde ces corpuscules comme des rêves de Démocrite, plus docile à son imagination qu'à sa raison».

22. *Ponderibus et motibus*. Vide Diog. Laert. lib. IX, 45.

23. *Sic ille et deum*. Gœrenz dat: *Næ ille et d.* Sic, inquit, ex quatuor nostris, et Crat. dedimus cum Davisio, qui idem ex quinque suis edidit; probante Ern. non imitante. Librarios in *ne*, sic enim ubique scribunt, hæsisse, atque ita sibi pro suo more consuluisse, nihil mirum.

24. *Quum exist. a deo se curari*.

non et dies, et noctes divinum numen horrere? et si quid adversi acciderit, (quod cui non accidit?) extimescere, ne id jure evenerit? Nec Stratoni tamen assentior; nec vero tibi. Modo hoc, modo illud probabilius videtur.

XXXIX. Latent ista omnia, Luculle, crassis occul- 122
tata et circumfusa tenebris [1], ut nulla acies humani ingenii tanta sit, quæ penetrare in cælum, terram intrare possit [2]. Corpora nostra non novimus; qui sint situs partium, quam vim quæque pars habeat, ignoramus. Itaque medici ipsi, quorum intererat ea nosse, aperuerunt, ut viderentur [3]. Nec eo tamen aiunt empirici [4] notiora esse illa; quia possit fieri, ut

Hæc Gœrenz non includit parenthesi, et sic invertit « quum existimet, se curari a deo ». Hoc, inquit, ordine exhibent mei ad unum omnes. Atque ita etiam impressi veteres Ven. 1494. Asc. aliæ; nisi quorum editores hæc ad suas aures metiebantur, ut Crat.

XXXIX. 1. *Crassis.... tenebris.* Sensit quidem Davis. hæc plenum versum heroicum facere; sed elapsum hunc auctori putat, non de industria adscriptum. Nos secus judicamus: etsi negari nequit, tales versus etiam alibi Ciceronem imprudentem admisisse. Talia dudum VV. DD. notarunt, v. c. Arch. I, 1, « in qua me non inficior mediocriter esse versatum ». Adde Orat. III, 5, 20, « multo plus etiam vidisse videntur, quam quantum nostrorum ingeniorum acies, etc. » ubi hexametrum uno modo pede breviorem cum pleno pentametro vides. G.

2. *Ut nulla acies... possit.* Hæc vulgo male, et ratione veram sententiam obliterante, interpunguntur virgula ante *ut*, et maxima post *possit* distinctione posita. Non viderunt intt. *ut* h. l. pro « licet, si vel maxime » dici, hoc sensu: « Si vel maxime ingenium humanum non tanta acie sit, ut cæli terræque naturam perspicere possit: ne corpora quidem nostra novimus, etc. » Cf. de hac particulæ vi Gronov. Obss. III, c. 6. G.

3. *Ut viderentur.* Ita etiam nostri cum edd. vett. longeque melius, quam quod alii malunt, vel, ut Guiet. *viderent*, vel *ea viderent*, ut P. Manut. et Lamb. Sens. est, « ut oculis cognosci possent ». Est autem hæc lectio communis scriptorum vetusque expressorum omnium. G.

4. *Aiunt empirici.* Ita Gud. fr. cod. Dr. et Wr. et recte jam viderunt Turn. Urs. et Lamb. nihil esse h. l. alteram lectionem *empiricis*. Opponuntur enim hi, qui ex solo usu medicinam faciunt, iis, qui ex συστήματος regulis judicant, atque his ipsis, nisi illæ certæ sunt et vere probatæ, facile in errorem inducuntur. Ceterum apte laudant P. Faber et Davis. Galen. περὶ αἱρέσεων tom. I, pag. 12, Basil. Τῶν ἐμπειρικῶν μήθ' εὑρίσκειν τι τὴν ἀνατομὴν συγχωρούντων, μήτ' εἰ εὑρίσκοιτο, ἀναγκαῖον εἰς τὴν τέχνην εἶναι τοῦ-

patefacta et detecta mutentur[5]. Sed ecquid nos eodem modo rerum naturas persecare, aperire, dividere possumus, ut videamus, terra penitusne defixa[6] sit, et quasi radicibus suis hæreat, an media pendeat?
123 Habitari ait Xenophanes in luna[7], eamque esse terram multarum urbium et montium. Portenta videntur; sed tamen neque ille, qui dixit, jurare posset ita se rem habere; neque ego, non ita[8]. Etiam di-

το, κ. τ. λ. In eamdem ipsam sententiam scribit, laudante Davis. Tertull. de anima 10: « Herophilus ille... qui sexcentos exsecuit, ut naturam scrutaretur, qui hominem odiit, ut nosset. Nescio an omnia interna ejus liquido explorarit, ipsa morte mutante, quæ vixerant, et morte non simplici, sed ipsa inter artificia exsectionis errante ». Videtur igitur iste homo viva corpora aperuisse, ut olim Italici medici ad supplicia damnatorum. G.

5. *Ut patefacta et detecta mutentur.* Hüls. *desecta*, quum scripti quidam *dejecta*, in quibus est etiam Gud. et V. Sed ut nescimus, quid vere hæc correctio sibi velit; nam, si eam recte capimus, *exsecta* V. D. voluit, quum de interioribus corporis partibus agatur: ita certissimum est, vulgatam esse a vera Cic. manu. Sæpe enim hic et ista jungit, et alterum altero accuratius definit. *Detecta* h. l. « remotis iis, quæ eorum conspectui officiunt », quod quovis modo, vel *secando*, licet. G.

6. *Terra penitusne defixa sit... an media pendeat?* Hæc sententia et Stoicorum erat, Nat. Deor. II, 39, 98, et ipsius auctoris, Orat. III, 45, 178. Illa fuit Xenophanis, cf. Plut. decrr. Philoss. III, 11. Fr. cod. *terrane*: minus bene; nam sæpius hæc encl. altius reponitur. Cluent. 34, 94. G.

7. *Habitari... in luna.* Recte laudant VV. DD. Lactant. Divv. Instt. III, 23, 12: « Xenophanes dixit, intra concavum lunæ sinum esse aliam terram, et ibi aliud genus hominum simili modo vivere, quo nos in hac terra vivimus ». Quam sententiam suo more ridet bonus Lact. At plane ab hac, ut videtur, contrariam de eodem Xenophane sententiam refert Auctor de decrett. philoss. II, 24, Ξενοφάνης νέφος (σελήνην) εἶναι πεπιλημένον. Hanc diversitatem quum Corsin. videret, aliud ibidem philosophi nomen substituendum censuit. At idem auctor de eodem Xen. similem etiam de *sole* sententiam affert ibid. c. 20, Ξενοφ. (ἥλιον) νέφος πεπυρωμένον. Quid igitur statuemus? Hoc scilicet, posse ista aliquo modo conciliari, si Xenophanes *lunam* nube densa et constipata cinctam dixit; ut Pseudo-Plut. ille de hac modo mentionem injecerit. Cum hac certe suspicione convenire Lactantii verba, « intra concavum lunæ sinum », videntur. Ita certe quæ pugna inter Meiners. *Gesch. d. Phil.* I, p. 618, socio Buhle Lehrbuch der Gesch. d. Philos. I, p. 292, et Tiedemannum *Geist der specul. Phil.* I, 159, intercedit, facile conciliabitur. G.

8. *Neque ego, non ita. Etiam dicitis.* Gœrenz dat: « Neque ego, n. ita. Dicitis etiam ». Turbant, inquit, scribæ, ut in non intellectis. Haud enim videbant ad verba, *non ita*, ex proxime

citis, esse e regione nobis, e contraria parte[9] terræ, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos antipodas[10] vocatis? Cur mihi magis succensetis, qui ista non aspernor, quam eis, qui, quum audiunt, desipere vos arbitrantur? Hicetas[11] Syracusius, ut ait Theophrastus, cælum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia[12], stare censet[13], neque præter terram, rem ullam in mundo moveri: quæ quum circum axem se summa celeritate convertat et torqueat[14], eadem effici omnia, quasi stante terra cælum

præcedd. repetendum, « se rem habere jurare possum ». Inde plures codd. pro « non ita, non enim », ut Erl. et ψ. vel *nonne*, ut Gud. et Dr. atque ita Davis. « neque ego. Nonne etiam d. » Nempe hic etiam verborum tenorem non vidit, unde cum Clerico, « aperte loco aliquid deesse », pronuntiat. Nihil deest: sed ex more auctor sic vv. *non ita* elliptice.

9. *E contraria parte terræ.* Non bene in spuriis hæc Lambinus numerat: accuratius enim voces *e regione nobis* explicant, atque tum sæpe auctor sententia repetita. Malim tamen pro *e contr. et contr.* Sic præpositio, *et* explicantis quum sit, ex regula omissa erit; quam quum scribæ nescirent, *et* in *e* mutarunt. G.

10. *Antipodas.* Eos Pythagoram scribit Diog. Laert. (Pythag. vit.) esse dixisse; et tamen ait Platonem primum ἀντίποδας appellasse. Alex. Aphrod. ad l. I Meteor. Arist. ne sua quidem ætate (Septimii Severi) an essent ulli antipodes potuisse sciri, sed doctos homines, eos esse e ratione cæli conjecisse. Hic Ciceronis Academicus ait *esse*, qui, quum de illis disputantes audiunt Stoicos, desipere eos arbitrentur. Plutarch. (περὶ τοῦ ἐμφαινομένου προσώπου τῷ κύκλῳ τῆς σελήνης), Pharnacem pronuntiare facit, quæ de illis dicantur, portenta esse. Pompon. Mela l. II, 1; Lucret. l. I, 1056-1107, p. 43, Eichst. H. — Quid de antipodibus sit nunc sentiendum nimis notum est quam docuimus.

11. *Hicetas Syracusius.* Hunc memorat etiam Aristot. de Cælo, et Plut. de Placit. l. IV.

12. *Omnia, stare.* Gud. fr. cod. Ven. 1494. Crat. *stare omnia* ordine transverso. Quod probo, si *censet* glossam velis, sæpius sic a scribis additum, cf. Acadd. I, 12, 45. Tum locus egregie se habebit; alias adonicorum numerum, licet ille in auctoris scriptis satis amplus sit, auctum his nolim. G.

13. *Cælum, solem... stare censet.* Vid. Ruhnken. ad Timæ. Lexic. Plat. p. 70-72, ibique Hemsterh. not. Philo t. I, p. 673. Mangey. ἥλιον δὲ, inquit, καὶ σελήνην ἀεὶ περὶ αὐτὸν εἱλουμένην ἕκαστον διεξέρχεσθαι τῶν ζωδίων. Cic. de Orat. l. III, 45. Terraque ut media sit, eaque sua vi, nutuque teneatur. Macrob. in somn. Scip. « terra, quæ circum axem protensum convoluta, et adstricta hæret: vincula, quibus terram natura constrinxit ». Adde Brucker. t. I, p. 487. H.

14. *Convertat et torqueat.* Ex hoc præclaro Ciceronis loco alioque Plu-

moveretur[15]. Atque hoc etiam Platonem[16] in Timæo dicere quidam arbitrantur, sed paullo obscurius. Quid tu, Epicure? loquere. Putas solem esse tantulum[17]? Ego ne vobis quidem tantum[18]. Sed et vos ab illo irridemini; et ipsi illum vicissim eluditis. Liber igitur a tali irrisione Socrates, liber Aristo Chius[19], qui nihil istorum sciri putat posse. Sed redeo ad animum,
124 et corpus. Satisne tandem ea nota sunt nobis, quæ nervorum natura sit, quæ venarum? tenemusne, quid animus sit? ubi sit? denique, sitne, an[20], ut Di-

tarchi (de Placit. Phil. III, 13), conjecit *Copernic* forsan falsum esse Ptolemæi systema, ut ipse declarat in præf. libri *des Révolutions des corps célestes*, dedicati papæ Paulo III: « Inde igitur occasionem nactus, cœpi et ego de terræ mobilitate cogitare ». J.V. L.

15. *Quasi... mov.* Gœr. dat *quæ, si.* Recte, inquit, viderunt Lamb. et Dav. ita esse pro *quasi* legendum. Quid enim mirum, si *quæ* ellipticum scribæ non ceperunt. Cf. Tusc. 24, 57. G.

16. *Platonem in Timæo.* Locus est Timæ. p. 332. Bip. Γῆν δὲ, τροφὸν μὲν ἡμετέραν, εἰλουμένην δὲ περὶ τὸν διὰ παντὸς πόλον τεταμένον. De quorum sensu ambigunt, laudante Davis. Aristoteles de Cælo II, 13; Plut. Quæst. Platonn. p. 1006; Chalcid. ad Tim. § 121. G.

17. *Putas solem esse tantulum?* Gœrenz dat: « Putas esse solem tantulum? » Vulgatum, inquit, sæpe miratus sum, quomodo VV. DD. in interrogatione ferre potuerint. Neque sane tulissent, nisi forte sibi persuaderent, quodque enuntiatum esse interrogantis, si signum illud solitum addatur. Deleram olim *esse*; sed melius hoc transponunt Gud. fr. cod. Ven. 1494, Crat. aliæ.

18. *Ego ne vobis quidem tantum,* etc. Suppleri potest *esse concedo.* Gœrenz dat: « Egone? vos quidem tantum! » De hoc, inquit, elliptico *Egone?* accuratius egimus ad Legg. I, 4, 14. H. l. plena sententia hæc foret, « Egone an esse solem tantulum putem? » Dein pro *vobis*, quod nihil est, ex Gud. fr. cod. Wr. *vos* dedimus, quod itidem tres apud Davis. servant, ab Ern. et magis etiam a semet ipso, commendatum. Non autem directe auctor Epicurum respondere facit, sed ita, ut vicissim Stoicis nimiam solis magnitudinem exprobret, qui eum ridebant, quod hunc tam parvum statueret. Inde per se cadit Lambini conjectura, nimium jejuna et sterilis, « Egone? ne bis quid. tant.» nec quidquam alias reliquorum attulisse juvarit. — Arridet conjectura Guieti: « egone? vix quidem tantum ». quam conj. sequutus est Gallicus interpres, qui vertit: « Moi? peut-être plus petit ».

19. *Aristo Chius.* De Aristone Chio, Stoico, vid. Diog. Laert. VII, 164, et P. Bayle Diction. s. v. post Jo. Stobæi ecl. phys. t. I, p. 827, seq. Heeren. H.

20. *Sitne, an... ne sit quidem ullus?* Parendum Davisio erat vulgatum *aut* in *an* mutanti. Sunt quidem, qui stru-

cæarcho [21] visum est, ne sit quidem ullus? si est, tresne partes habeat [22], ut Platoni placuit, rationis, iræ, cupiditatis; an simplex, unusque sit? si unus et simplex [23], utrum sit ignis, an anima, an sanguis? an, ut Xenocrates [24], mens nullo corpore [25]? quod

cturam hanc Divv. XIV, ep. 18: « Romæne sitis, aut mecum in aliquo tuto loco », ut cum Victorio scripti quidam referunt, defendant. Et, si argutari velis, accipi *aut* liceat pro, *an contra potius:* sed sine ullo exemplo idoneo. Talem structuræ rationem, sequiori ætati, maxime Tacito, frequentatam, frustra Ciceroni imputaris, quam Oudend. ne apud Suet. quidem admittit. Vid. Domitian. 17. Sine *ne*, recte sic dici posse, supra vidimus. G.

21. *Dicæarcho.* Dicæarchus, Aristotelis discipulus, teste Cic. Tusc. Dispp. I, 10 et 21, contendit: « nihil omnino esse animum »; et hoc esse nomen totum inane; sed *vim agendi* latere in vivo corpore ita figurato, ut temperatione naturæ vigeat, et sentiat. Cic. ad Attic. XIII, 31; Plut. adv. Colot. p. 1215; Euseb. præp. ev. l. XV, 9, p. m. 809. ed. Colon. H. — Adde Baylii *Dictionnaire*, p. 995, seqq. et Tennem. *Gesch. d. Philos.* t. III, p. 336. G.

22. *Tresne partes habeat.* Cf. Tusc. I, 10, 20. *Partes*, μέρη, hac in re non proprie dici, ut ex aliis, ita inde patet, quod easdem Plato sæpe εἴδη, γένη, πάθη, αἰτίας appellat, et Cic. frequenter *pars* de eo, quod vulgo *species* dicitur, ponit. De re ipsa compares Tennem. l. l. t. II, p. 452, seqq. coll. Cari *Gesch. der Psychologie*, p. 301, seqq. Nondum tamen hic Philosophiæ Platonicæ locus ita pertractatus est, ut in VV. DD. explicatione acquiescere liceat. G. — Ad rem vid. Euseb. præp. ev. l. XV, c. 60, p. 851; Plutarch. de placit. ph. IV, 4; Tertull. de anima, c. 16; Apulei. de habit. doctr. Platon. l. I, p. 586; Nemes. de nat. c. 16; Max. Tyr. diss. VI; Senec. ep. 92. H.

23. *Si unus et simplex.* Ita etiam Græcis εἷς καὶ ἁπλοῦς, animus dicitur. G.

24. *An, ut Xenocrates.* Ita mei omnes, una cum vetus impressis: ut lectionem editionum priorum *Xenocrati* accommodatam ad verba prægressa, « ut Dicæarcho visum est », judicem. Ubique autem sic auctor *ait*, vel *dixit*, omittere solet. G. — *Xenocrates.* Locus insignis de eo est ap. Sext. Emp. adv. Logic. I, s. 147, p. m. 402.

25. *Mens nullo corpore.* Gœr. dat, *numerus sine corpore.* Sic, inquit, Bentleio auctore, correximus, vide hujus Comment. ad Tusc. I, 10, quamvis et hoc, et illo loco, vehementer obnitente Davisio. Nam si vel verum sit, quod hic monet, Xenocratem ἀριθμὸν, ἀντὶ τοῦ νοῦ, verbo tenus posuisse (quod quidem Auctor de Decrett. philoss. et Stob. Ecl. phys. ex eodem, ut videntur, fonte testantur; sed gravior auctoritas Aristotelis de Anima I, c. 5, secus judicare jubet): oblitus tamen ille est docere, quomodo Cic. ad verba, « mens nullo corpore », addere verba potuerit, « quod intelligi, quale sit, vix potest ». Quod si videris, hoc, nisi coacte, fieri non posse; attendes etiam accuratius ad locum, quo ille maxime nititur, Acadd.

intelligi, quale sit, vix potest. Et, quidquid est, mortale sit, an æternum[26]? nam utramque in partem[27] multa dicuntur.

XL. Horum aliquid vestro sapienti certum videtur;
nostro, ne quid maxime quidem probabile sit, oc-
currit: ita sunt in plerisque contrariarum rationum
125 paria momenta[1]. Sin agis verecundius, et me accusas,
non quod tuis rationibus non assentiar, sed quod
nullis, vincam animum; cuique assentiar, deligam.
Quem potissimum? quem? Democritum? semper enim
(ut scitis) studiosus nobilitatis fui. Urgebor jam om-
nium vestrum convicio[2]. Tune aut inane quidquam

I, 11, 39: « mens, quæ expers esset corporis (cujus generis Xenocrates, et superiores etiam, animum esse dixerant) »: in quo quum intellexeris, συλλήβδην de Xenocrate, et de philosophis ante hunc, dici, atque inde de hujus sententia vagius moneri, percipies denique, quum h. l. non idem valeat, recte statui a Bentleio, propriam Xenocratis de animo vocem esse reponendam. Id quod facilius etiam concedes, si vocis *numerus* compendium *nms* cogitaris, reputarisque scribarum ignorantiæ absurdum videri debuisse, *animum numerum* dici. De ipsa Xenocratis sententia conf. *Bayle* Dictionn. h. n. collatis Acadd. I, 11, 39.

26. *Et, quidquid est, mortale sit, an æternum*. Aperte h. l. *et* collectivo sensu, « ut paucis comprehendam », dici, vix est, ut moneamus. Reliqua structura mere Græca est, ὅ τι ἐςὶ, θνητὸν, ἢ αἰώνιον. Denique ignorant Gud. ψ. Ven. 1494, *sit*, quod, in hac comprehendentis oratione, parum absum, quin probem. G.

27. *Utramque in partem*. Sic bene correxit Lamb. pro *utraque in parte*. Sic enim solet exprimere Cicero, quod Plato in Phædro ἐπ' ἀμφότερα dixit: ipse in oratore *in contrarias partes* hoc dicit. Utrumque ut alii. Sic Chrysippus εἰς ἑκάτερον λέγειν, et εἰς τἀνάντία λέγειν ex consuetudine Academicorum apud Plutarchum in libro de Stoicorum repugnantiis. P. Faber.

XL. 1. *Ita... momenta*. Manifeste hæc ad explicationem verborum, *nostro.... occurrit*, addita vides: prave igitur in Ernestiana, et quæ ex ea fluxerunt, puncto distinguuntur. Sensus enim est: « Noster Sapiens tam parum, quod certum sit, videt, ut ne deprehendat quidem, quod sit probabile maxime; tantopere sunt paria sibi in plerisque rebus oppositarum rationum momenta ». Presse autem auctor græca vertit: τοσαύτη ἐςὶν ἡ ἐν τοῖς ἀντικειμένοις λόγοις ἰσοσθένεια. Vide simillima apud Sext. Emp. Pyrrh. 1, 8; cf. Acadd. I, 12, 45. Dixit autem caute auctor *in plerisque*; nam quæ ad virtutem pertinebant, ea sic quasi excepta esse voluit. G.

2. *Deligam. Quem potissimum?... convicio*. In verbis, *quem pot.* deliberare se auctor fingit; intelligenda ad

putes esse, quum ita completa et conferta sint omnia, ut et quod movebitur corporum cedat, et qua quodque cesserit[3], aliud illico subsequatur? aut atomos ullas[4], e quibus quidquid efficiatur, illarum sit dissimillimum? aut sine aliqua mente rem ullam effici posse præclaram? et, quum in uno mundo ornatus hic tam sit mirabilis, innumerabiles, supra, infra, dextra, sinistra, ante, post, alios dissimiles, alios ejusdemmodi mundos esse? et, ut nos nunc sumus ad Baulos[5], Puteolosque videmus[6]; sic innumerabiles

sequentia, « semper studiosus nobilitatis fui », tenendum est, primum Democriti patrem in principibus Abderæ viris numeratum esse, ut docet Diog. Laert. IX, 34, 36, deinde satis ambigue suum in nobilitatem favorem significare : quippe quæ ipsa erga novos homines fastidiosius se gerere soleret. Ceterum in verbis « Urgebor jam, » τὸ *jam* notat *continuo*. G.

3. *Ut et quod movebitur corporum cedat, et qua quodque cesserit.* Turbant VV. DD. sanum locum : non enim recte ad Democriti atomos attendebant, quæ hoc loco oppugnantur. Recta hæ per inane ferri dicebantur. At opponitur, nihil esse inane; itaque, si quæ atomus moveatur, impelli et trudi eam ab altera, in ejus locum succedente, sic ut recta ferri non possit. Unde intelligitur, nihil his inesse, quo jure offendaris. Recte autem Ern. *quodque* pro *quidque* edidit, quum pro *quodcumque* ponatur. G. — Exponitur hic (obs. Faber) ἀντιπερίςασις, h. e. quum corpori cedenti, succedit corpus. Id maxime apparet in aere, qui et cedit corporibus, et succedit in eorum locum; et in aqua, vid. Lucret. lib. I, 370, seqq. p. 18, Eichst. Cf. et Arist. Phys. l. IV. H.

4. *Aut atomos ullas.* Sc. *putes esse;* hoc sensu : « aut tu putes, dari vere ejusmodi atomos, quum omne id, quod ex iis effici dicatur, nullam plane cum iis habeat similitudinem? » Sic enim verba proxima, in quibus nonnulli hærent, solvas, « quum, quidquid efficiatur ex illis, etc. » G.

5. *Baulos.* Erat villa Hortensii inter Lucrinum lacum et Baias in Campania, Bauli nomine. Vide Cic. ad Divers. l. V, ep. 5. H.

6. *Ut nos nunc sumus... videmus; sic.* Gœr. dat : « ut nos nunc simus... videamus; sic ». Sic, inquit, codd. nostri, Davisii, Gruteri, et, nisi fallor, omnes omnium. Ex solis editis vett. quibusdam, ut Ascens. utraque (sed vel hoc credo ex conjectura), *sunt... videmus* cum P. Manut et Lamb. ascivere Davis. et Ern. At diligenter per totum locum servatur indirecta; et si hæc nomine reliquorum a Lucullo sibi tum objectum iri fingit Cicero, quum Democriti rationem arripuerit (quod cur ex contextis non liceat, causæ nihil est) sique denique continuo post, « si nunc... videamur », recte feretur : nihil profecto videmus, unde tantum codicum consensum relinquere cogamur.

paribus in locis esse, eisdem nominibus[7], honoribus, rebus gestis, ingeniis, formis, ætatibus, eisdem de rebus disputantes? et, si nunc, aut si etiam dormientes, aliquid animo videre videamur, imagines extrinsecus in animos nostros per corpus irrumpere? Tu vero ista ne asciveris, neve fueris commentitiis rebus assensus. Nihil sentire, est melius, quam tam
126 prava sentire[8]. Non ergo id agitur[9], ut aliquid assensu meo comprobem. Quæ tu vide[10], ne impudenter etiam postules, non solum arroganter: præsertim quum ista tua mihi ne probabilia quidem videantur. Nec enim divinationem[11], quam probatis, ullam esse arbitror; fatumque illud etiam, quo omnia contineri dicitis, contemno. Ne exædificatum quidem hunc mundum divino consilio existimo; atque haud scio, an ita sit[12].

7. *In locis esse, eisdem nom.* Gœr. dat: « in locis eisdem esse nom. » tamquam ordine meliore.

8. *Quam tam prava sentire. Tam* est in scriptis editisque omnibus, unde recte incuria factum esse dixeris, si hanc part. in Hülsemanniana textis tacite subtractam vides. G.

9. *Non ergo id agitur.* Redit *ergo* ad superiora, unde sermo a verbis inde § 125. « Sin agis verecundius », deflexerat. Plane vitiose igitur Guietus, aut *Non*, quæ ad negandi gravitatem præmissa est, in *Nunc* mutari, aut his interrogandi notam addi jubet. Si enim plenum horum sensum quæris, hic est: « Ex his, quibus me ad Democriti sententiam accommodare volui, facile vides, minime de hoc sermonem esse posse, ut aliquam e tam diversis philosophorum sententiis, tamquam veram, sequar, uti vos a me requiritis ». G.

10. *Quæ tu vide.* Davis. propter præcedens *id*, correxit, *quod tu v.* probante Ernestio et Wetzel. At, si quid corrigendum est, rectius erit *quare;* quum *quæ* in scriptis vetustioribus ubique *que* scribatur, cui si lineolam superpinxeris, compendium vocis *quare* habebis. Sed nihil correctione opus; *quæ* enim pro *qualia* v. *sed talia* ponitur. Cf. Orat. III, 24, 95. Sic plurium relativi numerus offendere nihil debet, qui et in reliquis pronn. frequens est, et alibi etiam prave corrigitur, v. c. Divin. I, 16, 29. G.

11. *Divinationem.* De qua præsentiendi voluntatem deorum facultate egit Cicero in præstantissimis duobus libris, a Davisio et Hottingero emendatis, ad rerum illustrationem vero etiamnum neglectis. Garvius aliquis eos enarret. H.

12. *Atque haud scio, an ita sit. Atque* valet, *immo potius*, et se ipsum corrigentis est: vide exempla ad Legg.

XLI. Sed cur rapior in invidiam[1]? licetne per vos nescire, quod nescio? an stoicis ipsis inter se disceptare, mihi cum iis non licebit[2]? Zenoni, et reliquis fere stoicis Æther videtur summus deus[3], mente præditus, qua omnia regantur. Cleanthes, qui quasi majorum est gentium stoicus, Zenonis auditor, Solem dominari[4], et rerum potiri putat. Itaque[5] cogimur dissensione sapientum, dominum nostrum ignorare; quippe qui nesciamus, Soli, an Ætheri serviamus. Solis autem magnitudo (ipse enim hic radiatus me intueri videtur) admonet, ut crebro faciam mentionem sui. Vos ergo hujus magnitudinem quasi decempeda[6] (hinc enim me quasi malis architectis

III, 14, 32. Male igitur hæc a præcedd. puncto distinguuntur. Sensus est: « Ne hoc quidem verum existimo, conditum hunc mundum esse divino consilio; vel potius, nescio, an ita sit ». Nihil inde dicit Davis. *atqui* suadens. G.

XLI. 1. *Sed cur rapior in invidiam?* Cf. infra 47, 144. Sensus est, « Cur tam studiose tu me in malam famam adducis? ut dicas omnia concidere hac mea philosophandi ratione ». Pertinent hæc ad 19, 61, eodem spectant illa 20, 64: « aggrediar igitur, si pauca ante quasi de fama mea dixero ». G.

2. *Mihi cum iis non licebit?* Gœr. dat *his* pro more. *His*, inquit, dedimus ex scriptis nostris, vetusque impressis, quos vidimus, omnibus. Pro *licebit* deinde etiam Gud. et Wr. *licet*, quod Davis. ex 5 suis edidit, sequutusque est Hüls. Perperam. Proprie enim auctor fut. in objectione et levi objurgatione; idque maxime in hac cum *an* constructione. Cf. Tusc. V, 32, 90. Denique æque male *mihi* in Gud. ψ. ut in Davisianis, desideratur, quum ad oppositionem sit necessarium. G.

3. *Æther videtur summus deus.* Ad rem vid. Jo. Stobæ. ecl. phys. lib. I, p. 80, Heer. Plut. de repugn. Stoic. p. 1055, seq. 1085, quos locos illustrat Tiedem. *Syst. d. Stoi. Phil. Th. I*, p. 90, seq. H.

4. *Solem dominari.* Loci classici de hoc dogmate sunt collecti ap. Stobæ. ecl. phys. p. 523, t. I, Heer. et p. 532, 538; Plut. adv. Stoic. p. 1067; Senec. N. Qu. III, 30; Macrobius in Somn. Scip. Tiedem. l. c. p. 186, 191; Euseb. præp. ev. l. XV, 16, p. 318, ed. Colon. Cic. de Nat. Deor. II, 46; ibique Ven. Kinderv. v. II, p. 172, seq. Diog. Laert. l. II, s. 142. H.

5. *Itaque cogimur.* Gœrenz dat: *ita cogimur.* Sic, inquit, omnes scripti et mei, et Davisii, qui etiam sic scripsit, probante Ern. Recte. Nam *ita* est *ita fit ut*, et nimis sæpe in *itaque* a scribis mutatur. Vide nos ad Legg. lib. II, cap. 2, § 5. G.

6. *Quasi decempeda (hinc enim me quasi malis architectis mensuræ vestræ nego hoc) permensi refertis. Ergo credere dubium est.* Gœrenz sic refingit: « quasi decempeda permensi, refer-

mensuræ vestræ nego hoc) permensi refertis. Ergo credere dubium est, uter nostrum sit, leniter [7] ut
127 dicam, verecundior [8]? Neque tamen istas quæstiones physicorum exterminandas puto. Est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam [9] quasi pabulum, consideratio contemplatioque naturæ : erigimur; elatiores fieri videmur [10]; humana despicimus; cogitantes-

tis : hinc me, quasi malis architectis, mensuræ vestræ nego credere. Hoc ergo, credo, dubium est ». In hoc, inquit Gœrenz, aperte in codd. omnibus corrupto loco refingendo, si vel non plene verum tetigerimus, certi tamen sumus, haud procul a vero nos substitisse. Primo parenthesin in his « solis autem... nego credere » inesse, quum ipsa loci natura, tum particulæ *autem* et *ergo*, quarum sæpe altera hanc regit, altera eamdem excipit, satis clare produnt. Deinde, ut ad singula deinceps veniamus, male suadet Davis. ut *claritudo* non *magnitudo* legatur, idque Ern. aptum ad seqq. putat. Ad proxima concedo; non ad plenum contextum. Sensus est : « Solis autem magnitudinem cogitans (...) eo perducor, ut sæpe ejus mentionem faciam ». (Verba enim, « ipse... videtur », nihil sunt, nisi σχῆμα διαλόγου, quo res præsens fingitur). His introducit auctor, quasi præfando, proxima, quorum sententia ita pergit : « hujus solis inquam magnitudinem, etc. » ponitur enim sæpius *ergo* pro *inquam*, si primaria vox repetitur. *Enim* autem, quam vulgata post *hinc* addit, expulimus, quippe quam, præter unum Davisii, fr. cod. Erl. et Dr. respuant, Victorii scripti nesciant, Crat. ejus loco *etenim* exhibeat; eaque facile inter *e* et *m*, ut solet, addi potuerit. Tum verba *permensi*, *refertis*, suadentibus Manut. Davisioque, reque ipsa jubente, transposuimus, ut a scriba aliquo omissa, et in margine posita, atque deinde textis alieno loco reddita. Denique quum, ante hoc vitium, scribæ sic locum in codd. legi viderent, « nego credere hoc ergo credo dub. » ex sua ipsorum sapientia sic mutarunt, ut, *credo*, cujus ironicam vim non capiebant, abjecto, *credere* scriberent, priore *credere* omisso. — Præiverat Stoicis Anaximander ap. Stobæ. l. c. p. 522, seqq. qui *Solem* dixit : Κύκλον εἶναι ὀκτὼ καὶ εἰκοσαπλασίονα τῆς γῆς, ἁρματίῳ τροχῷ παραπλήσιον, ἔχοντα κοίλην περιφέρειαν, πλήρη πυρὸς, κ. τ. λ. Tiedem. *Geist d. spek. Phil. Th. II*, p. 442, seqq. 455, seqq. H.

7. *Leniter*, recte correxere Davis. et Ern. vulgatum olim *leviter*; utrumque eodem sensu. G.

8. *Verecundior?* Gœrenz posuit interjectionis notam, ut meliorem.

9. *Naturale quoddam quasi pabulum.* Gud. Ven. 1494, Crat. *quasi quoddam* : et sane alibi *quasi* ubique fere præponitur. Sed h. l. adjectivo præpositum *quasi* ad hoc referendum foret, quum ad *pabulum* pertineat. G. — *Est animorum... pabul. consideratio.* Egregia sententia! sed quam vim habet pro Academico novo, ut præter *verisimilitudinem*, aut *probabilitatem* nil admittat? H.

10. *Erigimur; elatiores fieri videmur.* Lambin. suaserat ex uno ejus codice, *altiores*, quod Davis. edidit,

que supera atque cælestia, hæc nostra, ut exigua et minima [11], contemnimus. Indagatio ipsa [12] rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum, habet oblectationem. Si vero aliquid occurret [13], quod verisimile videatur, humanissima [14] completur animus voluptate. Quæret igitur hæc et vester sapiens, et hic 128
noster : sed vester, ut assentiatur, credat, affirmet; noster, ut vereatur temere opinari, præclareque agi secum putet, si in ejusmodi rebus, verisimile quod sit, invenerit.

Veniamus nunc ad bonorum malorumque notionem. Sed paullulum [15] ante dicendum est. Non mihi videntur considerare, quum physica ista valde affirmant, earum etiam rerum auctoritatem, si quæ illu-

imitante eum Allemanno, et Hülsem. Nempe in pluribus scriptis, ut binis nostris, *latiores* legitur, et sic olim vulgatum. Hinc exstitit illa Lambiniani lectio : nisi ex ipsa glossa est; nam auctor vere *elatus* pro *altus*. Cf. Tusc. I, 40, 96. Hoc loco *elatiores fieri*, i. e. *exaltari*, etiam ideo aptius ad *erigimur* convenire videtur; quippe quod crescentem conditionem melius exprimat. G.

11. *Ut exigua et minima*. Lamb. conjecit *minuta*. Sed attulit jam Davis. Fin. V, 26, 78 : « Ea nos mala dicimus, sed exigua et porro minima ». Nempe τὸ *et* hic notat *vel adeo*. Vide nos supra ad cap. 10, § 30 : « libertatem et licentiam ». G.

12. *Indagatio ipsa*. Id est, « si eam vel per se spectes »; quam pronominis *ipse* vim modo docuimus. Hinc nihil est, cur textus jungendi part. desideres. G.

13. *Occurret*. Dedit Hülsem. ex uno Paris. 5, *occurrit*, Wopk. p. 42, sequutus. Quod h. l. eo vitiosius est, quum vera futuri ratio obtineat. Idem in seqq. *quæret*, plane de suo, et pæne subdole, in *quærat* mutavit : nihil enim monet. G.

14. *Humanissima*. H. e. dignissima homine. Vid. Xenoph. l. VIII, p. 235, Cyropæd. ubi moribundus Cyrus filium natu minorem sic alloquitur : Ὁποίας μὲν γὰρ ἀνθρωπίνης εὐφροσύνης ἐπιδεὴς ἔσῃ, οὐχ ὁρῶ· ἀλλὰ πάντα σοι τὰ δοκοῦντα ἀνθρώπους εὐφραίνειν, παρέξαι. H.

15. *Sed paullulum*. Gœrenz dat *paullum*. Nescio, inquit, quo modo a scribis hoc adject. in deminutam formam mutatur, vid. Fr. Hensing. ad Off. I, 4, 3, et sic sæpe alibi in singulis scriptis deprehendimus : v. c. infra § 145 : « quum paullum digitos constrinxerat », ubi æque Gud. *paullulum*, etc. Jam tenent 4 mei, et ψ. *paullum*, idemque servant cum Ven. 1494, vetus editi plures. Hoc loco scribæ adverbium, non adjectivum esse, rati, etiam in proximis turbavere.

striores videantur, amittere[16]. Non enim magis assentiuntur, neque approbant[17], lucere nunc, quam, quum cornix cecinerit, tum aliquid eam aut jubere, aut vetare; nec magis affirmabunt, signum illud, si erunt mensi, sex pedum esse[18], quam solem, quem metiri non possunt, plus quam duodeviginti[19] partibus majorem esse, quam terram. Ex quo illa conclusio nascitur: si, sol quantus sit, percipi non po-

16. *Non mihi videntur considerare, quum physica... amittere.* Gud. exhibet *quod non vid.* Dr. et Wr. « quod ut non vid ». V. « quod at non v. » Sed juncta hæc scribæ cum præcedd. voluerunt, *paullum*, ut diximus, adverbium putantes, nec vim in præmissa *non* videntes. Æque vitiose codd. plerique *physici*. Sed etiam VV. DD. Ern. « qui physica » suadet, et Davisium probat pro « si quæ, se, quæ » ex ingenio corrigentem; quod reciprocum Lamb. post *considerare* invexerat. Sed recte se habent omnia. *Quum* dicitur pro, « in eo ipso, quum », ut sæpissime; *si quæ* ex Græcismo *quæque* notat : *se* denique, in tam facili contextu, non addendum cum Davis. sed cogitandum est. G. — *Earum... amittere.* Bene vertit *Castillon :* « Ils rendent suspectes celles qui paraissent le plus évidentes ».

17. *Non enim magis assentiuntur, neque approbant.* Ern. ob sequens *affirmabunt*, legendum « assentientur, approbabunt », judicat. Quod ne approbes, tenendum est, recte præsentia de re præsenti, « lucere nunc », poni; ut item recte fut. ad id, quod ex futuri temporis conditione, « si erunt mensi », dicitur. « Neque approbant », ob præcedens *non*, pro *et app.* recte, et sæpe dicitur. Hoc autem verbum ipsum, paucis ante, binis expressum fuerat, « credat, affirmet ». G.

18. *Signum illud... sex pedum esse.* Tres quoque nostri *ullum*, quod Davisius pro *illud* edidit, imitante Hüls. Sed, ut taceam, *ullum* hæc ad contexta plane incongruum esse, quum non modo vagum sensum, sed plane nullum, fundat (nam *ullum* h. l. pro *aliquod* positum putare, ne vera quidem latinitas admittit): recte jam Durand. et Ern. viderunt, *signum* h. l. de statua dici. Quæ quidem in remotiore vicinitate posita, a disserentis manu monstratur; quod *illud* additum notat. Desumit enim Cic. exempla de his, quæ sibi ante oculos fingit. Solebant autem xystorum spatia (in xysto enim res agitur, cf. supra 3, 9), statuis exornari. Vide Plinium Histor. Nat. XXXIV, 8. Testantur etiam verba, *sex pedum*, de statua h. l. dici, ad hominis nempe mensuram accommodata. G.

19. *Duodeviginti.* Supra 26, 82, dubitavimus, an hic numerus vere auctoris esset, quum ubique mathematici *duodetriginta* partibus solem terra majorem faciant. Nunc quidem errorem (si quidem error est), in auctore ipso quæsierim, sic ut distantiam solis a terra cum ejus magnitudine confudisse putetur. Confer Plutarch. decrr. Philos. II, 31 : οἱ ἀπὸ τῶν μαθηματικῶν (λέγουσι ἀπέχειν τὴν σελήνην ἀπὸ τοῦ ἡλίου, ἤπερ ἀπὸ τῆς γῆς), ὀκτωκαιδεκαπλάσιον. G.

test, qui ceteras res eodem modo, quo magnitudinem solis, approbat, is eas res non percipit. Magnitudo autem solis percipi non potest. Qui igitur[20] approbat, quasi percipiat, nullam rem percipit. Responderint, posse percipi, quantus sol sit. Non repugnabo, dummodo eodem pacto cetera percipi comprehendique dicant[21]. Nec enim possunt dicere, aliud alio magis, minusve comprehendi; quoniam omnium rerum una est definitio comprehendendi[22].

XLII. Sed, quod cœperam[1] : quid habemus in re- 129
bus bonis et malis explorati (nempe fines constituendi sunt, ad quos et bonorum et malorum summa referatur)? qua de re est igitur inter summos viros major dissensio? Et omitto illa, quæ relicta jam videntur, et Herillum[2], qui in cognitione et scientia

20. *Qui igitur approbat.* Gœrenz: *q. i. id approbat. Id*, inquit Gœrenz, adjecit Davis. ex 5 suis; totidem nostris, editisque, quos vidimus, omnibus adstipulantibus. Delevit idem denuo Ern. Haud bene. Nam auctor hoc *id*, ad plenam sententiam relatum, innumeris locis ponit, maxime vero in assumptione, sollicitatum a scribis et VV. DD. sæpissime.

21. *Dummodo... dicant.* Int. dummodo concedant cetera non aliter percipi, id est, nullam nobis clariorem perceptionem offerre; unde concludit Cicero omnia incerta esse, quia nil incertum magis est, quam solis magnitudo.

22. *Quoniam omnium rerum una est definitio comprehendendi.* Recte hanc structuram exemplis firmarunt P. Fab. et Davis. Laudat etiam Ern. Drakenb. ad Liv. 24, 23. Adde Scheller. Obss. p. 134. Sed paullo obscurius latinitatis rationem Ern. explicat: nam genitt. *omnium rerum* non a gerundio *comprehendendi* pendere possunt. Immo potius ex genitivorum duplicium more explicatio petenda erat. Sic igitur construes : « est definitio una omnium rerum, comprehendendi eas ». Similia occurrunt Philipp. V, 3, 6; Invent. II, 5. Facile inde cernitur, his idem plane dici, quod valet, « omnium rerum comprehendendarum, etc. » id est, « in omnium rerum comprehensione eadem definiendi ratio obtinet ». G. — Intel. definitio comprehensionis est semper eadem, et ad omnes res applicari debet. H.

XLII. 1. *Sed, quod*, etc. Gœrenz interpungit : « sed quod cœperam : quid... explorati ? (nempe... referatur :...) qua de re... dissensio ? »

2. *Et Herillum.* Davis. suadet *ut Herillum :* sed frustra : nam hujus constructionis multa sunt exempla. G. — Herilli sententiam explosam fuisse, Cic. (de Off. I, 2; de Finib. II, 13; III, 3; IV, 14; V, 8; de Legg. l. I, 13, 21) sæpe dixit; vide Garvium vol. I, p. 6, edit. Vratisl. ad Cic. de

summum bonum ponit, qui quum Zenonis auditor esset, vides quantum ab eo dissenserit, et quam non multum a Platone[3]. Megaricorum fuit nobilis disciplina, cujus, ut scriptum video, princeps Xenophanes[4], quem modo nominavi; deinde eum sequuti, Parmenides et Zeno: itaque ab his Eleatici philosophi[5] nominabantur. Post Euclides, Socratis

Off. Adde Meiners *allg. krit. Gesch. der ältern u. neuern Ethik. Th. I. S.* 52, seqq. H.

3. *A Platone. Megaricorum.* Ita 4 meorum, cum aliis aliorum, expresse referunt, pro vulgato, « a Platone Megarici. Quorum ». Sed recepta a nobis vera lectio est: quum vere Plato in « cognitione et scientia » summum bonum statueret; nec posset, quin sic faceret, quum ad ideas suas cuncta referret. Si idem τὸ μέτρον et ἁρμονίαν huic summo bono adjungit, nihil aliud vult, quam hanc veritatis cognitionem in sese cohærentem, et ad vitam sapienter traducendam. Quod si recte tenueris, optabis forte hunc locum, in omnem Platonis morum philosophiam gravissimum, paullo comprehensius expositum, quam hucusque factum vides. Cf. Tennemann. System. der Plat. Philos. t. III, p. 55 seqq. coll. ejusd. Geschichte der Philos. t. II, p. 478 seqq. Sic igitur *Herillus* non multum a Platone differebat: sed totus differebat a Zenone, Cittieo, magistro, quippe qui summum bonum in solo *honesto* poneret. Inde autem hæc recepta lectio ab omni dubitatione eximitur, quod auctor de *Megaricis* separatim addit: « hi quoque multa a Platone ». G.

4. *Megaricorum... princeps Xenophanes.* Miram hujus loci rationem intt. sicco pede transire non debebant. Cur enim primum Xenophanes Megaricorum princeps? deinde cur ista hoc sententiarum ordine? Neque sine causa est, quod Cicero Megaricorum disciplinam in Ethicis (nam de his solis agit), ab Eleatica philosophia, ejusque auctore Xenophane, repetat, quum in istis ab hac illa tota pendeat, et in Dialecticis modo differat, quorum ope tela sua acuebat, quibus contra Aristotelem et Peripateticos uteretur, cf. quæ accurate disputat Tennem. *Gesch. d. Ph. t. II*, p. 135 seqq. Hinc inde de Megaricorum Ethicis tam parum Veteribus memoratur, ut hic ipse locus classicus sit. Xenophanem autem auctor ideo nominat, ut hæc de his disciplinis in universum disputaret: quem ita *principem* Megaricorum in Ethicis dicit, ut alias Physicorum Epicureorum Democritum solet Fin. I, 6, 17. Agitur autem h. l. de iis, quorum de finibus sententiæ jacebant. Præmittitur *Herilli*, quæ tota explosa erat Fin. II, 13, 43; Tusc. V, 30, 85. G.

5. *Eleatici philos.* Bellis Persicis flagrantibus, cum aliis sapientibus Xenophanes ex Asia minori migravit ex Colophone in Siciliam, et maximam vitæ partem postea Eleæ s. Veliæ, magnæ Græciæ urbe, consumpsit, ubi sectam Eleaticorum philosophorum condidit. Vid. Brucker. hist. crit. ph. t. I, p. 1143, seqq. H.

discipulus, Megareus; a quo iidem illi Megarici[6] dicti: qui id bonum solum esse dicebant, quod esset unum, et simile, et idem semper[7]. Hi quoque multa a Platone. A Menedemo autem, quod is Eretria[8] fuit, Eretriaci appellati: quorum omne bonum in mente positum, et mentis acie[9], qua verum cerneretur. Illi similia[10], sed, opinor, explicata uberius et ornatius.
Hos[11] si contemnimus, et jam abjectos putamus; illos 130
certe minus[12] despicere debemus, Aristonem, qui, quum Zenonis fuisset auditor, re probavit ea, quæ ille verbis[13], Nihil esse bonum, nisi virtutem; neque malum, nisi quod virtuti esset contrarium; in mediis

6. *Megarici.* De Megaricis exposuit Brucker. l. c. v. I, p. 610, seq. (vid. supra ad c. 30), et Tiedem. *Geist*, etc. v. II, p. 48, seqq. *Bayle*, Dict. hist. crit. s. v. Euclide. H.

7. *Quod esset unum, et simile, et idem semper.* Græca cogitanda sunt hæc: Τοῦτό γε ἀγαθὸν μόνον, ὅ ἐςι ἓν, καὶ ὅμοιον, καὶ ταὐτὸν αἰεί. Male igitur in binis meis, Ven. 1494, Crat. aliisque edd. vett. tertia *et* ante *semper* additur. *Semper* autem consulto, et cum vi, in clausula positum est. De re ipsa cf. Diog. Laert. II, 106, de Euclide. G.

8. *Eretria.* Tres mei *Eretria* tuentur, cujus loco ante Davis. vitiose *Eretrias* vulgabatur. G. — De Eretriacis vid. Tiedem. l. c. p. 50, seqq. Bruck. t. I, p. 622, seqq. nec non Gurlitti et Bublii libros historicos. Res quas illi sapientes tractarunt Cicero attigit. H.

9. *Omne bonum in mente positum, et mentis acie. Et* explicantis esse facile vides. Πᾶν ἀγαθὸν ἐν τῷ νῷ, τοῦτ' ἔςι ἐν τῷ ὀξυδερκεῖ τοῦ νοῦ, ᾧ τὸ ἀληθὲς καθορᾶται. G.

10. *Illi similia, sed, opinor, explicata uberius.* Correxere Davis. et Ern. vulgatum *Illis*, licet nescirent, quo utrumque referretur. Et nos quoque ignoramus, quo utraque vulgata tendat. Tres optimi mei, cum Davisianis quibusdam, *Ulli*: ex qua vaga lectione *Alii* suademus. G. — Quod ait illos eas res uberius quam veteres explicasse, hoc eo dicit, quod illi veteres magis in physicis occupabantur: quippe qui physici omnes ante Socratem appellati sunt. P. Faber.

11. *Hos... illos.* Dicit Faber *hos* ad Eretriacos referri debere, *illos* ad Aristonem et Pyrrhonem: nec aliud dicere videtur Gœrenz. etenim hæc verba *Illi similia*, etc. non ad superius narratos, sed ad eos philosophos, de quibus modo loquuturus est Cicero, referenda censet.

12. *Certe minus despicere debemus.* Nihil est, ut cum Ern. *non*, ante *minus*, adjectum malis. G.

13. *Re probavit ea, quæ ille verbis.* Nempe Zeno, quum, *honestum*, i. e. virtutem, solum bonum esse, *inhonestum*, solum malum, statueret, et tamen inter hæc μέσα illa admitteret, verbis ea addidit, non re, i. e. cum summo bono suo haud consentanea. G.

ea momenta quæ Zeno voluit, nulla esse censuit. Huic summum bonum est, in his rebus neutram in partem moveri; quæ ἀδιαφορία ab ipso dicitur. Pyrrho autem [14], ea ne sentire quidem sapientem; quæ ἀπάθεια nominatur [15]. Has igitur tot sententias ut omittamus, hæc nunc videamus [16], quæ diu multumque defensa
131 sunt. Alii voluptatem, finem esse voluerunt: quorum princeps Aristippus, qui Socratem audierat; unde Cyrenaici [17]. Post Epicurus, cujus est disciplina nunc notior [18]; neque tamen cum [19] Cyrenaicis de

14. *Pyrrho autem.* Davis. suadet *Pyrrhoni* ut cum præcedente *Huic* constructio conveniat, sc. « est summum bonum »; Ernestio in neutram partem decernente. Sed hæc constructionis anxietas a Ciceronis copia aliena est; qui innumeris pæne locis in exemplis continuandis sic pergit, ut præcedens verbum intelligendum sit. Ita h. l. *censuit* cogitandum. Continuo sequuntur, « ea ne sentire quidem sapientem ». *Ea* intelligenda sunt *momenta*, quæ secundum Zenonem etiam ad sapientem pertinebant. Cf. Fin. II, 13, 43. Adde inferius 45, 134. G.

15. *Quæ ἀπάθεια nominatur.* Ita recte primus ex Memmiano suo Lamb. quod item tres apud Davis. e nostris fr. cod. et Erl. confirmant. Reliqui, cum olim vulgata, ἀπαθῆ *nominantur.* Sed ut recte VV. DD. monuerunt, res non ἀπαθῆ dici, ita facile correctio ex paullo infrequentiore structura orta agnoscitur. Sæpius autem sic solet auctor in græcis addendis, si latina vox ipsi defecerit. Vide quæ supra 6, 18, ad ἀκατάληπτον monuimus. Proprie scribendum erat, *quæ insensibilitas ἀπάθεια nominatur;* sed talem vocem latinæ aures respuebant. G.

16. *Hæc nunc videamus, quæ diu.* Omnes et scripti mei, et, quos vidi, vetus impressi, *nunc* post *diu* rejiciunt: ut hæc part. in suspicionem veniat, tamquam a scribis sit addita. Sed auctor eam ubique sic, non sine abundantia, addere amat. Ne in repetite quidem posita offendo, si varia ejus relatio fuerit. Cf. Orat. I, 13, 57. G.

17. *Cyrenaici.* De Cyrenaicis vid. supra laudatos auctores. Parum sibi congruit Epicurus (obs. Dav.), quod ei passim exprobrat Cicero. Gargettius philos. *stantem* voluptatem; Aristippus vero *moventem* in summi boni sede collocabat. Nam is *indolentiam* s. doloris vacuitatem maximis laudibus extulit; hic « suaves corporis motus », qui communi voluptatis nomine censentur. Si tamen aliis fides sit habenda, Epicurus animi voluptatem; corporis Aristippus finem bonorum fecit. Vid. Lactant. Div. inst. l. III, 7, epit. c. 33; Diog. Laert. X, s. 131, Dav. H.

18. *Cujus est disciplina nunc notior.* Nempe tot romanis civibus eam amplectentibus. G.

19. *Neque tamen cum.* Tres mei *tum* pro *tamen*, quam Gud. plane ignorat. Inde puta, quod utriusque particulæ compendium pæne idem est, et *tum* deinde ante *cum*, ut sæpe, excidit. Ad *tamen* cogitandum ex præcedd. « licet communem cum Ari-

ipsa voluptate consentiens. Voluptatem autem, et honestatem finem esse[20] Callipho censuit; vacare omni molestia, Hieronymus; hoc idem cum honestate, Diodorus. Ambo hi peripatetici. Honeste autem vivere, fruentem rebus iis[21], quas primas homini natura conciliet, et vetus academia censuit, ut indicant[22] scripta Polemonis, quem Antiochus probat maxime; et Aristoteles, ejusque amici nunc[23] proxime videntur accedere. Introducebat etiam[24] Carneades, non quo probaret, sed ut opponeret stoicis, summum bonum esse, frui iis rebus[25] quas primas natura conciliavisset. Honestum autem, quod ducatur a conciliatione naturæ, Zeno statuit finem esse bonorum; qui inventor et princeps stoicorum[26] fuit.

stippo finem sequatur ». Eodem modo in proximis *voluptatem autem*, non bene in iisdem tribus meis *autem* desideratur; in qua, si orationem continuat, scribæ sæpissime hærent : licet eamdem alias sæpius etiam de suo addant. G.

20. *Honestatem finem esse.* 4 nostri, *bonorum* addunt : sed in hujusmodi glossis scribæ sunt nimis liberales. Davis. et post hunc Hüls. ex 5 suis eamdem vocem paullo superius ad verba, « voluptatem finem esse », addidit, ubi nullus meorum *bonorum* refert. Vide Fin. V, 25, 73. G.

21. *Fruentem rebus iis, quas.* Gœr. dat *his*. Unus Erl. *isti*.—Respicitur ita δεικτικῶς ad πρῶτα φύσεως, de quibus Academici vett. et Stoici tam late disputant. G.

22. *Ut indicant... maxime.* Hæc Gœrenz parenthesi includit.

23. *Et Aristoteles, ejusque amici nunc.* Bentl. pro *amici*, *æmuli* suadebat, quod recepit Durandus. Sed nos causam hujus correctionis idoneam nullam videmus. Ponitur quidem *amicus* dandi casu, si ad personam refertur; sed hoc loco, ubi ad *philosophiam* hominis pertineat, facile *philosophiæ* cogitari licet. Ceterum in his *Aristotelis amicis* maxime Aristippum intelligi, Peripateticorum tum temporis summum, certissimum est; cf. *Bayle*, Dict. voc. *Aristippe*. G.

24. *Introducebat etiam Carneades... summum bonum esse.* Ern. *esse* deleri jubet : non sine veri specie. Sed ut Græci εἰσάγειν pro *constituere*, et *statuere*, deducto tropo ab judiciis, ita h. l. Cic. et aliis in locis. Fin. IV, 16, 43; N. D. I, 8, 19. Hac igitur vi si verbum illud h. l. acceperis, recte *esse* stabit. G.

25. *Frui iis rebus.* Gœrenz dat *his*, de more; ut infra *omnibus his*, init. cap. seq.

26. *Inventor, et princeps Stoicorum.* *Inventor* h. l. durius judicat Ern. Sed auctor verbum *invenire* sic ponit, ut *introducere* notet : ita *inventorem* pro *introductore* positum putabis. G.

132 XLIII. Jam illud perspicuum est, omnibus iis finibus bonorum, quos exposui, malorum fines esse contrarios. Ad vos nunc refero, quem sequar? modo nę quis illud tam ineruditum absurdumque respondeat : « Quemlibet, modo aliquem ». Nihil potest dici inconsideratius. Cupio sequi stoicos. Licetne (omitto per Aristotelem, meo judicio in philosophia prope singularem) per ipsum Antiochum [1]? qui appellabatur academicus; erat quidem, si perpauca mutavisset, germanissimus stoicus [2]. Erit igitur res jam in discrimine. Nam aut stoicus constituatur [3] sapiens, aut veteris academiæ. Utrumque non potest. Est enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione [4] contentio. Nam omnis ratio vitæ definitione summi boni continetur; de qua qui dissident, de omni ratione vitæ [5] dissident. Non potest igitur uterque esse sa-

XLIII. 1. *Licetne (omitto per Aristot.:.. singularem) per ipsum Antiochum.* Sic dudum Davis. recte et interpunxerat, et scripserat. At Ern. cum vulgata post *licetne* interrogationis signum transtulit, omissis parentheseos notis. Quæ structura quum coactior sit, ut satis apta Hülsemanno prædicatur. *Ipsum* deinde, quod vulgo ante *Arist.* editur, post Davis. qui cum quatuor suis, quibuscum nostri consentiunt, id ejecerat, Ern. reponere non debebat, utpote ex proximis additum. G. — *Omitto per Arist.* Intellige : non dico, licetne per Aristotelem? sed, licetne per ipsum Antiochum?

2. *Germanissimus Stoicus.* Ita Erl. et Wr. Ante Davis. prave *Stoicis* edebatur. Res per se ipsa liquet. G. — Non *germanus* hic est, ut vir summus (Budæus), dum præ studio non satis attendit, interpretatur, ἀδελφὸς, id est, similis, sed γνήσιος, id est, verus, ut sit germanissimus Stoicus, non similis, aut simillimus, sed verus, et, ut dicitur, purus putus Stoicus. Huc si quis velit adjungat, quod ait Sextus de hoc Antiocho dici solitum a Græcis, in Academia eum Stoica philosophari. P. Faber.

3. *Nam aut Stoicus constituatur sapiens, aut vet. Acad.* Proprie scribendum erat « n. a. Stoicus sapiens const. aut sapiens vet. Acad. » Sed alterum *sapiens* facile intelligitur. Deinde non bene suadet Ern. *constituetur.* Tum enim ex certo auctoris usu etiam *poterit* legendum foret. Vulgata verissima est. G.

4. *Non de terminis, sed de tota possessione.* Cf. Legg. I, 21, 55, 56, ubi eamdem de eadem re similitudinem vides. G.

5. *De omni ratione vitæ.* Gœrenz dat : « de omni vitæ ratione ». Sic, inquit, omnes scripti nostri editique vett. quos vidimus, ea serie, qua edidimus; eaque verissima : nam paullo

piens, quoniam tantopere dissentiunt, sed alter. Si Polemoneus, peccat stoicus[6], rei falsæ assentiens; vos quidem nihil dicitis a sapiente tam alienum esse. Sin vera sunt Zenonis, eadem in veteres academicos peripateticosque dicenda. Hic igitur, neutri assen-
tiens, si numquam, uter est prudentior[7]? Quid? 133
quum ipse Antiochus dissentit quibusdam in rebus ab iis, quos amat, stoicis; nonne indicat, non posse illa probanda esse sapienti[8]? Placet stoicis, omnia

ante recte *ratio* præponebatur, quod nunc necesse non est.

6. *Si Polemoneus, peccat Stoicus.* Recte vidit Davis. post *Polemoneus* esse virgula distinguendum, h. s. « si, quem Polemo sapientem dicit, vere sapiens est ». Sed hic idem probandus non est, si in proximis ante verba, « vos quidem... alienum esse », *nam* addit : erant ipsa in parenthesi ponenda, quod fecimus. Sensus autem totius loci hic est. « Minime igitur simul et Stoicus sapiens, et idem Veteris Academiæ, vere sapiens esse potest, quum tanta inter eos differentia intercedat; sed modo alteruter. Inde si v. c. is, quem Polemo constituit, vere sapiens est; errat ille Stoicorum, quippe qui ei, quod falsum est, assentiatur (quod vos certe a sapiente alienissimum judicatis) : si contra Zenonis præcepta vera sunt, eodem modo de vett. Acadd. et Peripatt. falsa eos statuere, dicendum erit ». G. — *Polemoneus.* Ὁ Πωλεμώνειος, Polemonis assecla; de quo vid. Jo. Stobæ. ecl. phys. t. I, p. 62, Heer. Πολέμων τὸν κόσμον θεὸν ἀπεφήνατο. H.

7. *Hic igitur, neutri assentiens, si numquam, uter est prudentior?* Hæc in conclamatis VV. DD. habent. Hüls. post *numquam* lacunæ signa posuit. Nos quidem locum bonum probumque judicamus hac sententia : « Hac in re igitur si is, qui neutri parti » (neque Academicis vett. nec Stoicis) « assentitur, numquam prudens » (i. e. providens) « est, quæritur, uter » (qui non assentitur, aut qui assentitur) « sit prudentior? » Urbanius nempe id dictum putabis, pro, « nonne is, qui alterutri assentitur, magis etiam prudentia caret? » *Numquam* simpliciter pro *non* poni, quo gravius neget, sæpius ad Terent. notat Donatus. G. — Manutius conjiciebat : « Hic igitur neutri assentietis : sin utrique, uter est prudentior ». Guietus : « Hic igitur neutri assentietis. Sin umquam, uter est prudentior ». Davis. « Hic igitur neutri assentiens, si usquam, utroque est prudentior ». Davisii amicus : « Hic igitur neutri assentiens, si quicquam interest, prudentior ». P. Faber : « Hic igitur neutri assentiens numquam uter est prudentior? » Ut *uter* pro *uterque* dicatur.

8. *Non posse illa probanda esse sapienti?* P. Manut. *probabilia* ex cod. ut dicit Lamb. et Davis. *posse* deleto, et *esse* in hujus locum trajecto. Ern. *posse* abjectum probat, abjecitque Hülsem. Equidem hanc structuram ex eo defendi posse judico, quod sæpe Latini participia in *dus* præsentis significatione ponunt, hoc sensu,

peccata esse paria [9]. At hoc Antiocho vehementissime displicet. Liceat tandem mihi considerare, utram sententiam sequar. Præcide, inquit; statue aliquando quidlibet. Quid? quæ dicuntur quidem, et acuta mihi videntur in utramque partem, et paria [10]; nonne caveam, ne scelus faciam? scelus enim dicebas esse, Luculle, dogma prodere [11]. Contineo igitur me, ne incognito assentiar; quod mihi tecum est dogma
134 commune. Ecce multo major etiam dissensio. Zeno in una virtute positam beatam vitam putat. Quid Antiochus? Etiam, inquit, beatam, sed non beatissimam [12]. Deus ille, qui nihil censuit desse virtuti; homuncio hic [13], qui multa putat præter virtutem homini partim cara esse, partim etiam necessaria. Sed ille, vereor, ne virtuti plus tribuat, quam natura patiatur, præsertim Theophrasto multa diserte co-

« non posse fieri, ut ista sapienti probentur ». G.

9. *Omnia peccata esse paria.* Rem exposuit Tiedemann. *Syst. d. Stoi. Philos.* t. III, p. 151, seqq. Cic. de Fin. l. IV, 27, sq. ed. Davis. H.

10. *Quid? quæ dicuntur quidem... paria.* Unus Gud. cum vulgata; reliqui mei « quæque dic. quidem ». Dr. et Wrat. etiam *quæ* pro *quidem* referunt. *Quid?* recte se habet, sequente *nonne.* Sed constructio, « quæ dicuntur... nonne caveam », coactior est; incommodat etiam *quidem*, hoc posito, vix defendendum. Valde igitur placet cum Davis. « quid? quum quæ dic. quidem », corrigere: sic enim cuncta in suum, et commodum sane, ordinem redeunt. Frequens est etiam structura, « quid? quum... nonne », et paucis ante legitur. Elegante quidem Bentleius ratione, « quid? quum dicantur et acuta, ut mihi videtur, in utramque partem, et paria »; sed liberior ea est, quam debebat. G.

11. *Scelus enim dicebas... dogma prodere.* Hæc pertinent ad ea quæ supra, cap. IX, 27. G.

12. *Quid Antiochus? Etiam, inquit, beatam, sed non beatissimam. Etiam* notat, *Ita est.* Quod autem hunc bonorum finem Antiochus constituit, inde factum puta, ut sic Academicorum Stoicorumque summum bonum quodammodo jungeretur. Cf. Tennem. *Gesch. d. Philos. IV*, p. 424. Pluribus illud exponitur Fin. V, 25, 75, seqq.

13. *Deus ille... homuncio hic.* Recte quidem Wetzel explicat ad Zenonem, et Antiochum referens: sed addendum erat, dici Zenonem *deum*, quippe qui de virtute altius sentiret, quam humana imbecillitas admittit: *homuncionem* autem Antiochum, quum hoc summo bono suo huic imbecillitati nimis inservierit. G.

pioseque dicente[14]. Et hic, metuo[15], ne vix sibi constet; qui quum dicat esse quædam et corporis, et fortunæ mala, tamen eum, qui in his omnibus sit, beatum fore censet[16], si sapiens sit. Distrahor[17]; tum hoc mihi probabilius, tum illud videtur: et tamen, nisi alterutrum sit, virtutem jacere plane puto. Verum in his discrepant[18]. Quid? illa[19], in quibus consentiunt, num pro veris probare possumus? sapientis animum numquam nec cupiditate moveri, nec lætitia efferri.

14. *Theophrasto multa diserte copioseque dicente.* Ern. cum Lamb. et Davis. *contra* desiderat, idque ille in *multa*, quod in *copiose* jam insit, pravatum judicat. Sed hæc, vere diversa, misceri non debent, quum *multa* ad argumentorum numerum, *copiose* ad uberiorem eorum et elegantiorem enarrationem, pertineat. Cf. Orat. I, 52, 222, « multas, copiosas et varias rationes ». Cll. II, 53, 214. Equidem velim *contra* ante *dicente* positum, ubi ejus compendium facile exciderit. Nam licet quidem in forma *quidquid dicit*, hoc verbum pro *contra dicit*, accipi possit; tamen hac in junctura sic dici posse, plane dubito. G. — Philosophiam morum Theophrasti attigit Stobæus, ecl. phys. v. II, p. 298-300. Heeren. De libro Theophr. περὶ εὐτυχίας vid. Diog. Laert. V, 2, 13; Cic. Tusc. V, 9. H.

15. *Et hic, metuo. Et* notat *sed*, atque orationem ex opposito continuantis est, ut sæpe. *Hic* est *Theophrastus*, qui ex eo ipso Acadd. I, 9, 33, « spoliasse virtutem suo decore, et imbecillam reddidisse », dicitur, ubi nos vide. G. — Non possumus quin hoc loco cum Gœrenzio et gallico interprete dissentiamus: quis non videt *hic* pertinere ad Antiochum? Postquam utriusque, Zenonis et Antiochi, auctor enuntiavit doctrinam, utramque in judicium vocat, rationesque affert, cur neutri assentiatur: alteramque alteri semper opponit: Inde, postquam dixit: « Deus ille... homuncio hic »; redit ad Zenonem his verbis *sed ille vereor;* postremo ad Antiochum his: *et hic metuo*, eumque ut sibi parum constantem reprehendit, quod dicat virtute sola hominem beatum esse, quum idem dicat multa, præter virtutem, esse bona.

16. *Beatum fore censet.* Gud. Wr. *censeat.* Dr. *sentiat;* ex eodem fonte. Atque sane per se quidem contemni h. l. subj. non debet, quum *qui* præced. pro *quippe qui* recte accipi possit. G.

17. *Distrahor; tum... tum.* Vulgatam *quum...tum* ex binis nostris, edd. vett. omnibus, et e re ipsa, correximus. G.

18. *Verum in his discrepant.* Sc. Zeno et Antiochus. Hic Gœr. principium posuit cap. XLIV, quam intersectionem sensui longe magis convenientem putamus.

19. *Quid? illa.* Etiam nostri, ut haud dubie scripti omnes omnium, *illud.* Sed recte jam *illa* utraque Asc. Crat. aliæque edd. vett. Nec mirum, si scribæ pro suo captu sic correxere, unum id præceptum rati, quo vere duo

135 XLIV. Age, hæc probabilia sane sint; num etiam illa? numquam timere, numquam dolere. Sapiensne non timeat? nec, si patria deleatur, non doleat[1]? Satis durum[2], sed Zenoni necessarium; cui, præter honestum, nihil est in bonis: tibi vero, Antioche, minime; cui, præter honestatem, multa bona; præter turpitudinem, multa mala videntur; quæ et venientia metuat sapiens necesse est, et venisse doleat[3]. Sed quæro, quando ista fuerint ab academia vetere decreta, ut animum sapientis commoveri et conturbari negarent[4]? Mediocritates illi probabant[5], et in omni

continentur, « nec cupiditate moveri », et, « nec lætitia efferri ». G.

XLIV. 1. *Nec, si patria deleatur, non doleat? Satis durum.* Gœrenz dat: « nec, si patria deleatur? non doleat? nec, si deleta sit? » Ita, inquit Gœrenz, 5 scripti apud Davis. et 3 mei. Neque ullus dubito, quin hæc vera Ciceronis manus sit. *Nec* est *etiam non*, et sequente *si* elliptice ponitur, « etiam tum non timeat; etiam tum non doleat ». *Deleatur* denique idem est quod, « in eo est, ut deleatur ». Ita autem hoc verbum positum, ut præsenti patriæ intereuntis periculum exprimatur. — *Nec, si patria deleatur, non doleat.* Grammaticorum decretum est, duas negationes affirmare in lingua latina. Hoc semper verum non esse docuit etiam Nonius ex Varrone; et Budæus noster in suis commentariis linguæ græcæ exemplis e Cicerone pluribus, quibus addi possunt infinita alia: quare nihil hic muto. P. Faber.

2. *Satis durum.* Gœr. notam exclamationis ponit. Davis. inquit, ex tribus ejus, totidem nostris consentientibus, *satis* delevit, Horatianum illud afferens « Durum! sed levius fit patientia, Quidquid corrigere est nefas ». At, ut taceam, plane non comparere, cur hæc vox a scribis addita putetur; multo facilius intelligitur, unde ab his omissa sit: quippe qui vim ejus intensivam ignorarent, si in soni primarii loco ponitur, ut « Satis grave! Satis audacter, belle! etc. » Horatianæ autem rationis exemplum apud auctorem ignoro; qui certe adseverationis particulam, v. c. *sane*, addidisset. Ceterum scribas in his duobus verbis offendisse, vel inde clarum est, quod a nonnullis scriptis utrumque abest.

3. *Quæ et venientia metuat sapiens necesse est, et venisse doleat.* Ne in verbis *necesse est* offendaris, notandum est, hæc auctorem ex Antiochi sententia indicare. Noluit enim ambigue scribere; quod fecisset, si *necesse sit* posuisset, ut proprie debebat: scripsit indicativo etiam asseverantius. Cogitabis autem ad, « venientia metuat sapiens », « si in malis ea vere ponit »: ita coïbunt facile omnia. G.

4. *Negarent.* Refer ad *Academicos vett.* qui in *Academia vetere* latent: sic sæpe auctor G.

5. *Mediocritates illi probabant.* Cf.

permotione naturalem volebant esse quemdam modum. Legimus omnes Crantoris[6], veteris academici, de Luctu[7]. Est enim non magnus, verum aureolus, et, ut Tuberoni Panætius[8] præcipit, ad verbum ediscendus libellus. Atque illi quidem etiam utiliter a natura, dicebant, permotiones istas animis nostris datas[9]: metum cavendi causa; misericordiam ægritudinemque, clementiæ; ipsam iracundiam, fortitudinis quasi cotem esse dicebant[10]: recte, secusne, alias viderimus[11]. Atrocitas quidem ista tua quo modo in 136

Brut. 40, 149. Proprie quidem ista μεσότης Aristotelis erat: sed Academici vett. qui in seqq. nominantur, in his cum Aristotele faciebant. G.— *Mediocritates... prob.* H. e. mediam viam tenent, quam ultra citraque nequit consistere id quod rectum est. H.

6. *Crantoris.* Nimirum Crantor, discipulus Xenocratis, inter principes sapientes veteris academiæ censetur. Vid. Tusc. Qu. III, 6. H.

7. *De Luctu.* Supple *librum.* Diogen. Laert. IV, 27: Θαυμάζεται δὲ αὐτοῦ μάλιστα βιβλίον τὸ περὶ πένθους. Quem librum Cicero pæne totum suum fecit in *tertio* Tusculanarum. Conf. *Bayle*, Diction. I, pag. 929. G.

8. *Tuberoni Panætius,* hunc librum commendarat in alio ejusdem argumenti, quem ille huic inscripserat, cf. Fin. IV, 9, 23. G. — E quatuor Tuberonibus a Cicerone huc illuc laudatis, h. l. dicitur Lucius Tubero, e familia Æliorum, qui erat legatus Quinti Ciceronis in Asia. De aliis, si tanti est, v. pro Muræn. cap. 36, et Brut. cap. 32. H.

9. *Atque illi quidem etiam utiliter a natura, dicebant, permotiones... datas. Illi*, ex contextu, debent esse Academici vett. At Tusc. IV, c. 19-26, hæc ipsa sententia solis peripateticis adscribitur: neque videntur illi hunc locum diligentius tractasse; alias, in tam late disputatis, Cicero eorum, nisi plane fallor, ibi mentionem fecisset. Quid, quod ipsa adeo verba ibidem Peripateticis vindicantur? Ita dictum illud, « iracundiam cotem fortitudinis esse » 19, 43 (cll. Lact. Instit. Divv. VI, 19, 2) solis his tribuitur. Quid igitur judicamus? Hoc scilicet, Ciceronem, *Academicos* latiori sensu quum etiam alias dicat Peripateticos simul complectens, h. l. communi nomine hos separatim, et præ ceteris, intellexisse. Quod eo magis licebat, quum Antiochus Academicos vett. et Peripateticos eosdem vellet; atque hinc inde proxima § dicatur, « Xenocratem et Aristotelem quasi eosdem vultis ». G.

10. *Ipsam iracundiam fort. quasi cotem esse.* Bene vertit *Castillon*: « La colère même, pour aiguiser notre courage ».

11. *Recte, secusne, alias viderimus.* Ad duo hæc, quæ maxime Peripateticorum erant, referuntur, 1° verba « in omni permotione naturalem (atque inde necessarium) volebant esse quemdam modum », et 2° illa, « utiliter permotiones istas animis datas », quæ supra leguntur. G.

veterem academiam irruperit, nescio [12]. Illa vero ferre non possum, non quo mihi displiceant; sunt enim Socratica pleraque mirabilia stoicorum, quæ παράδοξα nominantur: sed ubi Xenocrates, ubi Aristoteles ista tetigit? hos enim quasi eosdem esse vultis [13]. Illi umquam dicerent, sapientes solos reges, solos divites, solos formosos? omnia, quæ ubique essent, sapientis esse? neminem consulem, prætorem, imperatorem, nescio an ne quinquevirum [14] quidem quemquam, nisi sapientem? postremo, solum civem, solum liberum? insipientes omnes, peregrinos, exsules, servos, furiosos? denique [15] scripta Lycurgi,

12. *Atrocitas quidem ista tua... irruperit, nescio. Illa vero.* Sic Gœrenz, nisi quod interpungit: *nescio: illa vero.* Intellige, inquit, «quomodo tam atrocia præcepta (sapientem numquam cupiditate moveri, nulla lætitia efferri; numquam timere, dolere) qualia tu (cum Stoicis) statuis, in Academiam veterem venerint, non dispicio». *Irrumpere* autem eleganter de re quaque intempestive intercedente. Cf. Ligar. 5, 13. Denique vulgo ubique vitiose post *nescio* puncto maximo distinguitur, quum intt. constructionem ex Græcis, Platone maxime, imitatam, οὐκ οἶδα· ἀλλὰ, non viderent, quæ fere semper cum urbanitate transeuntis est, et eo sensu dicitur, quo, «non quæram, non rimabor, etc.» *Illa* ad παράδοξα proxime refertur: sed auctor græcam vocem ideo tam alte rejecit, ut latinam illam, *admirabilia*, qua hanc expressit, præmitteret.

13. *Hos enim quasi eosdem esse vultis.* His Cicero nihil, nisi hoc dicit, «vos Academicos vett. et Peripatt. eosdem dicitis». Composuit autem ingeniosissimum veteris Academ. virum cum Aristotele, Peripateticorum auctore, atque ita, *personas* comparans, non potuit, quin *quasi* suum adderet. G.

14. *Quinquevirum.* Parum adhuc de his *quinqueviris* quæsitum est. Præter ea, quæ Intt. ad Liv. XXXI, 14, et ad Horat. Serm. II, 5, 55, congessere, locus classicus est Digestt. l. I, t. 2, c. 2, med. «Quia magistratibus, vespertinis temporibus in publicum esse, inconveniens erat, quinqueviri constituti sunt cis Tiberim et ultis (scr. uls) Tiberim, qui possent pro magistratibus fungi». En tibi quasi *magistratum nocturnum*, qui noctis tempore reliquorum loco magistratuum erat! Iis, teste Asc. Ped. p. 96 ed. Ald. aditus fere erat ad magistratus majores capessendos. Equidem unum modo horum ultra Tiberim *præfecti vigilum* nomine fuisse, reliquos 4 cis Tiberim inspectionem habuisse, qui ipsi *Cistiberorum* nomine insignirentur, argumentis sat probis judico. G.

15. *Furiosos? denique scripta Lycurgi.* Olim post *denique* interpungebatur, quod defendit Davis. Et nostri

Solonis, duodecim Tabulas nostras, non esse leges? ne urbes denique, aut civitates[16], nisi quæ essent sapientium? Hæc tibi, Luculle, si es assensus Antio- 137
cho, familiari tuo, tam sunt defendenda, quam mœnia; mihi autem, bono modo; tantum, quantum videbitur[17].

XLV. Legi apud Clitomachum[1], quum Carneades et stoicus Diogenes ad senatum in Capitolio starent, A. Albinum[2], qui tum, P. Scipione et M. Marcello

quoque codd. duo eodem modo. Sed, ut taceam, hac in re scriptis auctoritatem pæne nullam esse: nuspiam *denique* in clausula deprehendes; a fronte autem enunciati recte. Cf. pro Quint. 23, 74. Sed quid hoc est? Quo demum modo, *scripta Lycurgi?* quum Lycurgus leges suas non modo non scripserit, sed etiam scripto umquam asservari vetuisse dicatur! Equidem *scita* scribi malim, id est leges communi consensu latas, et acceptas, ut *Memmii scitum* dicitur, etc. Quis autem nescit, quam sit ubique *sciscere* et *scitum* in codd. corruptum. Cf. Offic. III, 11, 1, ibique Heusingg. adde Legg. I, 15, 42. G.

16. *Ne urbes denique, aut civitates*. P. Manut. *ne... quidem* suadet. Offendit enim in *ne* pro *ne... quidem* posita, et in *denique* repetito. *Ne* pro *ne quidem* dictum concedit Bremi aliis Latinis, a Cicerone sic dici, dubitat. Aliter judicat Ruhnk. ad Rutil. II, 17, pag. 129. Nos exceptionis hujus causam probabilem nullam videmus, idque maxime, quum haud pauca loca deprehendantur, ubi in hac *ne*, ut h. l. plene scripti consentiant; plura etiam, in quibus *quidem* a scribis additum videatur. Præter ea, quæ Ruhnk. l. l. affert, cf. supra II, 17, 52. *Denique* autem sic repetite ponitur II Catil. 11, 25, ubi adeo *postremo* interponitur. Duo denique mei, et ψ. *ne urbis... civitatis*, atque ita edd. vett. plures: sed videntur hæc scribæ ad *leges* retulisse; alias enim Cicero *urbîs* non scribit. G.

17. *Hæc tibi... videbitur*. Id est, « Pro his tibi, tamquam pro aris et focis, pugnandum est; mihi contra, quod meo commodo fiat, tantum, quantum placebit ». Notanda enim dicendi forma *bono modo*, quam *Castillon* h. l. satis apte, « de la bonne manière », vertit. Cf. Att. III, ep. 23, Q. Fr. II, ep. 6. Apud Comicos eadem ipsa sæpius obvia est, respondereque græco μετρίως videtur. G.

XLV. 1. *Clitomachum*. De Clitomacho, ingenioso scriptore, legimus apud Euseb. præp. ev. lib. XIV, 4, p. m. 726, ed. Colon. Μετὰ δὲ τὸν Ἀρκεσίλαον, τοὺς ἀμφὶ Καρνεάδην καὶ Κλειτόμαχον, τῆς τῶν προτέρων δόξης ἀποτραπέντας, τρίτης Ἀκαδημίας αἰτίους γενέσθαι φασίν. H.

2. *Albinum*. De *Albino* vid. Ern. Cl. Hist. h. n. Cf. Pighium in Annall. ad a. U. 598, qui inde acute conjicit, Albinum tum prætorem urbanum fuisse, quippe cui hoc munus fuisset, ut legatos acciperet; verissimeque idem verba, « ad senatum in Capitolio sta-

coss., prætor esset, eum, qui cum avo tuo, Luculle, consul fuit, doctum sane hominem, ut indicat ipsius historia, scripta græce, jocantem dixisse Carneadi: « Ego tibi, Carneade, prætor esse non videor, quia « sapiens non sum; nec hæc urbs, nec in ea[3] civitas ». Tum ille, « Huic stoico non videris[4] ». Aristoteles, aut Xenocrates, quos Antiochus sequi volebat, non dubitavisset, quin et prætor ille esset, et Roma urbs, et eam civitas incoleret. Sed ille noster[5] est plane, ut supra dixi, stoicus, perpauca balbutiens[6].

138 Vos autem mihi veremini, ne labar ad opinionem, et aliquid adsciscam et comprobem incognitum; quod minime vultis. Quid consilii datis[7]? Testatur sæpe

rent », non de intromissis, sed de intromittendis intelligit; sic ut hæc *Albinus* his, quum eos introduceret, dixisse putandus sit. Dixisset enim auctor *ad curiam*, ut alibi, cf. Catil. II, 3, 5, nisi *in Capitolio* senatus habitus fuisset. Senatus autem in Capitolio legatis datus etiam alibi memoratur, vid. Liv. VIII, 5, maxime fœderis pangendi causa ibid. XXXVI, 55. G.

3. *Nec hæc urbs, nec in ea civitas.* Vera hæc lectio est, licet etiam tres mei priorem *nec* in *nam* mutent, et Erl. « ne urbs, ne hæc civ. » præbeat. Sæpe sic *nec*, ex duplici comp. *n* et *nc* cum his partt. mutatur. *Hæc* autem repetitum ex correctione est, quum *mea* pro *in ea* legeretur, ut duo mei peccant. G.

4. *Huic Stoico non videris.* Ita ex contracta oratione auctor pro « mihi tu quidem prætor videris; sed huic, qui Stoicus est, non videris ». G. — Gœrenz *stoico* inter virgulas posuit, quod minime necesse est.

5. *Sed ille noster.* Sic recte reposuit Ern. Davisio sua sponte *vester* corrigente. Cic. ideo *noster*, quippe qui Antiochum et audisset, et in pluribus etiamnum probaret. G.

6. *Perpauca balbutiens.* Minus clare Ern. hæc et ad hunc l. et in Clave v. *balbutire*. Dicitur enim de philosopho, « non recte et accurate disputante », ut Divin. I, 3, 5, « Epicurum balbutientem de natura deorum ». G.

7. *Vos autem mihi veremini, ne labar ad opinionem... quod minime vultis. Quid consilii datis?* Hunc locum affectum esse, Lambin. Davis. Bentl. aliique statuunt. Lambinus quidem, qui *vereri videmini* conjicit: posse tamen vulgatam ferri concedit, si « mihi veremini » pro « mihi timetis » explicari liceat. Quod nemo dubitabit, quum *mihi* pro *mea causa* dicatur. Bentl. cum quo facit Davis. sic mutat: « Vos autem, qui veremini, ne labar ad opinationem... quod minime vultis, quid consilii datis? » Per se quidem optime. At *opinationem*, quod loci sensum flagitare etiam Davis. statuit, corrigere necesse non est;

Chrysippus, tres solas esse sententias, quæ defendi
possint, de finibus bonorum; circumcidit et amputat multitudinem. Aut enim honestatem esse finem,
aut voluptatem, aut utrumque. Nam qui summum
bonum dicant id esse, si vacemus omni molestia, eos
invidiosum nomen voluptatis fugere; sed in vicinitate versari. Quod facere eos etiam, qui illud idem
cum honestate conjungerent; nec multo secus eos,
qui ad honestatem prima naturæ commoda adjungerent. Ita tres relinquit[8] sententias, quas putet probabiliter posse defendi. Sit sane ita : quamquam a 139
Polemonis, et peripateticorum, et Antiochi finibus
non facile divellor, neque quidquam habeo adhuc probabilius; verumtamen video[9], quam suaviter

quia sæpe auctor v. *opinio* universe ponit, ut *opinatio* valeat; imprimis quum *ad*, non *in*, ponatur. Alia fortasse res foret, si *opinione* legeretur: ut alias scribit. Hoc sane nos quoque offendit, ad hæc tam arte cohærentia, nimis abrupte quæri, «quid consilii datis?» Cur autem *qui* exciderit, plane nescimus, atque inde vel sic Bentleianæ conjecturæ diffidimus. Si corrigendum est, ita levi manu scribimus: «Vos autem mihi, si veremini, ne labar ad opinionem... incognitum, (quod minime vultis), quid consilii datis»? Amat enim componere auctor pronomina; hinc *mihi* non posterius adjecit. *Si* autem post *hi* sæpe excidit, multo magis inde post *mihi*, per comp. scriptum omitti potuit. Jam proprie constructio, «quid autem vos mihi», procedere debebat: sed vis loci in *vos* quum esset, conditione interposita, suapte natura verborum ordo, quem vides, enatus est. Stoici denique ἀγνώστῳ συγκατατίθεσθαι turpissimum judicabant; unde auctor in parenthesi addit, «quod minime vultis», id est, «quod vos tantopere cavendum esse dicitis». Cf. 35, 113; 36, 114. G.

8. *Ita tres relinquit sent.* Gœrenz dat: «ita tris relinqui sent.» Ante Davisium, inquit, *reliquit* vulgabatur, qui sane rectius e tribus suis *relinquit:* quod tres itidem mei, et Ven. 1494. Crat. aliæ, tuentur. Sed altiore radice vitium hæret, quam ut sic locus persanatus sit; quod vel subjunct. *putet* testatur. (Unde, per se non male, Rath. *putat* corrigi jubet.) Obliqua enim oratio ad verba, «sit sane ita», pergere debet. Pertinent autem «ita tr. rel. sent.» ad Chrysippi argumentationem sic, ut ejus conclusionem contineant, et *relinqui* ab omisso *dicit* pendet, ut reliliqua infinita, quæ præcedunt.

9. *Sit sane ita : quamquam a Pol..... probabilius; verumtamen video.* Pessime hic l. omisso *quamquam*, ab Ern. sic scribitur: «Sit sane ita. a Polemonis... probabilius. Verumtamen, etc.» Sed omissa est

voluptas sensibus nostris blandiatur. Labor eo, ut assentiar Epicuro, aut Aristippo. Revocat virtus, vel potius reprehendit manu[10]; pecudum illos motus esse dicit; hominem jungit deo[11]. Possum esse medius: ut, quoniam Aristippus, quasi animum nullum habeamus, corpus solum tuetur; Zeno, quasi corporis simus expertes, animum solum complectitur; ut Calliphontem sequar[12], cujus quidem sententiam Carneades ita studiose defensitabat, ut eam probare etiam videretur. Quamquam Clitomachus affirmabat, numquam se intelligere potuisse, quid Carneadi probaretur. Sed, si ipsum [finem[13]] velim sequi; nonne ipsa veritas[14], et gravis et recta ratio mihi obversetur?

haud dubie in hujus ed. part. *quamquam* typothetarum vitio; quippe quæ sit codicum, editorumque omnium. Necessario vero parenthesis quæ *quamquam ... probabilius* includat, nobis addenda videtur: idque magis quum pæne innumeris locis *quamquam* parenth. ingrediatur (cf. Philipp. V, 2; VII, 8; XIII, 3; XIV, 3), eamdemque *verumtamen* excipiat; conf. Tursell. de Partt. p. 908 seq. G.

10. *Revocat virtus, vel... reprehendit manu.* Lamb. *prehendit:* sed vulgata multo est melior, quum in *re* sententiæ vis sit. G.

11. *Hominem jungit deo.* Davis. cum Ernest. *jungi* suadent: sed nos vulgatam elegantiorem adeo censemus, si *dicendo* intellexeris, vel potius pro, « docet junctum esse », capias. Similiter enim auctor ubique. G. — *Hom. j. deo.* H. e. voluptatem rem esse corpoream, belluinam, adeoque prorsus indignam quæ sit hominis finis, siquidem dei nos cognatione tenemur. Vid. de Legg. I, 7, ibi interpp. et Tiedem. *Syst. d. Stoi. Phil. Th. III*, p. 143; Cinderv. ad Cic. N. D. vol. I, p. 73 seqq. H.

12. *Ut... ut Calliphontem sequar.* Repetitam *ut* hoc loco Ern. defendit, licet parum sibi constans, eamdem alibi damnet, cf. supra 15, 49. Plures scripti posteriorem in *aut* mutant: sed 2 mei recte *ut.* Ven. 1494, *ut aut* utroque juncto. G. — De Calliphonte vide supra, cap. XLII, § 131.

13. *Sed si ipsum finem velim sequi.* Gœrenz delet *finem.* Recte, inquit, abjecit Davis. ex Paris. 5, probante Ern. vocem *finem*, quæ vulgo post *ipsum* additur, atque eamdem ignorat etiam Gud. Redit enim auctor, interpositis nonnullis, ad verba, « ut Calliphontem sequar ». *Sed* autem proprie, post quædam interserta, orationem resumentis, nemo nescire debet, qui auctoris scripta vel primis labris degustavit.

14. *Nonne ipsa veritas, et gravis et recta ratio mihi obversetur.* Gœrenz dat: « nonne ipsa severitas ». Quem audiamus: Davis. et Ern. correxere *veritas*, prout etiam meorum

Tu, quum honestas in voluptate contemnenda consistat, honestatem[15] cum voluptate, tamquam hominem cum bellua, copulabis?

XLVI. Unum igitur par, quod depugnet[1], reliquum est, voluptas cum honestate. De quo Chry- 140
sippo fuit, quantum ego sentio, non magna contentio. Alterum si sequare, multa ruunt[2], et maxime communitas cum hominum genere, caritas, amicitia, justitia, reliquæ virtutes; quarum esse nulla potest, nisi erit gratuita[3]. Nam quæ voluptate, quasi mercede aliqua[4], ad officium impellitur, ea non est virtus, sed fallax imitatio simulatioque virtutis. Audi contra illos, qui nomen honestatis a se ne intelligi quidem

recentissimus, Wrat. præbet. Sed jam ad Legg. I, 1, 4, ubi æque hæc vox corrigitur, plura de ejus propria notione diximus. *Severitas* enim est *sæva veritas* in dictis, et rebus. Sed mira lectio Gud. 2 *voluntas* prætereunda non est. Quam tamen glossam magis ad *severitatem*, quam *veritatem* aptare liceat. Quid? si legeris, «nonne ipsa gravitas et recta ratio mihi adversetur?» Sic *gravitas* de «severa sentiendi cogitandique ratione» (nam de fine bonorum agitur,) dicetur, quæ a *recta ratione*, ὀρθῷ λόγῳ pendet. Atque tum ex compendio facile subst. in adjectivum mutari potuit: *severitas autem* et *voluntas* substantivi glossemata forent. Offendit certe me duplex vocula in «et gravis et recta rat.» quam, nisi utramque explicativam statueris, ex auctoris usu vix defendero.

15. *Honestatem... copulabis*. Gœrenz dat: «sic hon... copulabis». *Sic*, inquit, abest vulgo. At Gut. Dr. Wrat. *si;* unde vix dubium esse debet, quin part. *sic* ad exemplum græci οὕτως, objicientis et exprobrantis propria, obliterata sit. Objectioni quoque futurum tempus inservit. Præcedere item *sic* particulæ *tamquam* sæpissime solet.

XLVI. 1. *Unum igitur par, quod depugnet*. Sumpta a gladiatoribus similitudine hoc vult auctor: «Duo restant finium genera, quæ dijudicanda sunt». G.

2. *Alterum si sequare, multa ruunt*. Erl. *sequere*, quod quidem ob *erit*, quod sequitur, non est abjiciendum. Nam indicativi, qui proxime sequuntur, in oratione asseveratiore Ciceroni sunt ex more. Sed vulgata ferri recte potest. Quæ deinceps loquuntur, ad Epicurum pertinent, et enucleatius disseruntur Legg. I, 18 et 19. G.

3. *Nisi erit gratuita*. Has observationes opponit Cic. Epicuro, statuenti ἀρετὰς διὰ τὴν ἡδονὴν αἱρεῖσθαι. Vid. interpp. ad Diogen. Laert. X, s. 138, coll. Cic. Tusc. Qu. V, 26, 41. H.

4. *Quasi mercede aliqua*. Gud. ignorat *aliqua;* quod recte abesse potest: nam *quasi*, ut sæpe, *tamquam* notat; sententia etiam pronomine nimis coarctatur. G.

dicant, nisi forte, quod gloriosum sit in vulgus [5], id honestum velimus dicere; fontem omnium bonorum in corpore esse; hanc normam, hanc regulam, hanc præscriptionem esse naturæ [6]; a qua qui aberravisset, eum numquam, quid in vita sequeretur, habiturum.
141 Nihil igitur me putatis [7], hæc [8], et alia innumerabilia quum audiam, moveri? Tam moveor, quam tu, Luculle; neque me minus hominem, quam te putaveris. Tantum interest, quod tu, quum es commotus, acquiescis, assentiris, approbas [9]; verum illud, certum, comprehensum, perceptum, ratum, firmum, fixum vis [10]; deque eo nulla ratione neque pelli, neque moveri potes: ego nihil ejusmodi esse arbitror, cui si assensus sim, non assentiar sæpe falso [11], quo-

5. *Nisi forte, quod gloriosum sit in vulgus.* De iis loquitur, qui honestum tum modo expetunt, si inde mercedem et emolumenta sperant, atque ita verbi causa «innocentes et verecundi sunt, ut bene audiant, et ut rumorem bonum colligant». Legg. I, 19, 50. G.—Hos inter qui honestatem nil aliud esse contenderunt nisi nomen ductum ex eo quod gloriosum sit in vulgus, apud recentiores eminent Helvetius, cujus videatur liber *de l'Esprit*, et Anglus *Mandeville*, in percelebri *Fable of Bees*.

6. *Hanc normam... esse naturæ.* Nempe fontem omnium bonorum in corpore positum putare, i. e. in voluptate. G.

7. *Putatis.* Sic Davis. loco prius vulgatæ *putabis*, confirmantibus etiam meis. Ferri aliquo modo plurium numerus potest: malim tamen *putas*, quum hæc proxime ad Lucullum dirigantur. G.

8. *Hæc et alia.* Gœrenz dat: «et hæc, et alia», ex Er. et Wrat.

9. *Quum es commotus, acquiescis, assentiris, approbas. Acquiescis* sensus est ambigui propter præcedens *commotus*. Inde non sine causa videtur, quod Gud. Dr. et Wrat. *asciscis* exhibent. Scribendum enim videtur, «quo es commotus, asciscis, etc.» ut omissum post relativum *id* hoc etiam loco, ut toties videre est, turbas fecisse putetur. Hinc fortasse etiam repetendum, quod Erl. *qui* pro *quum* offert. Cf. § 137, «aliquid adsciscam, et comprobem incognitum».

10. *Fixum vis.* Ejecimus cum Davis. et Ern. jussu Gud. *fuisse*, quod in scriptis plerisque, et edd. vett. omnibus ante *vis* additur, quodque stare nequit, quum *verum... fixum* semper maneat. Deberet igitur certe *esse* scribi. Sed quum idem etiam a binis scriptis aliis abesse dicatur, rectius deletum est. G.

11. *Assentiar sæpe falso.* Hoc eosdem et Lamb. secuti dedimus; licet nostri cum aliis præter Reg. omnibus *false* vel *falsæ* peccarent. Sæpius au-

niam vera a falsis nullo discrimine separantur, præsertim quum judicia ista dialecticæ nulla sint.

Venio enim jam ad tertiam partem philosophiæ. 142
Aliud judicium Protagoræ[12] est, qui putet[13] id cuique verum esse, quod cuique videatur; aliud Cyrenaicorum[14], qui, præter permotiones intimas, nihil putant esse judicii; aliud Epicuri[15], qui omne judicium in sensibus, et in rerum notitiis, et in voluptate constituit. Plato autem omne judicium veritatis, veritatemque ipsam, abductam ab opinionibus et a sensibus, cogitationis ipsius et mentis[16] esse voluit.
Numquid horum probat noster Antiochus[17]? Ille vero 143

ctor in antecedd. *assentiri falso;* quod præbent h. l. etiam Asc. et Crat. Dresd. denique non *dialecticæ*, sed *dialecticorum;* quod præferendum videtur. G.

12. *Protagoræ.* De quo vid. Diog. Laert. IX, 51, ibique Menagium; Fabric. ad Sext. Emp. P. H. lib. I, 32, s. 226; Platon. Phæd. pag. 273 ed. noviss. Fischeri. Sext. Emp. advers. logic. s. 388, pag. 446, Fabric. H.

13. *Qui putet.* Lamb. Davis. Rath. *putat* corrigunt ob sequentes indicatt. Per se quidem recte : sed quum ejusmodi modorum enallagæ Ciceroni haud infrequentes sint (cf. Wopk. 79 seqq.), quumque sæpe Cic. *qui* pro *quum is* et *quippe qui :* nihil mutare audemus. Ceterum nota in vulgus est Protagoræ sententia, μέτρον χρημάτων ἄνθρωπος, de qua apte apud Plat. Theæt. 91, Bip. judicat Socrates, eam magis ad deos pertinere, quam ad homines. Verba autem Ciceronis, « qui putet id cuique verum esse, quod cuique videatur », apud Platonem l. l. totidem Græcis vide, τὸ δοκοῦν ἑκάστῳ, τοῦτο καὶ εἶναι τῷ δοκοῦντι. G.

14. *Cyrenaicorum.* De Cyrenaicis vide supra 7, 21; cll. 42, 131. G.

15. *Epicuri.* De Epicuri κριτηρίῳ, 25, 79, 32, 101. G. — De hac Epicuri sententia vid. Gassendi not. in s. 23, lib. X, Diog. Laert. p. 64. J. V. L.

16. *Cogitationis ipsius et mentis.* Scripti tres mei *cognitionis :* permutatione ab utraque parte pervagata. Cf. Orat. I, 3; Off. I, 6, 7, et ibid. 44, 10. At h. l. quæ mira ratio? putes transponendum esse, « cogitationis, et mentis ipsius ». Minime. *Ipsius* est, ut Græci αὐτοῦ, *solius.* N. D. I, 10, 25. *Et* autem explicativa est pro *id est.* Sed vel sic nondum plane videbis, cur sic auctor, nisi Græca cogitaris, νοήσεως αὐτῆς καὶ νοῦ, ut sæpe Plato. Νόησις (*thätige Vernunft*) autem Platoni est νοῦς κατ' ἐνέργειαν, ut νοῦς est νόησις κατὰ δύναμιν : si quidem cum Aristotele loqui licet. Ciceroni sic conjugatum ponere non licebat. G. — Vertit hanc sententiam *Castillon :* « Platon affranchit toute connaissance du vrai, et le vrai lui-même, de l'incertitude et des sens, et il en fait l'attribut de la pensée et de l'entendement ».

17. *Noster Antiochus.* Correxit Davis. *vester Ant.* sed vide § 137. G.

ne majorum quidem suorum[18]. Ubi enim aut Xenocratem sequitur, cujus libri sunt de ratione loquendi multi, et multum probati? aut ipsum Aristotelem, quo profecto nihil est acutius, nihil politius? A Chrysippo pedem numquam[19].

XLVII. Qui ergo Academici appellamur? an abutimur gloria nominis[1]? aut cur cogimur[2] eos sequi, qui inter se dissident? In hoc ipso, quod in elementis dialectici docent, quo modo judicare oporteat, verum, falsumne sit, si quid ita connexum est, ut hoc: « Si dies est, lucet »; quanta contentio est? Aliter Diodoro, aliter Philoni [3], Chrysippo aliter placet.

18. *Majorum... suorum.* Volebat enim Antiochus ad Academiæ veteris *familiam* referri. Hinc *Xenocrates* et *Aristoteles* junguntur, quippe quos nihil inter se differre statueret § 136, hunc etiam cum Peripateticis in Acadd. vett. numeraret. Ex libris Xenocratis, qui huc spectant, plures nominat Diogen. Laert. IV, 13. G.

19. *A Chrysippo pedem numquam.* Vix dispicere licet, cur VV. DD. communem, ut videtur, scriptorum lectionem deseruerunt: nullus certe nostrum, nullus impressorum vett. quos vidi, *nusquam*, prout vulgatur. Imo hoc etiam vitiosum est: nam certe corrigendum fuerat *nuspiam*.— Plena sententia est, « a Chrysippo numquam pedis latitudinem discedit ». Id ne dubites, conf. Dejotar. 15, 42. Notum nempe proverbium est, apud Plautum, alibique obvium, *pedem latum;* ad quod auctor respexit. G.

XLVII. 1. *Qui ergo Academici appellamur? an.... nominis?* Proprie constructio sic pergere debebat, « An ergo nos, qui Acadd. appellamur, ab. gloria nom. » Male igitur vulgo, post *appellamur*, aliud rogandi signum ponitur. *Nos* ex frequenti ellipsi cogitandum omittitur. G.

2. *Cogimur.* Notat, « omni modo movemur, urgemur »; sc. ut tu, Luculle, facis. Cf. § 19. G.

3. *Aliter Diodoro, aliter Philoni.* Male *Diodoto* vulgo, ut vidit Davis. qui *Diodorum*, cui cognomen Κρόνου erat, recte intelligit, laudans Sex. Empir. Pyrrhon. II, 110, cll. adv. Math. VIII, 113. Omnes etiam mei *Diodoro* præbent. Idem Davis. æque recte *Philonem*, non eum, qui vulgo quartæ Academiæ adscribitur (ut Wetzel. ex errore), sed hunc, qui, Zenonis apud Diodorum condiscipulus, et familiaris, Diog. Laert. VII, 16, librum περὶ σημασιῶν scripsit, contra quem librum Chrysippus alium composuit, Diog. Laert. ibid. § 191. Unde idem hic illi subjicitur. G.— Inter hunc Diodorum, et Chrysippum magna fuit etiam περὶ ἀδυνάτων contentio quam narrant Cic. de fato, c. 7; Hieron. adv. Pelag. dial. pag. 557, E. et A. Gellius N. A. VII, 12. DAVIS.

Quid? cum Cleanthe[4], doctore suo, quam multis rebus Chrysippus dissidet? Quid? duo vel principes dialecticorum, Antipater[5] et Archidemus[6], opiniosissimi homines[7], nonne multis in rebus dissentiunt?
Quid me igitur, Luculle, in invidiam, et tamquam in 144
concionem vocas[8]? et quidem, ut seditiosi tribuni solent, occludi tabernas jubes[9]? Quo enim spectat illud, quum artificia tolli quereris a nobis, nisi ut opifices concitentur? Qui si undique omnes convenerint, facile[10] contra vos incitabuntur. Expromam primum illa invidiosa, quod eos omnes, qui in concione stabunt, exsules, servos, insanos esse[11] di-

4. *Cleanthe..* De Cleanthe fusius et docte exposuit Ven. Cludius introd. ad libellum suum : Κλεάνθους ὕμνος εἰς Δία. gr. et teuton. Goett. 1786, 8 maj. Cf. Stob. Ecl. phys. p. 30, t. I, ed. Heeren. H.

5. *Antipater* Stoicus memoratur apud Stobæum, tom. I, pag. 180; tom. II, 134, 152. Tiedem. *Syst. d. Stoi. Philos.* de physica Stoicor. doctrina agit. Conf. quoque ej. *Geist. d. sp. Ph.* l. c. II, 542. H.

6. *Archidemus.* Dicitur Stobæo Archedemus, Ecl. phys. t. I, p. 134, Heer. erat Stoicus, Tarsi oriundus. Diog. Laert. VII, 1, 53. Fabric. B. Gr. vol. II, pag. 390. H.

7. *Opiniosissimi homines.* Quomodo Cic. Antipatrum et Archidemum, *Stoicos*, sic dicere potuerit, non statim liquet; nisi sic acceperis, « qui opinioni, licet eam, ut Stoici, verbis contemnant, re tamen maxime indulgent ». H.

8. *Quid me igitur... in invidiam, et tamquam in concionem vocas?* De voce *invidia*, quatenus huc pertinet, cf. supra 41, 126. Verba deinde, « in conc. vocas », ad « seditiosum tribunum » referuntur, qua comparatione Lucullo Cicero eleganter refert et remunerat, quod ille ipsum et partis ipsius philosophos pari ratione cum seditiosis civibus compararat, vide 5, 13. G.

9. *Occludi tabernas jubes.* Quod (obs. Ern.) faciebant trib. pl. ut omnis plebs adesset in concione, et incitari posset adversus eum, quem in invidiam adducere apud populum vellent. H.—De hac voce cf. Liv. III, 27; IV, 31; IX, 7; Cic. pro Flacco, 8.

10. *Facile.* Gœrenz vult addi *etiam*.

11. *Omnes qui in concione stabunt, exsules, servos, insanos esse.* Verba, *qui... servos*, a plerisque Davisii, tribusque nostris absunt. Verissima hæc sunt, et a scriba aliquo omissa, qui integrum versum in codice duplici columna scripto (nam in ejusmodi codice hæc plenam lineam complent), omiserat. Ultima syllaba in v. *servos*, quum proximum versum inchoaret, in plerisque scriptis expressa est; sed deinde, in *nos* mutata, a nonnullis abjecta est. Nullo enim modo Cic. *vos* eo loco, quo Davis. vult, sed « quod vos eos omnes », scripsisset. *Stabunt*

catis; deinde ad illa veniam, quæ jam non ad multitudinem, sed ad vosmet ipsos, qui adestis [12], pertinent. Negat enim vos Zeno, negat Antiochus, scire quidquam. Quo modo, inquies? nos enim defendimus, etiam insipientem multa comprehendere. At scire negatis quemquam rem ullam, nisi sapientem [13]. Et hoc quidem Zeno gestu conficiebat [14]. Nam, quum extensis digitis adversam manum ostenderat, « Visum, inquiebat, hujusmodi est ». Deinde, quum paullum digitos constrinxerat [15], « Assensus hujusmodi ». Tum quum plane compresserat, pugnumque fecerat; comprehensionem illam esse dicebat. Qua ex similitudine etiam [16] nomen ei rei, quod ante non fuerat, κατάληψιν imposuit. Quum autem lævam manum admoverat [17], et illum pugnum arcte vehemen-

autem propter futura præcedd. unice recte ponitur. Verba denique *exsules*, *servos*, consulto, et apte delecta sunt ad *cives liberos*, libertatique omnia tribuentes, concitandos. Erl. plene vulgatam refert, modo quod *contentione*, ut ubique, pro *concione*, variatur. G.

12. *Qui adestis*. I. e. ad eos qui literarum humanitate exculti estis, quam multitudo tabernariorum, etc. nihil curat. G.

13. *Scire neg.... nisi sapientem*. Cf. Augustin. c. Acadd. lib. I, 7; Horat. Sat. l. II, 3, 43; Cic. de Orat. l. III, 18. Dav. H.

14. *Et hoc quidem Zeno gestu conficiebat*. Vide Excursum IV.

15. *Paullum digitos constrinxerat*. Davis. ex suo Cantabr. et Victoriana *contraxerat*, Crat. cum aliis vetus expressis *extraxerat*, Gud. *erexerat*. Sed hæc omnia vel ex glossa, vel ex mendo verbi vulgati ortum traxisse videntur. Reliqui mei *constrinxerat*, quod, ut verbum difficilius, retinendum fuit. Similiter *frontem constringere* dicitur. Gud. variat etiam *paullulum*: mutatione scribis solita. G.

16. *Qua ex similitudine etiam*. Gud. *est quæque*, pro *etiam*, miro vitio! Num forte *est*, *quod?* ut ad Græcorum normam, ἐκ τούτου ἐςὶ, ὅτι, hæc accommodata sint. Græcum exemplum Ciceronem in his narrandis sequutum esse, nullus dubito: sic verba, « quod ante non fuerat », plane Græcis respondent, ὅ γε πρότερον οὐκ ἦν. G.

17. *Admoverat*. Gœrenz dat *adverterat*. Vulgatur, inquit, *admoverat*. Ad quod paullo laxius verbum Lamb. vocem *pugno* præmittendam jubet. Sed debebat Davis. alteram lectionem, *adverterat*, sequi, quam ipse quum in tribus suis deprehendisset (firmant eam e nostris Gud. et Wrat.), nimis fastidiose contemnit. Videtur enim proximum Cicero in his, ut diximus, Græcum exemplar sequutus, ἐπιςρέψας expressisse. Deinde quis putarit, formam plane in vulgus notam, *manum*

terque compresserat, scientiam talem esse dicebat;
cujus compotem, nisi sapientem, esse neminem. Sed,
qui sapientes sint[18], aut fuerint, ne ipsi quidem so-
lent dicere. Ita tu nunc [19], Catule, lucere nescis; nec
tu [20], Hortensi, in tua villa nos esse. Num minus hæc 146
invidiose dicuntur[21]? nec tamen nimis eleganter; illa
subtilius. Sed, quo modo tu, si nihil comprehendi
posset[22], artificia concidere dicebas, neque mihi da-
bas, id, quod probabile esset, satis magnam vim ha-
bere ad artes: sic ego nunc tibi refero[23], artem sine

admovere, a scribis in difficiliorem commutatam esse?

18. *Qui sapientes sint, aut f.* Gœr. dat: « qui sapientes aut sint, aut f. » Vulgo, inquit, prior *aut* ignoratur: sed, quæ pro perpetuo auctoris usu ex ingenio addenda fuerat, eam servant Gud. Dr. Wrat. Ven. 1494, et Crat. Idem ediderat ex binis suis Dav. Olim vulgabatur Aldo auctore, « qui sapiens sit aut fuerit », atque ita Erl. Sed prave ad hæc contexta.

19. *Ita tu nunc*, etc. I. e. « Hac ratione, quum scientiæ nemo compos sit, nisi sapiens; qui autem in sapientibus numerandi sint, Stoici et Antiochus ne ipsi quidem dicant: tu, Catule, quum non sapiens sis, lucere nescis, etc. » G.

20. *Nescis; nec tu.* Davis. *et tu*, nec Ern. de lectionis veritate compertum habet: qua nihil certius est et indubitatius. Infinitis enim locis Cicero (ut alios auctores taceam), post *nescire*, et *negare*, *nec* eo sensu ponit, ut ex verbo negatio demenda sit. De *negare*, *nec* supra 25, 79, egimus: de *nescire*, *nec*, cf. Wopk. p. 48, cll. Davis. ad Divin. II, 37. Notum in vulgus est, haud bene Latinum esse, si *non scio* dixeris. Ne *haud scio* quidem, nisi in quibusdam formis, v. c. *haud scio an*, etc. Priscis autem temporibus recte sic dicebatur, cf. Orat. 47, 157: « *Non scire* quidem barbarum jam videtur; *nescire* dulcius ». Ex quo igitur *nescire* pro *non scire* dici cœpit, reliqua videtur constructio sic retenta esse, ut *nec* adjiceretur, ad quod *scire* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ intelligendum esset. Id quidem vel ex eo clarum videtur, si cum *nescire* alia negatio jungitur: tunc enim res quodammodo in ordinem redit. Cf. Orat. III, 32, 127. G.

21. *Num minus hæc invidiose dicuntur? Nec tamen nimis eleganter.* Sens. « Nonne ista, si de vestra sententia dixero, æque invidiam et odium excitare in vos poterunt, quam vos in nos excitare conamini nostram sententiam sic interpretati? Quamquam hæc a me dicta haud multum dialectici acuminis habent: illa autem tua sunt subtilius disputata ». Hinc per se intelligitur, *nimis* rectius se habere, quam *minus*, quæ natura sua in scriptis ubique permutantur. De vocis *eleganter* vi, cf. Ern. Cl. v. *elegantia.* G.

22. *Si nihil comprehendi posset.* Erl. et Dr. *comprehendi nihil.* Utraque lectio, quamquam varium sensum ex soni ratione præbet, ferri potest. G.

23. *Refero.* Idem est, quod alias

scientia esse non posse. An pateretur hoc Zeuxis[24], aut Phidias[25], aut Polycletus[26], nihil se scire, quum in his esset tanta solertia[27]? Quod si eos docuisset aliquis, quam vim habere diceretur scientia, desinerent irasci : ne nobis quidem succenserent, quum didicissent id tollere nos, quod nusquam esset; quod autem satis esset ipsis[28], relinquere. Quam rationem majorum etiam comprobat diligentia[29] : qui primum jurare « ex sui animi sententia[30] » quemque voluerunt; deinde ita teneri, « si sciens falleret », quod inscientia multa versaretur in vita; tum, qui testimonium diceret, ut « arbitrari[31] » se diceret, etiam quod ipse vidisset[32], quæque jurati judices cognovissent[33],

repono dicitur : alias *paria paribus* additur. G.

24. *Zeuxis.* De Zeuxide vid. Plin. Hist. Nat. 35, 9, seq. ibi Dalechamp. et Harduinum. Cic. de invent. lib. II, 1, et Junium de pictura, in catal. pictor. H.

25. *Phidias.* De Phidia cf. Cic. de Orat. l. II, 17; Orat. c. 1; Tusc. Qu. lib. I, 15: auctor erat celebris clypei Minervæ, in quo suam ipse imaginem dolose reliquisse fertur. H.

26. *Polycletus.* De Polycleto videndus Ælian. V. H. XIV, 8, ibi Perizon. Cic. Orat.Verrin. IV, 3, de Orat. l. II, 6, Brut. c. 86. H.

27. *Solertia.* De artificum magna quibusque in artibus excellentia *solertia* proprie dicitur. G.

28. *Tollere nos quod nusquam esset... relinquere.* Hæc plene Græca sunt : αἱρεῖν τὸ οὐδαμοῦ ὄν, τὸ δ' ἀρκοῦν αὐτοῖς καταλείπειν. Sensus est, « negare nos, eam scientiam vere esse, quæ nulla in re deprehendatur, eam contra nos admittere, qua ipsi contenti esse possint. » G.

29. *Majorum.... diligentia.* De circumspecta et provida ratione dicitur, qua veteres Romani jusjurandum cognitionis humanæ imbecillitati aptabant. G.

30. *Ex sui animi sententia.* Recte *sui*, ne ambiguitas lateret in formula; alibi omittitur pronomen, ubi hac cautione nihil opus. G. — De iis quas Cicero hoc loco memorat formulis, vide Cujacium Obss. lib. I, 21; lib. III, 26, ac Brisson. Form. lib. V, pag. 477, 482; VIII, pag. 710, seq. ac Savaronem ad Sidonii Apollinaris lib. III, ep. 12. Davis.

31. *Arbitrari.* Ad verbum *arbitrari* vide maxime pro Fontei. 9, 19. G.

32. *Etiam quod ipse vidisset.* I. e. « si vel ocularis testis esset », tamen eum modo teneri id, quod viderit, verbo *arbitrari* confirmare. *Quod* pro *de eo, quod*, ut sæpe. G.

33. *Cognovissent.* Verbum *cognoscere* de judicibus proprie dici, qui « in rem inquirunt, ejusque veritatem explorant », satis notum esse debet. Cf. Ern. Clav. v. *cognitio.* G.

ut ea non esse facta[34], sed ut « videri » pronuntiarent.

XLVIII. Verum, quoniam non solum nauta signi- 147
ficat, sed etiam Favonius ipse insusurrat, navigandi nobis, Luculle, tempus esse, et quoniam satis multa dixi, est mihi perorandum[1]. Posthac tamen, quum hæc quæremus[2], potius de dissensionibus tantis summorum virorum disseramus, de obscuritate naturæ, deque errore tot philosophorum, qui de bonis contrariisque rebus tantopere discrepant, ut, quum plus uno verum esse non possit, jacere necesse sit tot tam nobiles disciplinas[3]; quam de oculorum sensuumque

34. *Ut ea non esse facta, sed ut videri pron.* Gœrenz dat : « ea, non ut esse facta, sed ut v. p. » Sic, inquit, haud dubie veram auctoris manum reposuimus. Tres mei « ut ea non ut essent f. » Erl. « ut ea non aut esse f. » Ven. 1494, cum vett. edd. pluribus, « ut ea non ut esse f. » Non enim scribæ modo, sed VV. DD. etiam in hoc pronomine, conjunctionibus præmisso, nimis sæpe offendunt. Deinde nihil auctori frequentius est structura, « non ut . . . sed ut ». Conf. Catil. IV, 9, 19.—Omnes mei scripti cum vetus excusis, quos vidi, *pronuntiarentur.* Quod ferri potest : nam constructio est, « majores voluerunt, ut pronuntiarentur ». Sed vulgatam, si vere a scriptis est, præfero. G.

XLVIII. 1. *Tempus esse, et quoniam s. m. d. est mihi perorandum.* Sic Gœrenz, nisi quod delet *est* ante *mihi p.* observans: Erl. *est*, loco *esse*, cujus causa Grut. verba « et quoniam. . . perorandum », Guiet. autem omnia etiam quæ sequuntur ad verba *Stoici texuerunt* usque in subdititiis posuerunt. Sed satis his occurrit Davis. Ante *mihi* in vulgatis additur *est*, cujus loco Gud. et Wr. *sic*, Dr. *sit*, Erl. *et* præbent. Inde dubium non est, quin *est* delendum sit. *Mihi* autem recte adjungitur, quum priores rationes Ciceroni cum Lucullo communes erant, hæc autem ad ipsum solum spectabat. — *Perorandum.* Vox propria de finienda oratione. H.

2. *Posthac tamen, quum hæc quæremus.* Prave vulgo ante *quum* virgula distinguitur; nam constructio est, « Quum tamen posthac, etc. » *posthac* ob vim vocis præmisso. Æque prave post *disseramus* punctum ponitur, quum ea ex ordine memorentur, de quibus *postea* disseri Cicero malit. Fefellit VV. DD. quod ad verba *de dissensionibus* plena enuntiatio additur, quæ post philosophorum vulgato more subjicitur. Sed nihil auctori hac structura frequentius est. G. — *Posthac.* I. e. alio die, si denuo ad disputandum amici sapientes se congregaturi sint. Causas dissensionum inter philosophos alia vice se aperire velle promittit; et recte vidit Cic. in his causis investigandis veram *criticam* sapientiæ niti. H.

3. *Qui de bonis contrariisque rebus. . . disciplinas.* Hæc Gœrenz parenthesi includit.

reliquorum mendaciis, et de sorite, aut pseudomeno[4]: quas plagas ipsi contra se stoici[5] texuerunt.

148 Tum Lucullus: Non moleste, inquit, fero, nos hæc contulisse. Sæpius enim congredientes nos, et maxime in Tusculanis[6] nostris, si quæ[7] videbuntur, requiremus. — Optime, inquam. Sed quid Catulus sentit? quid Hortensius? — Tum Catulus: Egone? inquit. Ad patris revolvor sententiam[8], quam quidem ille Carneadeam esse dicebat, ut percipi nihil putem posse; assensurum autem non percepto, id est, opinaturum[9] sapientem existimem, sed ita, ut intelligat se opinari, sciatque nihil esse, quod comprehendi et percipi possit: per ἐποχὴν illam[10] omnium rerum com-

4. De *sorite* et *pseudomeno* supra diximus, ad c. 29. Iterum ablegamus ad eruditiss. Hottingeri not. ad Cic. de Divin. lib. II, 4, p. 174, seq. H.

5. *Quas plagas ipsi contra se Stoici texuerunt.* Hæc enim syllogismorum genera Stoici vel invenerunt, vel inventa magis excoluerunt. Inprimis autem in talibus Chrysippus ingeniosus fuit, quippe a quo ista fere omnia. Sorites proprie Chrysippeus vocatur. G.

6. *In Tusculanis.* In villa cujusque sua amici miscere volebant confabulationes de rebus philosophicis. H.

7. *Si quæ videbuntur.* Vulgatur *si qua*: sed omnes mei cum Ven. 1494, ut edidimus; atque ita Priscianus V, p. 162, Bas. unice recte scribi perhibet. Atque ita nuper correxere Wolf. Tusc. V, 8, 22, et Martyni-Laguna Divv. V, 2, 2, ibid. 8, 8, etc. G.

8. *Ad patris revolvor sententiam.* Vide supra 4, 12, « quæ heri Catulus commemoravit a patre suo dicta Philoni ». Quo ex loco clare patet, Catulum priore libro ex Carneadis sententia contra ea disputasse, quæ Philo noverat. Cogitandum igitur ad ista est, « quam heri exposui ». G.

9. *Opinaturum.* Gud. *opinatur* quo peccato supra 24, 77, scripti omnes contaminantur. G.

10. *Per ἐποχὴν illam.* Gœrenz dat *pariter* pro *per*; quem audiamus: In tot Virorum Doctorum conjecturis nos etiam symbolam nostram attulimus, *pariter*, loco *per*, quod plane nihil est, corrigentes. Sæpissime enim in codd. *per* ex comp. *pariter* scriptum vidimus. Meliorem certe hanc judicavimus reliquis, « semper, insuper, parum »: nam, qui « et, sed, nec, etc. » suadent, optare magis, quam judicare videntur. Neque movere te eorum, qui præferunt *nec*, ut Turneb. et *parum*, ut Davis. dubitatio debet; quippe qui Eusebio auctore (Præp. Ev. XIV, c. 7, φαίνεται ἀδύνατον εἶναι, ἄνθρωπον ὄντα, περὶ ἁπάντων ἐπέχειν), negent, Carneadem ἐποχὴν rerum omnium comprobare potuisse: quum h. l. de sapiente sermo sit, neque de homine vi sensuum oppresso. *Pariter* autem refertur ad *patris sententiam.* Paullo

probans, illi alteri sententiæ, nihil esse, quod percipi possit, vehementer assentior. — Habeo, inquam, sententiam tuam, nec eam admodum aspernor. Sed tibi quid tandem videtur, Hortensi? — Tum ille ridens, Tollendum [11]. — Teneo te [12], inquam. Nam ista academiæ est propria sententia.

Ita sermone confecto, Catulus remansit; nos ad naviculas nostras descendimus.

laxior autem constructio, quam vides, est auctoris in narrando propria.

11. *Tollendum.* Hoc parum intelligunt intt. Turneb. et Lamb. *tollendam* corrigunt. At Cicero Hortensium non provocarat ad judicium suum de Catuli sententia ferendum, sed de tota disputatione. Minus etiam bene Rath. *extollendum*. Velim enim locum videre, ubi *extollere* pro *differre in aliud tempus* tam simpliciter dicatur. In illo enim Plautino loco hanc vim contexta admittunt. Et tamen ne sic quidem ad contexta recte quadrat. Qui vulgatam servant, fere *assensum* intelligi jubent, Petro Fabro auctore. Davis. perquam coacte ad illam digitis extensis *adversam manum* Zenonis respici putat, qua ille, quod visum esset, explicabat § 145. *Tollendum* jubere Hortens. quo *esse visa* judicet, quæ tamen talia sint, ut ea nec assensus, nec perceptio sequi debeat. Ern. ambigue dictum sic vult, ut ad *tollendum* pariter *ancoras* et *assensum* intelligatur. At enim vero ad *Teneo te* applicanda vis verbi *Tollendum* erat. *Teneri* autem in disceptando ii dicuntur, quorum ambigue dictum adversarius ita arripit, ut in suam rem apte vertat. Jam dicit Hortens. *Tollendum* eo sensu, quo, ut supra § 146, *relinquendum* opponitur, id est, *rejiciendam* hanc sententiam judicat. Græcum autem verbum αἴρειν Academicis recentioribus proprium erat, si de συγκαταθέσει disputabant, quippe quam *tollerent*, solum πιθανὸν relinquentes. Hinc arripit Cicero Hortensii dictum, verbis additis, « Teneo te », hoc sensu : « quamquam tu hoc dicto aliud vis, tamen id in meam partem meo jure interpretor, quum id proprium verbum sit nostris, de assensibus, ex Dogmaticorum mente, negandis ». G. — Vertit *Castillon* : « Je suis pour le sursis ». Solus mihi, inquit *Leclerc*, præses Buherius videtur verum hujus loci sensum deprehendisse, qui comprobat auctoritate Nonii Marcelli, hac voce *tollendum* sæpe significari *differendum*.

12. *Teneo te.* Quum Cicero Hortensio reponat : « teneo te » et « ista est propria Academiæ sententia » ; hic qui initio disputationis fuerat partium Antiochi, ad Ciceronis partes se transductum jocose fatebatur. Ita sibi invicem gratificabantur illi amici, humanitatem non ore, sed reapse profitentes. H.

EXCURSUS I

Ad ea Ciceronis verba, Acad. I, lib. II, § 18:

Visum impressum effictumque ex eo unde esset, quale esse non posset ex eo unde non esset.

Chrn. Garvius, vir sapientissimus, in dissert. « de ratione scribendi historiam philosophiæ », Lips. 1768, in-4, sic hanc a Zenone allatam *visi comprehensi* definitionem illustrat :

« Ex Stoicorum loquendi usu apparet, *visum* esse idem, quod apud Gallos *sensation ;* cujus vocabuli vis alia est, quam vocum *sens*, et *sentiment ;* nam significat rei externæ imaginem, sensuum impulsione ac motu in animo excitatam. Hæc itaque sententia quum subsit illi vocabulo, videamus jam, quantum operæ sit a Stoicis positum in eo, ut, quod omnes pronuntiando vel audiendo illo vocabulo intelligerent, id verbis declararent, et definitione concluderent. Primus Zeno (1) *visum* definivit esse τύπωσιν ἐν ψυχῇ· formam quasi aliquam impressam animo. *Animus*, est apud hunc auctorem Stoicæ disciplinæ, i. q. apud sectatores ἡγεμονικόν. Zeno itaque volens id explicare, quod in suo quisque animo fieri sentit, quo tempore oblata ei res externa sensus ipsius movet, neque habens quomodo illum sensum proprie significaret, confugit ad similitudinem, et ejus rei, cujus quisque sensum haberet, dixit in ejus animo picturam quasi quamdam, aut signum vel simulacrum effingi (cf. Zwanzigeri not. p. 128 et 145, ubi contra Stoicos Academiam novam tuetur). »

Historiam illius definitionis ulterius persequitur Garve, et mox pergit : « Nunc, quid sit *visi comprehensi* proprium, videamus. *Visum*, ait Cicero dixisse Zenonem, *ex eo ex-*

(1) Vid. Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. lib. II, c. 7, sect. 228, ed. Fabric.

pressum et effictum, unde esset. Subtilius Sext. Empiricus, et planius. Duæ sunt apud eum notiones, quæ apud Ciceronem est una : 1° ἡ ἀπὸ ὑπάρχοντος. Videlicet qui motus in sensu est excitatus, atque ad mentem propagatus, is *ortus* esse debet *ex re quæ est*; 2° ἡ κατ' αὐτὸ τὸ ὑπάρχον ἐναπομεμαγμένη. Idem hoc est, quod Cicero *expressum*, et *effictum* appellat. Indicatur similitudo absolutissima imaginis, cum re ex qua orta est. *Expressum* enim opponitur etiam *adumbrato*. Et primo quidem videntur *adumbratam* imaginem dixisse, lineis in plano depictam; *expressam* autem, in solido eminentem. Ita enim nonnumquam conjunguntur hæc tria verba, *solidum*, *eminens*, *expressum*, ut idem significare videantur (vid. de N. D. I, 75). Deinde utriusque vocabuli significatio *latius* cœpit *patere*. Quoniam enim adumbratio in pictura erat rei prima circumscriptio, et umbra ac luce facta qualiscumque distinctio, etiam in eminentibus simulacris *adumbratum* dictum est id, quod inchoatum, ruditerque effictum esset, ita tamen, ut cujus rei esset imago, appareret. Similiter *expressio*, quamquam erat proprie signi exstantis elaboratio, tamen ad picturam quoque translata, et de imaginis absolutione ac perfectione usurpata est. Ita Cicero (pro Cœlio, 4) virtutum non expressa signa, sed adumbrata dixit, intelligens virtutis qualemcumque speciem, non perfectam, et solidam. Quod itaque *visum comprehensum* Stoici *expressum* esse debere dicunt, id non est rei sensæ qualiscumque imago, rudis illa et imperfecta, sed plane rem totam referens, atque alte in animum penetrans. Debet igitur *visum* et *imago* in animo excitata, rem unde orta est ita referre, ut non depicta, sed quasi res altera esse videatur.

Porro addit Cicero, *qualis esse non posset ex eo unde non esset.* Hic est fons dissidii atque contentionis inter *Stoicos* et *Academicos*. Nempe Stoici docebant, non solum verorum *visorum* esse *notas* aliquas *internas*, propriumque sentiendi modum, quo discernerentur a falsis, verum etiam rerum quarumdam imagines ita in suo genere unas, et singulares

esse, ut a nulla re alia, nisi ab ea ipsa quæ sensibus objecta esset, in animo possent effingi. Quod igitur *visum* esset ejusmodi, ut ei *perfecte simile* aliud, ab alia re nulla, præterquam ab ea quæ præsens, et sensibus subjecta esset, in animo posset excitari, id comprehensum esse dicebant. Ut, *visum* turris comprehensum tunc est, quum ex nulla alia turri potest in animo oriri perceptio, quæ illi prorsus omni ex parte respondeat. Atqui negabant Academici *talia visa* esse : nec enim ullam esse perceptionem, e re sensa ortam, quæ non posset aliunde quam simillima oriri; quemadmodum turris quadratæ species videtur eminus spectanti eadem, quæ cominus intuenti rotundæ.

« Tota ergo controversia eo redibat, ut quæreretur, primum, essetne cujusque *rei natura singularis* et *propria*, ut animus eam perspectam a ceteris omnibus posset internoscere; deinde, an ulla res imaginem suam ita in animo sentientis exprimeret, ut, quæ rei essent proprietates et discrimina, in imagine conservarentur, essentque rerum *simulacra*, seu *visa* eodem quo res ipsæ modo, inter sese distincta. Quorum de altero Academici dubitabant, alterum negabant omnino. »

Idem Garvius, in Dissert. « de nonnullis quæ pertinent ad logicam probabilium », Halæ, 1568, 25 pag. in-4, fuse disputavit de ἀκαταληψία, quæ cum hac materia arctissime est conjuncta. Cujus Dissertat. præcipua loca Hülsem. inseruit suo commentario, pag. 462 seqq.

EXCURSUS II

Ad ea Ciceronis verba, Acad. I, lib. II, § 37:

Nunc de assensione et approbatione, quam Græci συγκατάθεσιν *vocant.*

Nimirum animo *visis*, quæ a sensibus imprimuntur, commoto, oritur assensio, sive approbatio, συγκατάθεσις, qua visa noscuntur, et dijudicantur; estque in hominis potestate, ut visa arbitraria non sunt, sed vi quadam sua sese hominibus ingerunt. Hoc vero inter insipientem et sapientem interest, ut is *visa* omnia, qualia animi sui pulsu visa sunt, talia putet et approbet; hic non statim commotus assensum commodet; id quod exemplo soni alicujus formidabilis luculenter explicat Gellius l. IX, 1, et ex eo Augustin. de Civ. Dei, l. IX, 4. Locus Gellii est: « *visa animi*, quas φαντασίας philosophi appellant, quibus mens hominis prima statim spe accidentis ad animum rei pellitur, non voluntatis sunt, neque arbitraria, sed vi quadam sua inferunt sese hominibus noscitanda. *Probationes* autem, quas συγκαταθέσεις vocant, *quibus* eadem *visa noscuntur, ac dijudicantur, voluntariæ sunt*, *fiuntque hominum arbitratu.* Propterea quum sonus aliquis formidabilis, aut e cælo, aut ex ruina, aut repentinus nescius periculi nuntius, vel quid aliud est ejusmodi factum, sapientis quoque animum paullisper moveri, et contrahi, et pallescere necesse est, non opinione alicujus mali percepta, sed quibusdam motibus rapidis, et inconsultis officium mentis atque rationis prævertentibus (v. Tusc. Qu. IV, 6). *Sapiens* autem quum breviter et strictim colore atque vultu motus est, οὐ συγκατατίθεται, non simul apponit vel approbat, sed statum vigoremque sententiæ suæ retinet, quam de hujuscemodi visis semper habuit, ut

de minime metuendis, sed fronte falsa, et formidine inani territantibus. » Vid. Brucker. Hist. crit. philos. tom. I, p. 917 seq. Tiedem. *Syst. der Stoisch. Philos. Th. I*, p. 101; Zwanziger. ad hunc loc. p. 144. HULS.

EXCURSUS III

Ad ea verba Ciceronis, Acad. I, lib. II, § 82:

Quid potest esse sole majus? quem mathematici amplius duodeviginti partibus confirmant majorem esse quam terram.

Plurima de solis magnitudine dissidia fuerunt inter mathematicos veteres. Quum tamen plerique in eo consentiant, solem esse *vicies octies* terra majorem, nonnulli editores de vera hujus loci lectione dubitaverunt quo eum duodeviginti partibus terra majorem esse dicitur; hanc vero sinceram esse scripturam, testimonio est vetus interpres Arati ad illud: Ὅσσον δ' ὀφθαλμοῖο βολῆς ἀποτέμνεται αὐγή. Ἥλιος, inquit, παρὰ τοῖς μαθηματικοῖς ἐπιστεύθη τῆς γῆς ὀκτωκαιδεκαπλασίων ὤν. Achilles enim, vetus mathematicus, in Arati Phænom. ait esse qui dicant undeviginti partibus esse majorem; illa autem quam posuit Ptolemæus immanis est magnitudo. FAB. — Cic. de Fin. I, 6: « Sol Democrito magnus videtur..... huic (Epicuro) bipedalis fortasse: tantum enim esse censet, quantus videtur, vel paulo aut majorem, aut minorem ». Cf. quæ hoc ipso lib. Acad. dicit, § 123, 126; et Laert. X, 91: Τὸ δὲ μέγεθος ἡλίου... κατὰ μέντοι πρὸς ἡμᾶς τηλικοῦτόν ἐστιν, ἡλίκον πότε φαίνεται... κατὰ δὲ τὸ κατ' αὐτὸ, ἤτοι μεῖζον τοῦ ὁρωμένου, ἢ ἔλαττον μικρῷ, ἢ τηλικοῦτον ὡς χ' ὁρᾶται. Vid. Plutarch. Plac. philos. II, 21, coll. Euseb. pr. ev. XV, 24; Lucret. V, 565; Cleomedes κυκλ. θεωρ. lib. II, pag. 190: Ἐπίκουρος, καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως, τηλικοῦτον εἶναι τὸν ἥλιον ἀπεφήναντο, ἡλίκος φαίνεται. Ad hos respicit Senec. N. Q. I, 3: « Solem acies nostra sic contraxit, ut

sapientes viri pedalem esse contenderint. » Vid. Achill. Tat. isag. in Arati Phænom. c. 20. Ita et Heraclitus. Dav.

Sunt quoque nonnulla Lucretii poetæ loca de sole afferri haud indigna.

Lucret. IV, 396, seq.

Solque pari ratione manere, et luna, videtur
In statione; ea, quæ ferri res indicat ipsa.

Ibid. IV, 385, seqq.

Hocc' animi demum ratio discernere debet,
Nec possunt oculi naturam noscere rerum.
Proinde animi vitium hocc' oculis affingere noli.

Ib. V, v. 565, seqq.

Nec nimio solis major rota, nec minor ardor
Esse potest, nostris quam sensibus esse videtur.
Nam quibus e spatiis quomque ignes lumina possunt
Allicere, et calidum membris afflare vaporem.
Nil missus intervallis de corpore librant
Flammarum, nihil ad speciem est contractior ignis.
Proinde, calor quoniam solis lumenque profusum
Perveniunt nostros ad sensus, et loca fulgent;
Forma quoque hinc solis debet, filumque, videri;
Nil adeo ut possis plus, aut minus, addere vera.

Nunc vero apud astronomiæ peritos constat solis diametron 319,000 gallic. leuc. longum esse; totius illius globi volumen 1,400,000 vicibus terra majorem esse, et a terra non minus quam 34,500,000 leucis distare.

EXCURSUS IV

Ad ea verba Ciceronis, Acad. I, lib. II, § 145:

Hoc q. Zeno gestu conficiebat.

Memorabilis est Zenonis mimica *perceptionis* demonstratio, satis ex Cic. verbis clara. Conferant, quæso, lectores

Tiedemanni *Syst. d. Stoi. Philos.* vol. I, pag. 98, seq. ubi ex Zenoniana allegoria hæc elicit: primum, *cogitationes per se* continere neque *approbationem*, neque *reprobationem*. Nam ea facultas animi, qua percipimus aliquid, in approbando nil dirimit. Deinde, necesse est igitur ut accedat effectus, a facultate percipiendi diversissimus, siquidem *approbatio* s. *reprobatio* locum habere debet.

Parum est, quod Veteres de Stoicorum ratione naturam assensus aperiendi quibusdam locis memoriæ prodiderunt. Tullius ipse breviter, et non multis locis rem attingit, reliquis historiæ philosophiæ veteris scriptoribus tacentibus. De definitione eorum diligenti *assensus*, et demonstratione ejus, nil ad liquidum perduci poterit; vid. Cic. de Fato, c. 18, ed. Bremi, ubi alia est allegoria; coll. Gellio, Noct. Att. 19, 1; Sext. Emp. adv. Logic. sect. 397; ibi J. A. Fabricium, literatissimum interpretem.

Non piget addere, talem allegoricam *assensus* et *approbationis rei fide dignæ* demonstrationem, etiamnum in Hispania meridionali obtinere morem, dum sacerdotes v. c. ad exsistentiam dei probandam pugnum clausum oculis spectantium auditorum ostendunt; cujus contrarium est, manus digitis in longitudinem extensis, quæ rem non assensu dignam innuit. Hoc edoctus sum ab Hispano ipso, adulto, qui mea institutione in teutonico sermone intelligendo et scribendo utebatur, et in domo mea per annum vivebat. Librum *Fray Luis de Granada*, et alios, pro isto more laudabat. Hæc quidem ad theoriam comprehensionis Stoicam pertinent, ob similitudinem. Huls.

M. TULLII CICERONIS
PARADOXA
AD M. BRUTUM.

PRÆFATIO.

In hac *Paradoxorum* editione illam præcipue editionem sequuti sumus quam Aug. Gotth. Gernhard, gymnasii Fribergensis rector, Lipsiæ dedit (apud Gerhard. Fleischer. jun. 1819), una cum M. T. Ciceronis libro de Senectute. Ipse monet in sua præfatione se Jac. Facciolati scholia integra servasse, additis de suo eis quæ tum loci cujusque ratio apud eos requireret, qui, non plane rudes et imperiti, suo judicio usuri in his literis essent; tum interpretationis veritas artisque criticæ usus ad lectionis constituendæ probabilitatem pro subsidiorum paratorum ipsiusque ingenii modulo flagitaret. Ceterum ipsius verba exscribam ex præfatione qua simul de Senectute et de Paradoxis disserit; ea, quantum fieri poterit, prætermittens quæ ad solum librum de Senectute pertinent.

«Uterque Ciceronis liber, ipse inquit, visus mihi est non curtam lectionum variarum notationem exspectare, quum post Grævianam editionem Jac. Facciolatus satis habuisset ei lectioni, quæ ipsi probaretur, hic, illic unam duntaxat vel alteram reliquarum lectionum aut correctionum apponere. Neque Jo. Aug. Ernesti ad hos libros emendandos attulerat, quantum poterat, si suis copiis uti placuisset. Denique Jo. Chr. Frid. Wetzel suæ editionis usu ad historicam criticæ artis partem tirones maluit, quam ad grammaticam deducere. Erant autem Aldi Manutii P. F. A. N. non tam explicationes, quæ

non magni prætii sunt, quam ad Paradoxa octodecim codd. lectiones omnes adhibendæ, non minus, quam variæ lectiones, quas in editione sua notavit Jo. Georg. Grævius, cui, ut ait in præfatione ad libros de Officiis, de Senectute, et rel. præ ceteris profuerat editio Caroli Langii, qui plurimos consuluerat vetustissimos codices, viri acris judicii, doctrinæque singularis. Idem membranis pervetustis, quamquam laceris et mancis, a fratre acceptis usus est cum alio membranaceo Ciceronis codice, sed ut recentiore, sic notæ longæ deterioris, atque editione minore Griphii anni 1550, et Argentoratensi Lambini, cujus utriusque margini Petrus Pithœus varias lectiones adscripserat ex duobus codd. excerptas. Tum in Græviana ed. præter unum pervetustum Fulv. Ursini codicem et ed. primam Mogunt. a. 1465, Palatini codices tres sæpe commemorantur a Jano Grutero collati: quamquam is ad Offic. I, 1, 1: «Ceterum, inquit, «meminerit lector, me tantum consuluisse Palatinos «duos, quum innumeros haberet bibliotheca electoralis, «duos, inquam, notæ optimæ. Guilielmus vero citat «Coloniensem et Fabricianum, item V. et D. per Me«rulam collatos, ut excerpta Carionis, denique Cru«cianum exemplar..... » Tum per liberalitatem Godof. Henr. Schæferi, cujus etiam singularem curam in typis harum plagularum corrigendis gratissimo animo agnosco, uti mihi licuit novem codicum lectionibus ex Oxoniensi editione e typogr. Clarendon. de a. 1783 ductis, quorum notas ipsorum editorum verbis explicuit Chr. Dan. Beckius in Præfat. ad Ciceronis Opera vol. II, pag. 53, seqq. Quorum codicum, septem nempe, E, I, N, U, η, ψ, σ, Paradoxa habent. Antiquissimum editorum Oxx. judicio videtur esse MS η (forsan annorum CCC).»

Horum codicum omnium lectiones integras Gernhard in fine editionis suæ adjecerat; quum vero illarum lectt. multa major pars minimi aut potius nullius essent pretii; plerasque nos prætermisimus, et, si quæ majoris momenti visæ sunt, eas reliquis notis inseruimus.

«Editionum, pergit Gernhard, partim veterum, partim recentiorum libri de Senectute et Paradoxorum in manu fuerunt hæ:

«*Veneta* ed. de anno 1487, impressa Venetiis per Marin. Saracenum, cum Martini Philelthici commentario, in-fol.

«*Ascensiana* ed. de an. 1520, quem numerum in fronte gerit; in altera pag. annus legitur MDXII (hunc numerum mallem retinuissem); in fine MDXXI, per Jod. Bad. Ascensium Lutetiæ Paris. in-fol.

«*Hervagiana* ed. Basil. an. 1540, tom. IV Opp. Cic.

«*Lugdunensis* ed. de an. 1556, Lugduni apud Theobald. Paganum, cum comment. Xist. Betuleii, Erasmi Roterod. Petri Balduini, et Petr. Marsi. Paradoxa præter Betuleii et Erasmi commentarios illustrata sunt Francisci Sylvii, B. Latomi et incerti auctoris adnotationibus, in-4.

«*Wolfg. Anemœcii* ed. de an. 1563, Coloniæ Agripp. prodiit, in-8.

«*Jo. Georg. Grævii* ed. Amstelod. an. 1688; *Isaac. Verburgii* Amstelod. 1724; *Jac. Facciolati* Venet. 1747; *Jo. Aug. Ernestii* Opp. Cicer. t. IV, p. II, Hal. 1776; *Jo. Adam Goezii* ed. libri de Senect. et Somnii Scip. cum commentario *Theodori Gazæ*, Norimb. 1801; *Jo. Chr. Frid. Wetzelii* ed. altera Lips. 1817;

Chr. Godofr. Schützii ed. Lips. 1817, Cic. Oper. t. XIV, qui Paradoxa, et XVI, p. I, qui libr. de Senect. continet. Lips. 1817.»

Præter ea auxilia quæ Gernhard, et viri docti, quorum disquisitionibus ipse usus est, nobis præstiterunt, in manibus fuit, ut in reliqua Ciceronis recensione, nostratis J. V. *Leclerc* editio, notis tum criticis, tum exegeticis instructa, quæ etsi paucæ numero non parvi pretii nobis visæ sunt.

Si quæ adhuc in sensu interpretando occurreret difficultas, adessent, præter gallicas versiones, illæ quas græce scripserunt Theod. Gaza, J. *Morisot* (Basil. 1547), Adrian. Turnebus (Argentor. 1600), Dionys. *Pétau* (Paris. 1649), existimantes sane græcæ linguæ restituendos esse locos illos quos ex Græcis Tullius hauserat.

PROLEGOMENA
IN PARADOXA STOICORUM
AD M. BRUTUM.

(EX AUG. GOTTH. GERNHARD.)

Quemadmodum Cicero in libro de Senectute omnem sermonem M. Catoni Censorio tribuit, quo majorem auctoritatem haberet oratio; ita Paradoxa ad M. Brutum ut scriberet, auctoritas effecit M. Catonis Uticensis, qui Censorii pronepos, idemque Stoicus, Bruti erat avunculus. Cujus ingenium et mores in Oratione pro Murena, c. 29, describit. «Finxit enim, inquit, te (Cato) ipsa natura ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, justitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem et excelsum. Accessit his tot doctrina non moderata, nec mitis, sed, ut mihi videtur, paullo asperior, et durior, quam veritas aut natura patiatur», comp. ibid. c. 31, 66. Hunc igitur perfectum Stoicum Cicero, ut in Procemio Parad. dicit, animadverterat, quum in senatu sententiam diceret, locos graves ex philosophia, ut de magnitudine animi, de continentia, de morte, de al. tractare, abhorrentes ab usu forensi et publico; sed dicendo consequi tamen, ut illa etiam populo probabilia viderentur. Quæ vero admirabilia seu παράδοξα ab ipsis Stoicis appellabantur, Cicero vidit in Stoicorum gymnasiis, orationisque facultate exercenda negligi, quasi hæc ornate dicendi nullum locum darent, et ne a Catone quidem sine obscuritate, nec acuta, exili et jejuna oratione efferri possent. Namque, ut Cic. ait pro Mur. c. 29 et 30, Cato Zenonis sententias et præcepta non disputandi causa, sed ita vivendi arripuerat ejusmodi: sapientem gratia numquam moveri, numquam cujusquam delicto ignoscere: neminem misericordem esse, nisi stultum

et levem: viri non esse, neque exorari, neque placari: solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos: si mendicissimi, divites: si servitutem serviant, reges: nos autem (sic ibid. c. 29 pergit), qui sapientes non sumus, fugitivos, exsules, hostes, insanos denique esse dicunt: omnia peccata esse paria: omne delictum scelus esse nefarium: nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit: sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, sententiam mutare numquam. Nostri autem illi a Platone et Aristotele moderati homines et temperati aiunt, apud sapientem valere aliquando gratiam: viri boni esse misereri: distincta genera esse delictorum et dispares pœnas: esse apud hominem constantem ignoscendi locum: ipsum sapientem sæpe aliquid opinari, quod nesciat: irasci nonnumquam: exorari eumdem et placari: quod dixerit, interdum, si ita rectius sit, mutare: de sententia decedere aliquando: omnes virtutes mediocritate quadam esse moderatas. Illo igitur loco, quum apud imperitos dicendum esset, et L. Murenam, Catone accusante, defenderet, acrius, ut decebat, loquens, hæc Stoicorum paradoxa per se non probavit, sed moderatiores illis sententias opposuit. Subtilius Cicero de iisdem rebus agendum esse dicit, quum de Finib. IV, 27, ad ea, quæ Cato ibid. III, 15, de admirabilibus istis dixerat, respondere deberet philosophus ægre ferens, ex virtute vitam fingentes aciemque animorum virtutis splendore præstringentes Stoicos nominibus uti iis, quæ prima specie admirationem, re explicata, risum moverent; eosdemque usitata verba aut deserere, aut contra communem opinionem et orationem ab externis rebus ad sapientiam referre; subductis quidem rerum illarum expetendarum fundamentis, ut eum, qui virtutem adeptus sit, nihil præterea velint desiderare. Tum etiam per brevia eos (1) et acuta concludere sibique sumere

(1) Hæc *brevia*, Stoicis *consectaria* appellata, quum omnia Catonem delectabant (vid. de Fin. III, 7, extr.), tum primum illud, quo Cic.

dicit aut ea, quæ non concedantur; aut ea, quæ etiam concessa nihil juvent. « Nam ex eisdem, inquit ibid. IV, 27, 74, præstigiis et regna nata vobis sunt et imperia, et divitiæ, et tantæ quidem, ut omnia, quæ ubique sint, sapientis esse dicatis: solum præterea formosum, solum liberum, solum civem: stultorum omnia contraria, quos etiam insanos esse vultis. Hæc παράδοξα illi, nos admirabilia dicamus. Quid autem habent admirationis, quum prope accesseris? Conferam tecum quam cuique verbo rem subjicias; nulla erit controversia ». Quum igitur sentiret, Stoicos re eadem defendere, quæ Peripateticos, verba tenere mordicus, horridioresque evadere, asperiores, duriores et oratione et moribus; in hoc libro, pæne ut in libris de Officiis, exemplum sequutus Panætii Rhodii, qui si minus Paradoxa scripsit, tamen, ut ait de Fin. IV, 28, 79, « illorum tristitiam atque asperitatem fugiens, nec acerbitatem sententiarum, nec disserendi spinas probavit », tentare voluit, possentne illa Stoicorum παράδοξα proferri in lucem et ita dici, ut probarentur. Ita vix miraberis, qui possit is qui pro Murena Catonis paradoxa acerbius irriserit, idemque de Finibus eidem Catoni subtilius, quo vitio Stoici premi viderentur, exposuerit, subito mutata persona, et quasi suscepto consectariorum et paradoxorum præsidio, Parad. I, 1, 6, hæc dicere: « Vereor, ne cui vestrum ex Stoicorum hominum disputationibus, non ex meo sensu deprompta hæc videatur oratio: dicam tamen, quod sentio ». Eoque se in Prooemio scripsisse dicit libentius, quod sibi ista παράδοξα maxime videantur *esse Socratica, longeque verissima*. Hæc simillima illis sunt, quæ leguntur de Offic. I, 1, 2, et 2, 6: « Sequemur igitur hoc quidem

dicit de Fin. IV, 18, nihil posse esse brevius: « Bonum omne, laudabile; laudabile autem omne, honestum: igitur omne bonum, honestum ». Ad quæ exclamat: « o plumbeum pugionem! » In his consectariis habendæ illæ conclusiones, quas leniore, explicatiore et ornatiore oratione in primo exponit Paradoxo, et in secundo, unde ipsa illa arctiore sensu dicta Paradoxa nata sunt.

tempore et hac in quæstione (ad morum autem disciplinam Paradoxa non minus pertinent, quam Officiorum præceptio) potissimum Stoicos, non ut interpretes; sed, ut solemus, e fontibus eorum, judicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo videbitur, hauriemus». Hæc igitur Paradoxa, ut stoice appellavit, ludens conjecit in communes locos, e multisque aliqua elegit, quæ si vere dici persuasisset, reliqua his similia facile perspecta concederentur. Ordinemque in his quemdam servatum esse apparet. Nam quæ primo et secundo loco posuit Paradoxa, pro fundamento reliquarum thesium, aut totius disciplinæ haberi possunt, quum id esset constituendum, quod ad *bene beateque vivendum* satis esset: idque in *sola virtute* putarunt esse Stoici.

Ergo in *primo Paradoxo*, quum ea, quæ vulgo expetuntur et bona appellantur, nec expleant cupiditatem, et cum improbis sint communia, Biantis exemplo laudato, « quod rectum et honestum, et cum virtute sit, id solum esse bonum » definit (1). Hæc cap. 2 exemplis illustrat domesticis. Denique cap. 3 externis rebus contemptis, ipsam voluptatem bestiarum illam quidem communem, quod nec meliorem faciat hominem, nec gloriatione digna sit, in rebus bonis

(1) «Hoc vero, ut Schützius ait in Proleg. est optare, non docere. Nihil enim affertur, e quo eluceat, id honestum esse solum bonum.» Sed eamdem fere disputandi rationem Cato sequitur de Fin. III, 7, 26-29, interposito quidem eo, quod dicit laudabile, § 27, quibuscum confer, quæ Cicero, postquam Stoicorum inconstantiam miratus est, quod, quum ad summum bonum velint pervenire, transiliant omnia, respondet ibid. IV, 15, 40: « Introduci enim virtus nullo modo potest, nisi omnia, quæ léget, quæque rejiciet, unam referantur ad summam... Quæsita enim virtus est, non quæ relinqueret naturam, sed quæ tueretur. At illa, ut vobis placet, partem quamdam tuetur, reliquam deserit ». Tum cap. 17, 46: « vobis autem, quibus nihil est aliud propositum, nisi rectum, atque honestum, unde officii, unde agendi principium nascatur, non reperietis ». Illud autem breve seu consectarium supra commemoratum refellit Cicero ibidem cap. 18, ubi Catonem dicit sumere, quæ concedi non possint, bonum omne esse laudabile: nam vires, divitias, gloriam, multa alia, bona esse dicere Peripateticos, laudabilia non dicere.

docet habendam non esse, sed solam honestatem expetendam.

Secundum Paradoxon alterum continet consectarium: *in quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum.* Quo loco persuadere studet, neque adversas res, neque secundas hominem felicem, aut infelicem reddere: cui enim spes omnis et ratio et cogitatio pendeat ex fortuna; huic nihil posse esse certi, nihil quod exploratum habeat permansurum sibi unum diem. Qui autem in se uno sua ponat omnia, huic neque exsilii, neque mortis minas, quales in se conjectæ sint, terribiles esse. Improbo et stulto et inerti nemini bene esse posse, bonum autem virum et fortem, et sapientem non miserum. Cujus mores laudandi sint, ejus vitam esse laudandam: quidquid sit laudabile, idem et beatum videri debere (1).

In *tertio Paradoxo*, ut *æqualia esse peccata et recte facta* persuadeat, primo cap. peccata dicit non rerum eventu, sed vitiis hominum metienda esse. Peccare non licere: id autem quoniam nec majus, nec minus fieri possit, peccata oportere esse æqualia pariter, ac virtutes pares sint. Hanc sententiam (cap. 2) arcere maxime homines ab omni improbitate: qui patrem necaverit, multa peccasse, eoque graviore pœna dignum esse hunc, quam qui servum, quippe in quo necando, si adsit injuria, semel peccaverit. Pœnam autem in vita non

(1) Hujus secundi Parad. Schützius monet non majorem esse subtilitatem. Nullo modo enim ex ista argumentatione sequi, eum non beatius vivere, qui una cum virtute fruatur etiam omnibus aut certe multis fortunæ bonis, quam cui præter virtutem cetera omnia desint. Idem sentit Cic. de Fin. IV, 23, 62, et 19, 54: « In prima constitutione Zeno tuus a natura recessit... his propositis, tenuit prorsus consequentia... sed ita falsa sunt ea, quæ consequuntur, ut illa, e quibus hæc nata sunt, vera esse non possint ». Catonis autem verba hæc fuerant de Fin. III, 14, 45: « Quum sit is bonorum finis, quem Stoici dicunt; omnis ista rerum in corpore sitarum æstimatio splendore virtutis et magnitudine obscuretur, et obruatur, atque intereat necesse est... denique ipsum bonum, quod in eo positum est, ut naturæ consentiat, crescendi accessionem nullam habet ».

spectandam esse, sed quantum cuique liceat, etiam in minimis rebus, « quum, quidquid, inquit, peccatur, perturbatione peccetur rationis atque ordinis; perturbata autem semel ratione et ordine, nihil possit addi, quo magis peccari posse videatur (1) ».

Paradoxon quartum id quod propositum erat : *omnem stultum insanire*, non tam ex ipsa stultitiæ notione demonstrat, quam aliquem Clodii similem adversarium, quem aggreditur, insanum esse arguit : quippe qui Ciceronem ne civitate quidem pellere potuerit, quoniam tum non civitas

(1) De hoc Paradoxo et explicatius et probabilius Cic. h. l. disputavit, quam in libro tertio et quarto de Finibus. Et tertii quidem libri c. 10, 34 : « Hoc autem ipsum, Cato inquit, bonum non accessione, neque crescendo, aut cum ceteris comparando, sed propria vi sua et sentimus et appellamus bonum... et quemadmodum opportunitas (c. 14, 45) non fit major productione temporis, sic... ipsum bonum, quod in eo positum est, ut naturæ consentiat, crescendi accessionem nullam habet... Sed quamquam negent (c. 15, 48) nec virtutes, nec vitia crescere : attamen utrumque eorum fundi quodam modo, et quasi dilatari putant ». Nostro autem loco, suscepto Stoicorum patrocinio, acutius et verius, quam Cato, causam exponit, cur non possint non esse vitia paria, quod pariter non liceat, quæ non recta sint, committere; honesta vero non rerum eventu, sed vitiis metienda esse, ut Cato ait de Fin. III, 9, 32, ea, quæ proficiscantur a virtute, susceptione prima, non perfectione, recta esse judicanda. Nimirum quatenus hoc paradoxon istis cum brevibus seu consectariis, in primis cum altero, est conjunctum, ex eo, quod semel constitutum sit Stoicis, hoc etiam judicat sequi necessario. Sed tamen *peccata esse paria* etiam quarto libro de Fin. cap. 27, maluit poni in admirabilibus. Atque similia, quibus Stoici peccata esse paria arguant, dissimilia ait esse. « Hic ambiguo, inquit § 75, ludimur. Æque enim contingit omnibus fidibus, ut incontentæ sint : illud non continuo, ut æque incontentæ. » Gubernatoris autem, quum in navi gubernanda nihil, in officio plurimum intersit, quo in genere peccetur, si in ipsa gubernatione negligentia est navis eversa, majus esse peccatum in auro, quam in palea : similiter, quid inter parentem et servulum intersit, intelligi et posse et debere. Denique hoc uno vitio dicit maxime premi Stoicos, quod iidem dicant, quod honestum sit, *solum* id bonum esse, qui dicant appetitionem rerum ad vivendum accommodatarum a natura profectam. Has enim res in *sumendis*, non in *bonis* haberi Stoici voluerunt. Quare (ibid. c. 24, 68) finem bonorum eis mutandum esse. Ceterum cum hoc Paradoxo comparare juvabit Horat. Serm. I, 3, in primis versu 75 seqq.

fuerit, quum leges in ea nihil valebant. Ergo se semper civem fuisse, Clodium ne nunc quidem civem esse, sed hostem, qui cædem in foro fecerit, sed exsulem, ut omnes scelerati et impii exsules sint, etiamsi solum non mutarint (1).

In *quinto Paradoxo*, ut affirmet, *solum sapientem esse liberum, et omnem stultum servum*, miratur, quomodo, aut cui libero imperet, qui non possit cupiditatibus suis imperare, quibus dum obediat, ne liber quidem habendus sit; nam nisi sapientem liberum esse neminem. Jam § 34 definit libertatem potestatem vivendi ut velis (2); vivere autem,

(1) Cicero Tuscul. III, 4, 9: « Omnes autem perturbationes animi morbos philosophi appellant; negantque stultum quemquam his morbis vacare: qui autem in morbo sunt, sani non sunt: et omnium insipientium animi in morbo sunt: omnes insipientes igitur insaniunt». Sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant; his rebus mentem vacuam propterea, quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non posset, appellarunt insanam. Sic a verbis Latinorum duxit argumenta stultitiæ non distinguendæ ab insania. « Hanc enim, paullo post inquit, insaniam, quæ juncta stultitiæ patet latius, a furore disjungimus.... furorem autem esse rati sunt mentis ad omnia cæcitatem. » Stoicorum autem more, ibid. c. 7, ait: « Sapientis animus ita semper affectus est, ut ratione optime utatur: numquam igitur est perturbatus ». Et lib. IV, 6, 12: « Quæ autem ratione adversa incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrenata: quæ in omnibus stultis invenitur ». De hac igitur re quum ne Peripatetici quidem magnopere dissentirent, hærere in stultitiæ et insaniæ definitione nostro loco noluit, sed quum in Clodii libidine id quam verum esset facillime posse videretur intelligi, exemplis et rebus maluit persuadere. Acceptæ vero a Clodio injuriæ memoria et ira effecit, ut tumultuaria oratio in aliud paradoxon deflecteret huic junctissimum: « stultos omnes esse exsules »; nisi velis pro eodem haberi, quod plenum affert pro Murena, c. 29: « nos qui sapientes non sumus, fugitivos, exsules, hostes, insanos denique esse dicunt ». Nec mirum, Ciceronem in hac Clodii describenda stultitia, seu insania, opportunitate usum esse opponendæ suæ sapientiæ, qui istas injurias contempserit. Ita thesis illa, *omnem stultum insanire*, in qua interpretes hæserunt, ferri potest, si verbum hoc latissimo sensu intelligitur omnia vitia continere. Longe quietiore, et ad docendum comparatiore oratione Cic. quintum Paradoxon exposuit.

(2) Voluntatem Stoici putant (vid. Tusc. IV, 6, 12) in solo esse sapiente, quam sic definiunt: « voluntas est, quæ quid cum ratione de-

ut velit, eum, qui recta et honesta sequatur : inde sequi, ut omnes improbi sint servi, si servitus sit obedientia fracti animi, et abjecti, et arbitrio carentis suo. Quamquam sunt varia servitutis hujus genera et loci: ut qui artis operum admiratione, tamquam vinculis, tenentur, comparati cum L. Mummio, aut cum M'. Curio murænarum copia gloriantes, vel ii, qui peculii cupiditate ad assentationem et adulationem descendunt, et alii. Tum ostendit malefacta consequentem peccatorum conscientiam, ac timorem. Denique L. Crassi orationem ubi perstrinxit, in eo finem dicendi quærit, unde erat exorsus.

In *sexto Paradoxo* operam dat, ut persuadeat, *solum sapientem esse divitem*, quum dives is sit, cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit (1). Qui autem, ut qui divites solent appellari, plus semper quovis modo appetat, hunc egere potius, quam abundare, dicendum esse. Hoc loco, et capite quidem 2, varios quærendæ pecuniæ modos ostendit, oppositis exemplis continentiæ. Divitias igitur esse in virtute. Tum cap. 3, a quæstuoso venit ad sumptuosos, quibuscum majores comparat, parsimoniæ

siderat ». Quid autem cum ratione conveniat dignumque homine sit, postquam nostro loco ornatissime explicuit; præclarum libertatis fructum ostendit hunc, ut is, qui officium legesque libenter sequitur, et cum judicio agit omnia, ipsis casibus humanis evadat superior, quippe quibus non flectatur, non moveatur. Ceterum apparet, hoc paradoxon prope desiisse a nostræ certe philosophiæ usu loquendi abhorrere, quum rationis, vel potius voluntatis libertas in morum disciplina proprie dicatur, opposita eorum servitute, qui parent libidinibus.

(1) Hanc definitionem a vulgari divitis hominis notione abhorrere in promptu est, quæ quidem quum abundantiam pecuniæ, aut possessionum contineat, singuli abundentne, an quidquam illis desit, judicari solet, aut ipsorum quadam victus cultusque necessitate, aut comparatis aliorum copiis et opibus. Jam quoniam ditissimus quisque vulgo habetur felicissimus; ditissimi autem solent aut quærendæ pecuniæ cupiditate, aut amittendæ metu maxime perturbari, ut nulla hæc vere sit eorum felicitas : is demum dives idem et felix, seu vere dives appellandus erit, cui quæ adsunt sic suppetunt, ut satiatus sit, h. e. suis rebus contentus.

studiosos. Denique efficit, contentum suis rebus esse, non maximas solum, sed etiam certissimas esse divitias (1).

Hæc Paradoxa Schützius in Proleg. non, ut Facciolatus ad Procem. § 1, post Cæsaris necem scripta judicat; sed quoniam de Catone, M. Jun. Bruti, ad quem hunc librum scripsit, avunculo, tamquam de vivo, § 2 et 3, disserat; Cato autem mense aprili anni U. 707, Uticæ mortem sibi consciverit, necesse esse hujus libri procemium scriptum sit verno hujus anni tempore. Hoc tempus significari etiam § 5, ubi *lucubratum hoc parvum opusculum* dicitur *his jam contractioribus noctibus*, quum illud majorum vigiliarum munus, quod (de claris oratoribus) in M. Bruti nomine apparuerit, a. U. 706 extremo confectum sit. Nec tamen ad eumdem annum V. D. totam Paradoxorum confectionem refert. Nam secundum Parad. et apertius etiam quartum, quibus Cicero in Clodium invehatur, non posse mortuo Clodio, de cujus interitu prorsus taceat, scripta esse, sed eo anno, in quem post reditum Ciceronis incidant illi Clodii furores, quos luculenter descripserit ad Att. IV, 3; ad Qu. Fr. II, 3, h. e. in a. U. 697. Quintum vero Parad. quod L. Lucullum, fortasse etiam § 19, Hortensium tangat, non impedire, quo minus a. U. 707 scriptum esse putemus. Sextum Parad. quo Cic. M. Crassum divitem perstringit sic, ut ejus interitum, qui in annum U. 700 incidit, nihil commemoret, V. D. suspicatur a. U. 698 scriptum esse, quo anno Crassus cum Pompeio secundum consulatum gerebat. Huc potissimum pertinere ærarii expilationem cap. 1.

Ita tria Paradoxa decennio fere ante scripta putat Schützius, quam primum, tertium et quintum cum Præfatione. In qua, tamquam epistola, quod § 2 Cic. dicit « Cato... sentit, quæ non probantur in vulgus, et in ea est hæresi », seqq. hoc vix quidquam relinquit dubitationis, quin vivente Catone scripta sit, h. e. antequam nuntius de ejus morte Ro-

(1) Vide, si plura velis, hæc eadem et alia Stoicorum Paradoxa a J. Lipsio, in sua Manuductione ad Stoicam philosophiam (quam nos

mam perferretur. Quod autem in secundo (1), quarto et sexto Paradoxo ne nomine quidem appellatum Clodium, vel Crassum alloquitur, sed aliquos ad istorum facinorosorum similitudinem expressos fingit eosdemque adversarios, quorum tamquam præsentium perstringat nequitiam; hoc ipsum aut suspicari jubet, Ciceronem hæc, impiis his viventibus, sed cautius declamitasse, aut, si mortuis, nihil posse ex istorum hominum descriptione et simulata allocutione ad temporis, quo scripserit, definitionem exquiri. Illud si verum est, non sane intelligo primum, cur iræ in istos, dum viverent, satisfacturus, exilem hanc Paradoxi opportunitatem quæsiverit, vel exspectaverit, quasi Stoicorum demum argumentis convinci tanta scelera possent, aut gravius notari apud prudentissimos § 3 loquendo, quam in foro, si accusaret Pisones, aut defenderet Sextios, Milones, al. Deinde qui sexcenties in his ipsis orationibus vivi Clodii nunc, nunc recens occisi scelera, nullo factionis metu territus, gravissime descripserit, Catilinæ, Pisonis, Gabinii, aliorum turpitudines acerbissime, clarissimaque voce notare ausus sit, hunc credamus Paradoxorum formam elegisse,

in nostræ Senecæ Philosophi editionis fronte dedimus) exposita, lib. III, Dissert. II, 111 seq. et multis veterum auctorum locis confirmata aut explicata. Præterea duo viri docti operæ pretium esse duxerunt illa Paradoxa, quæ Cicero nonnisi *ludens conjecerat in communes locos*, ut ipse declarat, et quæ ipse in aliis libris confutaverat, specialibus dissertationibus refellere: nempe Vitus Amerbach et Antonius Maioragio, qui *Antiparadoxa* composuerunt, prior Argentorati 1541, posterior Lugduni 1546. Ed.

(1) In secundo Parad. Schützius Clodium notatum deprehendit; Erasmus et Wetzelius Antonium. Atque Betuleius, § 17, ad verba *eum tu hominem* hæc adnot. « Hinc colligo, Paradoxa post Philippicas fuisse scripta, propter quas Antonius Ciceroni necem minatus est (vid. Phil. V, 7), et tandem etiam, occasionem nactus, intulit ». Probabilius ad eumdem loc. Sylvius: « Hoc, inquit, ad M. Antonium referri potest, ut nonnulli putant. Sed quum in communes locos hæc Paradoxa Cicero conjecerit, verisimilius est sermonem infinitum esse, id est, ad nullam certam personam et definitam directum, sed ad quemlibet ».

quæ perstringendorum sceleratorum nomina taceri sive juberet, sive pateretur? Si vero, quoniam in Paradoxis conscribendis versabatur, expromere indignationem, injuriasque a Clodio Crassoque nuper acceptas vindicare voluit; probabilius sane foret, eodem fere tempore reliqua Paradoxa esse confecta : quod ne credamus, ipsum procemium, § 5, prohibet. Sin decem demum interjectis annis hoc tam parvum opusculum absolvi potuit, cuinam persuaseris, Ciceronem illud dicturum fuisse « lucubratum his jam contractioribus noctibus?» At nihil dixit de Clodii Crassique interitu! Ne decebat quidem, in quos tamquam in vivos præsentesque invehebatur, eorumdem interitu enarrando illusionis vim tollere, præsertim quum ex isto fonte ad justam facinorum castigationem ne opus quidem esset argumenta haurire. Is vero, qui sermonum suorum seu de philosophiæ partibus, seu de arte dicendi scribendorum suam cujusque scenam e superiore sæpe ætate transtulit, voluitque præteritorum temporum, patrumque sic recolere memoriam, ut quasi in vitam revocati viderentur; quidni in hoc orationis genere, quum non lente et jejune de Stoicorum Paradoxis disputare vellet, sed exemplis dicta illustrare, hæc ab iis repetierit, quorum flagitia satis cognoverat, expertusque erat? Et quoniam non adversariorum nomina accusanda erant, sed mores improborum castigandi, demonstrandaque sceleratorum stultitia, atque perversitas; vehementius quidem istos facinorosos, tamquam si præsentem laceraret Clodium, ignominia ea, quam impietas summa, et audacia postulabat, affecit, ipsosque alloquutus est sic, ut non posset sine magna temporis neglectione de eorumdem interitu disserere, nec nomina eorum afferre : quæ si legerentur, iracundum, exæstuantem, pleno ore convicia evomentem audire nobis videremur accusatorem, non severiorem morum censorem revereremur et philosophum. Fugienda etiam erat invidia, quum ira et studio incensus impetum faceret in umbras, eosque accusaret, qui se non possent defendere. Ne quis igitur Ci-

ceronem existimet, ut impune iræ cupiditatem satiaret, omissis nominibus, facinora tantum et mores perstrinxisse; sed in promptu erant, satisque recenti memoria, turpitudinis exempla, quæ explorare non possumus omnia. Satis est scire, notari vitia Clodiorum, Crassorum, Lucullorum, al. Eodem igitur loco Paradoxorum auctor habendus est, quo Satyrarum scriptores, qui, ne accusare videantur, ad vitæ veritatem et usum accuratissime designant notantque vitia, quin velint quidquam delectationis peti ex veris eorum, quorum exempla castigant, nominibus. Ita quodammodo dici de hac vitiorum vituperandorum ratione, quæ in Paradoxis deprehenditur, illud potest, quod ipse Cic. de tempore sermonum de Finibus scribit ad Attic. XIII, 19, cur ita confecerit quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni daret: ἀζηλοτύπητον, inquit, *id fore putabam, quod omnes illi decesserant.*

M. TULLII CICERONIS

PARADOXA[1],

AD M. BRUTUM[2].

I. Animadverti, Brute, sæpe Catonem[3], avunculum 1
tuum[4], quum in senatu sententiam diceret, locos graves ex philosophia tractare, abhorrentes[5] ab hoc usu fo-

I. 1. *Paradoxa.* Scripta videntur intra biennium, quo Cicero vixit post Cæsaris necem. (Vide supra Proleg. pag. 471, seqq.) Παράδοξα, quæ sunt præter omnium opinionem, et admirationem movent. Exponuntur a Cicerone ad quamdam veluti senilem declamationem, ut ipse eam vocat in Tusc. I, c. 4. Itaque scribit Suetonius de Clar. Rhet. c. 1: Ciceronem seniorem quoque declamasse. Facc.—J. F. Gron. in quibusdam membranis invenit *Paradoxa Stoicorum*, quod J. Gronovius in nota ad § 3, « Ego vero illa, etc. » censet verissimum et venustissimum. Cum iis, quæ in ipso procemio (qua voce Facciolatus hanc præfationem inscripsit) leguntur, comp. de Fin. IV, 27, 74: «Nam ex eisdem verborum præstigiis et regna nata vobis (Stoicis) sunt et imperia, et divitiæ, et tantæ quidem, ut omnia, quæ ubique sint, sapientis esse dicatis: solum præterea formosum, solum liberum, solum civem: stultorum omnia contraria, quos etiam insanos esse vultis. Hæc παράδοξα illi, nos admirabilia dicamus. Quid autem habent admirationis, quum prope accesseris? conferam tecum, quam cuique verbo rem subjicias; nulla erit controversia »; et Acad. II, 44, 136: « sunt enim Socratica pleraque mirabilia Stoicorum, quæ παράδοξα nominantur ». Gern.

2. *Ad M. Brutum.* Intellige M. Junium Brutum, qui J. Cæsarem interfecit; ad quem Cicero scripsit librum de claris Oratt. libros de Finibus, de Natura Deorum, et Quæstiones Tusculanas. De M. Bruti virtutibus vid. ep. ad Div. II, 13, et Wetzel. in præfat. ad ep. XI, n. 2. Gern.

3. *Catonem.* Est hic M. Porcius Cato Uticensis, pronepos Censorii, cujus est sermo de Senectute. De quo vid. Off. I, 31, 112; Sallust. Catil. c. 54; Vellei. Pat. II, 35; pro Mur. c. 29 et 30. Gern.

4. *Av. tuum.* M. Brutus ortus est ex Servilia, Catonis Uticensis sorore. Facc. — Vid. Plut. Brut. init. Cic. Brut. c. 31, 119: « Tuus autem avunculus (Cato), quemadmodum scis, habet a Stoicis id, quod ab illis petendum fuit; sed dicere didicit a dicendi magistris ». Gern.

5. *Abhorrentes*, etc. Orat. III, 18, 65: « Sed utrumque est in his (Stoicis), quod ab hoc, quem instruimus, oratore valde abhorreat: vel quod omnes, qui sapientes non sint, servos, latrones, hostes, insanos esse dicunt; ne-

rensi et publico; sed dicendo consequi[6] tamen, ut
2 illa[7] etiam populo probabilia viderentur. Quod eo majus[8] est illi, quam aut tibi, aut nobis : quia nos ea philosophia[9] plus utimur, quæ peperit dicendi copiam, et in qua dicuntur ea, quæ non multum discrepant ab opinione populari[10]. Cato autem perfectus (mea sententia) stoicus, et ea sentit, quæ non sane probantur in vulgus[11]; et in ea est hæresi[12], quæ nullum sequitur

que tamen quemquam esse sapientem.... Accedit, quod orationis etiam genus habent fortasse subtile, et certe acutum; sed, ut in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, jejunum, ac totum ejusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possit ». Cui Stoicorum orationi adstrictiori, aliquantoque contractiori, quam aures populi requirant, Brut. c. 31, 120, opponit Peripateticorum et Academicorum orationem liberiorem et latiorem, quam patiatur consuetudo judiciorum et fori. Gern.

6. *Sed dicendo consequi tamen.* Cod. Duisb. « sed dic. tamen cons. »

7. *Ut illa.* Supple *Paradoxa.* Notanda generis variatio per figuram, quæ enallage dicitur. Facc.

8. *Majus.* Majoris operæ. Facc. — Unus e septem codicibus Oxoniensibus *magis.* — Hoc præfert *Thomas Bentley* in *Emendationibus* editioni librorum de Finibus et Paradox. Cantabrig. 1718, adjectis. — Eodem sensu « quod quam magnum sit » legitur de Fin. I, 20, 65. Rarius, etsi eodem jure quo voci gravis, difficilis, dativus adjunctus huic voci reperitur. Gern.

9. *Quia nos ea philosophia.* (Peripatetica et Academica.) Cod. Duisburg. transponit « quia ea phil. nos plus utimur ». Gern. — *Ea philos.* Comp. Brut. l. l. et Tusc. II, 3. Gern.

10. *Discrepant ab opinione populari.* Duo libri Manut. *discrepent.* MS N. *vulgari* pro *populari.* Gern. — *Quæ non multum discrep. ab opinione populari.* Peripatetici et Academici corporis et fortunæ bona esse dicunt : negant Stoici quidquam esse bonum præter virtutem. Vitia esse paria hi dicunt, illi negant. Aliaque innumerabilia sunt, de quibus non convenit inter Stoicos, et Academicos, et Peripateticos. In quibus hi (Peripatetici) dicunt ea, quæ non multum discrepant ab opinione populari. Sylvius.

11. *Non sane probantur in vulgus.* Quæ sint hæc, habes in Academ. IV, c. 44. Facc. — *Non sane* est in quatuor Ald. edd. vett. et recentt. Multi MSS apud Græv. in V. L. *ne recte;* quinque Oxx. et decem Ald. *non recte;* duo Oxx. et quatuor Ald. *non plane.* Gronov. *non certe.* Non intellexerunt, *sane* post negativam part. levius affirmare; vid. Gœrenz ad Fin. II, 13, extr. « post enim Chrysippum non sane est disputatum ». Cod. I. et tres Ald. *in vulgo.* Sed conf. ep. ad Attic. II, 22 : « quod egregie non modo iis, qui utuntur opera, sed etiam in vulgus gratum esse sentimus ». Gern.

12. *Hæresi.* Secta Stoica, quæ in dialecticis operam consumit, et genus dicendi sequitur, ut est in tertio de

florem orationis, neque dilatat argumentum; minutis[13] interrogatiunculis[14], quasi punctis[15], quod proposuit[16], efficit. Sed nihil est tam incredibile, quod 3 non dicendo fiat probabile; nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat[17] oratione, et tamquam excolatur. Quod quum ita putarem[18], feci etiam

Oratore, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, jejunum. FACC. — Pith. legit « et est ea hæresi ».

13. *Minutis*. Gern. dat *sed minutis*. *Sed*, inquit, a quinque Ald. abest, quorum in tribus additum, et a tribus Oxx. Græv. Ern. colo ante *minutis* posito. Multo concinnius nectuntur hæc cum proxime præcedentibus verbis, quam ad Catonem referuntur. Cum tredecim Ald. et quatuor Oxx. consentiunt edd. vett. et Facciolatus. — Paullo ante pro *neque dil*. MS σ. *quæ nullum dil*.

14. *Interrogatiunculis*. Hac voce significat argumentationes Dialecticorum, quæ fiebant interrogando. FACC. — Ut de Fin. IV, 3, 7 : « Pungunt, quasi aculeis, interrogatiunculis angustis : quibus etiam qui assentiuntur, nihil commutantur animo, et iidem abeunt qui venerant : res enim fortasse veræ, certe graves, non ita tractantur, ut debent, sed aliquanto minutius ». Duo Oxx. E. et U. *interrogationibus*.

15. *Quasi punctis*. Gern. *et quasi p*. Alii, inquit, tollunt particulam *et*. —Puncta porro dicit eadem ratione, qua dixit in lib. IV de Fin. c. 3 (l. l.). FACC. — Ernesti hæc adnotavit : « *minutæ interrogatiunculæ* sunt enthymemata et similes quæ interrogando fiunt conclusiones et argumentationes : has punctis comparat, sive ob brevitatem, sive quia acrius pungunt s. movent animum audientis ; *et* abfuit MS Pithœi, delevitque Grævius : abest etiam ed. Colon. Mediol. Ald. Victor. etc. item MS Duisburg. quia *et* formæ Ciceronis in hoc genere non consentit, delevi ». Acad. II, 35, 112, dicit *Stoicorum dumeta* ; de Fin. III, 1, 3, « spinosum disserendi genus », ut IV, 18, 79, « disserendi spinas ». Exemplum præbet ib. IV, 18, pr. GERN.— *Et quasi punctis*. Hoc est, rebus brevissimis. Punctum enim quod breve admodum est, dicitur a pungendo. Quia spinæ pungunt, orationis genus quo Stoici utuntur, spinosum appellat Cicero in V de Finibus, et *dumeta*, in Lucullo : « Quum sit campus in quo exsultare possit oratio, cur eam in tantas angustias, et Stoicorum dumeta compellimus ? » SYLV. — Pith. rectius omissa copula, « minutis interrogatiunculis, quasi punctis ». Ipsas interrogationes puncta dicit, hoc est, acuta et brevia dicta. GRÆV. — *Puncta* hic fœminino genere, pro *punctura* dicitur. TURNEB. Advers. XX, 20.

16. *Quod proposuit*. MS *quod possint*. Guiliel. vult *quod posuit* : contra Grævius, « quod proposuit, efficit », est, inquit, quod vult persuadere et aliis probare, id consequitur illis minutis interrogatiunculis. GERN.

17. *Splendescat*. Unus liber Manut. *exsplendescat*. GERN. — *Excol*. MS ψ. *extollatur*. — Eamdem fere expressit sententiam Bolæus, Art. poet. lib. III :

Il n'est point de serpent ni de monstre odieux
Qui, par l'art imité, ne puisse plaire aux yeux :
D'un pinceau délicat l'artifice agréable
Du plus affreux objet fait un objet aimable.

18. *Quum ita putarem*. *Ita* abest a

audacius, quam ille ipse, de quo loquor. Cato enim dumtaxat de magnitudine animi, de continentia, de morte[19], de omni laude virtutis, de diis immortalibus, de caritate patriæ, stoice solet, oratoriis[20] ornamentis adhibitis, dicere. Ego vero[21] illa ipsa, quæ vix in gymnasiis[22] et in otio stoici probant, ludens[23] conjeci
4 in communes locos. Quæ, quia sunt admirabilia, contraque opinionem omnium[24], ab ipsis etiam παράδοξα

duobus Manut. in quorum uno additum est. Gern.

19. *De continentia, de morte.* « Britanni quidam, ait Ernesti, corrigunt *de contemnenda morte.* Nam Catonem non de morte, sed de ejus contemptu disputasse». Britannos intellige, *Jo. Walkerum* et Th. Bentl. — Unus Manut. « de constantia, de morte ». At de continentia disputabant, ne propter voluptatem aut utilitatem justitia et modestia relinqueretur: *de morte*, quæ non esset metuenda, et similiter de reliquis.

20. *Oratoriis ornamentis.* Ita in Bruto, c. 31, perfectissimum Stoicum vocat Catonem, et tamen ait eloquentiam in illo non desiderari. Alii addunt *nullis;* sed perperam. Facc. — Addunt *nullis* sex Ald. duo Oxx. edd. vett. et Lambinus, quum in uno libro esset « vel oratoriis orn. » in uno MS apud Græv. « non adhibitis ». Sed jam ante Gruterum Langius et Manut. *nullis* expunxerunt, nec est in Pith. et libris al. Recteque Grævius monet, vocem « dumtaxat de magnit. » (h. e. si non de ceteris, de magnitudine animi saltem dicere solebat adhibitis orat. ornam.) asserere veritatem nostræ script. Guilielm. ex uno cod. probat *hortatoriis* pro *oratoriis;* unus Ox. *orationis orn.* Gern. — Qui legi volunt *nullis orat. orn.* confitentur se minime hoc procemium intellexisse. Noster, qui ubique Catonem eloquentia eminuisse declarat, hic significare vult Catonem eas solum suis orationibus inseruisse disputationes in quibus Stoici cum ceteris non magnopere dissentirent; se autem audacius hoc in opere facturum, qui vel Stoicorum Paradoxa tractaturus sit.

21. *Ego vero.* Novem Manut. ed. Ascens. 1520, Grut. Græv. addunt *tibi.* Ed. Ven. 1487, Hervag. 1540, Lugd. 1556, Anemœcii Colon. Agripp. 1563, Lang. Gothofr. « Ego autem ». Vict. Junt « Ego tibi illa ». Gern.

22. *Vix in gymnasiis.* Vid. Orat. II, 5, 20, et I, 13, 56: « Etenim, inquit, quum illi in dicendo inciderint loci.... ut de diis immort. de pietate... de temperantia, de magnitudine animi, de omni virtutis genere sit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnasia atque omnes philosophorum scholæ, sua hæc esse omnia propria; nihil omnino ad oratorem pertinere ». Gern.

23. *Ludens conjeci.* Ad ludicram et umbratilem styli exercitationem per locos communes dilatavi. Facc.

24. *Opinionem omnium.* Duodec. Ald. et quatuor Oxx. *opin. hominum.* Idem vitium deprehendit in codd. Heusingerus Off. I, 16, 5; II, 9, 9; III, 12, 7. Ox. N. *opinionem vulgarem.* Gern. — Παράδοξα. Id est, « mirabilia, quæque sunt contra opi-

appellantur[25], tentare volui, possentne proferri in lucem[26], id est, in forum, et ita dici, ut probarentur; an alia quædam esset erudita[27], alia popularis oratio: eoque scripsi libentius[28], quod mihi ista παράδοξα quæ appellant[29], maxime videntur esse Socratica[30], longeque verissima.

Accipies igitur hoc parvum opusculum, lucubratum his jam contractioribus[31] noctibus; quoniam illud majorum vigiliarum[32] munus in tuo nomine

nionem omnium ». Acad. II, 44, et lib. de Fin. IV, 27. Exponuntur a Cicerone ad quamdam veluti senilem declamationem, ut ipse eam vocat in Tusc. I, c. 4. Itaque scribit Suetonius de Clar. Rhetor. c. 1, Ciceronem seniorem quoque declamasse. Facc.

25. *Appellantur*. Pith. *vocantur*. Quum eodem Cod. Langio et Anemœc. Græviu et Facciol. plene interpungunt ante *Tentare*. Ernestius revocavit vulgatam vett. edd. rationem eamque probabiliorem. Unus Ald. « et tentare volui »; alii *ac tent. v.* reliqui septemdec. Ald. omittunt conjunctionem. Gern. — Bentl. legit et distinguit : « ab ipsis etiam παράδοξα appellata, tentare volui ». Sed præstat tamen lectio Cod. Duisb. « et ab ipsis etiam παρ. appellantur, tentare vol. » Ita opponuntur *sunt* et *appellantur*. Hanc lectionem, sublatis e textu signis parentheseos, receperim. Idem Bentl. et Schützius in edit.

26. *In lucem*. Sc. ex angulis. Vid. ad Cat. M. c. 4, 12. Verba « id est, in forum » absunt a tribus Ald. duob. Oxx. et ed. Anemœcii 1565; tres Oxx. et duo Manut. « vel in forum »; duo « et in forum ». Schütz. in libro inscripto *Litter. Spatziergänge* hæc verba proscripsit, et *in lucem* interpretatur *in vulgus*, assentiente Wetz. Arctiore sensu *forum* h. l. intelligi nequit, latiore, etiamsi per se ferri posset, tamen idem esset, quod *in lucem*, ideoque ineptum. Gern.

27. *Esset erudita*. Pith. omittit *esset*. Gern.

28. *Eoque scripsi libentius*. Quatuordec. Ald. et sex Oxx. *eoque* (unus Ox. *ideoque*) « hos locos scripsi libentius » (Ald. *lubentius*); tres, *eoque* omisso, « locos scripsi lib. » Gern.

29. *Quæ appellant*. Sic duo Ald. et tres Oxx. (quorum unus *appellent*) ed. Lugd. Græv. Facciol. Oliv. Ern. Reliqui *appellantur*, quod est translatum e superioribus : non enim ab omnibus παράδ. appellantur, sed a Stoicis. In uno Ox. h. v. deest. Gern.

30. *Socratica*. Exierunt ex schola Socratis, qui in rebus omnibus non vulgi opinionem, sed veritatem et honestatem sequebatur. Facc. — Grævius monet, quid alii philosophi de paradoxis senserint, docuisse Lipsium Manuduct. ad Stoic. philos. III, dissert. 2. Gern.

31. *Contractioribus noctibus*. Æstate. Vide Mureti Var. Lect. XVIII, 13. Olivet.

32. *Majorum vigiliarum*. Tusculanas quæstiones, libros de Finibus et de Natura Deorum. Facc. — Paullo ante, Cod. Duisb. transp. « his jam

apparuit. Et degustabis genus hoc[33] exercitationum earum[34], quibus uti consuevi, quum ea, quæ dicuntur in scholis θετικὰ[35], ad nostrum[36] hoc oratorium transfero dicendi genus. Hoc tamen opus in acceptum ut referas[37], nihil postulo. Non est enim[38], ut in

contractioribus noctibus lucubratum », in quo dissentio, propter seqq. « majorum vigil. » quibus debet « contractioribus noctibus » proximo loco opponi.

33. *Et degustabis genus hoc.* Facc. scribit « degustabis et hoc ». Vir D. plenius interpungit ante *degust.* ut ed. Lugd. 1556, et Anemœc. 1563. Pron. *hoc* deest in E. in ed. Ven. 1487, utraque vocula; in Ascens. 1520, et Hervag. 1540. Græv. Ern. « et degustabis genus hoc ». Gern.

34. *Exercitationum earum.* Facc. scribit *mearum* cum sex Oxx. et nonnullis edd. vett. Sed Manut. Græv. Oliv. Ern. cum uno Ox. et quibusd. edd. vett. *exercit. earum.* In duobus Manut. quorum in altero additur, hæc vox recte omittitur. Etenim *mearum* molestum est propter « quibus uti consuevi », et *earum* propter *hoc*, quasi hæc pars sit exercitationum earum, quibus uti consuevi. Sunt vero hæ ipsæ exercitationes, quibus u. c. Gern. — Ipse Gern. *earum* uncis inclusit.

35. Θετικά. Theses, et, ut a Quintiliano dicuntur in lib. X, cap. 5: « infinitæ quæstiones, quibus Cicero jam princeps in rep. exerceri solebat ». Vulgo *Temi da scuola.* Facc. — Miror, Facciolatum etiam in textu scripsisse θετηκὰ pro θετικὰ, h. e. quæstionibus philosophicis apta, quod voc. varie corrumpitur in libris scriptis, ut cod. Mauric. habet θετικῶς, Pith. θετικαὶ, ed. Ven. κταικαὶ, al. *perfectica*, *electica*, ut un. Ox. θέσεις. Plura vide ad Att. IX, 4. Gern. — Mihi hoc quidem loco semper probabile visum est, θετικὰ et παράδοξα eadem esse. *Thesis* enim vocatur magni alicujus viri a communi hominum sententia discrepans opinio. Muret.

36. *Ad nostrum.* Pith. transp. « ad nostrum dicendi hoc or. tr. gen. »

37. *In acceptum ut referas.* Facc. dedit « in apertum ut proferas ». « In apertum » est præter edd. vett. in omnibus Manut. sex Oxx. Pith. et quibusdam Langii; in aliis ejusdem, compluribus Lambini, tribus Guil. et uno Gifan. « in acceptum ut referas », item ed. Ven. et Ascensii; Pith. « ut in apertum referas »; ed. Lugd. et Anemœc. cum Hervag. *proferas;* unus Manut. *deferas.* Cf. in Verr. I, 57, 149. Exigua autem munera in acceptum referri non solent. Gern. — Schützius revocavit lectionem « in apertum ut proferas » propter seqq. « non est enim, ut in arce poni possit ». Quamquam et huic ipsi locutioni, qua significat, rem non magni pretii esse, et verbis *nihil postulo* magis convenit « in acceptum ut referas ». Quis enim modestior postulaverit, ut munus suum in apertum proferatur? Accedit, quod ipse Cic. § 4, dixit: « tentare volui, possentne proferri in lucem ». Th. Bentl. dubitat, utram lectionem sequatur, et pro *apertum* male conjicit *apricum.*— *In acceptum.* Quasi dicat: Tantulum est, ut acceptum ferre non debeas. Muret.

38. *Non est enim.* Grammatici addidere *tale*, quod non est opus. Facc.—

arce[39] poni possit, quasi illa Minerva Phidiæ[40]; sed tamen[41], ut ex eadem officina[42] exisse appareat.

PARADOXON I.

Ὅτι μόνον ἀγαθὸν, τὸ καλόν [1].

Quod honestum sit, id solum bonum esse [2].

I. Vereor, ne cui[3] vestrum ex stoicorum[4] homi- 6

Edd. vett. « Non enim est tale ». Ultimam vocem Guilielm. delevit auctoritate libri Mauric. Gern.

39. *In arce.* Quinque Manut. *in arcem.* Gern.

40. *Minerva Phidiæ.* Unus lib. Manut. omitt. *Phidiæ*, unus *illa.*—Statua, quæ in arce Atheniensi collocata erat, opus Phidiæ longe nobilissimum, de quo in Tuscul. I, c. 15. Vid. Thucyd. lib. II; Plut. in Pericle, et apud Plinium, XXXIV, c. 8. Facc. — Ex ære illa statua erat conflata; aliam minus laudatam fecerat ex ebore. Gern.

41. *Sed tamen.* Sic quinque Manut. et ed. Lugd. 1556 : « sed tale tamen est » totidem; omisso *sed* Manut. et Ascens. « sed tamen tale est » tres Ald. *sed tantum* unus et ed. Venet. 1487, Herv. et Anemœc. *Tale* est interpretamentum, ut paullo ante formulæ *est ut.* Gern.

42. *Ex eadem officina.* Ex qua scil. exierant libri de Fin. et de Nat. Deor. — *Exisse appareat.* Sic omnes Manut. et quinque Oxx. duo « in hac eàdem figura exisse appareat »; hæc addit ed. Ven. verbis *exisse videatur*, quæ leguntur etiam in ed. Asc. Gern.

Parad. I. 1. Ὅτι, etc. Al. Ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν. Certe ex schola Stoica, sive Zenonis sit, sive Hecatonis, sive Chrysippi. Facc. — Desunt græca in sex Oxx. Facciol. dedit Ὅτι ἀγαθὸν μόνον τὸ καλὸν, nescio unde petitum. Manut. Græv. Olivet. Ern. Ὅτι μόνον ἀγαθὸν τὸ καλόν. Membr. Lang. Vict. Gronov. patris, ed. Ven. 1487, Herveg. Ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν, quod defendit J. Gron. Diog. Laert. Zenon. lib. VII: Λέγουσι δὲ μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν εἶναι, καθ' ἅ φησιν Ἑκάτων ἐν τῷ τρίτῳ περὶ ἀγαθῶν, καὶ Χρύσιππος ἐν τοῖς περὶ τοῦ καλοῦ· εἶναι δὲ τοῦτο ἀρετὴν, καὶ τὸ μετέχον ἀρετῆς· ᾧ ἐστιν ἴσον τὸ πᾶν ἀγαθὸν καλὸν εἶναι, καὶ τὸ ἰσοδυναμεῖν τῷ καλῷ τὸ ἀγαθόν· ὅπερ ἴσον ἐστὶ τούτῳ· ἐπεὶ γὰρ καλὸν, ἀγαθόν ἐστιν· ἔστι δὲ καλὸν, ἀγαθὸν ἄρα ἐστί. Cf. Fin. III, 8, 27; Tusc. V, 15, 45. Senec. Epist. 118: « Bonum societate honesti fit, honestum per se bonum est. Bonum ex honesto fluit, honestum ex se est ». Gern.

2. *Quod... bonum esse.* In vett. exemplar. Langii nullæ latinæ inscriptiones exstant. Desunt etiam in duobus Oxx. Unus Ox. « Quod enim honestum sit, dicebant id solum bonum esse ». Ed. Ascens. 1520 : « Quod solum honestum bonum ». Ed. Anemœc. 1563 : « Quod honestum sit, id solum bonum ». Facciol. « Quod... bonum est ». Nostra lectio certe videtur antiquior et probabilior esse. Gern.

3. *Vereor, ne cui.* Duo MSS apud Græv. Ox. U. et ed. Ven. 1487, « Vereor tamen, ne cui »; quatuor Oxx. « Ver. t. ne cuiquam ». G.

4. *Ex Stoicorum.* Unus Manut. *ex Socraticorum*; unus *exacticorum*;

num disputationibus, non ex meo sensu deprompta [5] hæc videatur oratio: dicam tamen, quod sentio, et dicam brevius, quam res tanta dici possit[6]. Numquam mehercule ego [7] neque pecunias istorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime adstricti[8] sunt, voluptates in bonis rebus, aut expetendis esse duxi[9]: quippe quum viderem, rebus his circumfluentibus [10], ea ta-

unus *exoticorum*. Præfatio docet, *Stoicorum hom.* probandum esse. Gern.

5. *Deprompta*. Pal. 2, Pith. *disputata;* unus Ox. *derapta*. Gern.

6. *Dici possit.* Gern. *poscit*, cum Facc. *Poscit*, inquit, quatuor Oxx. Lang. Camer. Grut. Hervag. Græv. Ernest. *possit* Ox. U. Pith. Ascens. Manut. cum suis, præter quinque, in quibus, ut in Ox. I. et Ven. *potest;* un. apud Verburg. *posset;* un. Ox. *poterit.* Novem Manut. *tanta res* pro *res t.*

7. *Numquam mehercule ego*, etc. Græv. ex Pith. transpos. « Numquam ego hercule ». Pertinet autem *hercule* ad *Numquam*. Unus Ox. *hercule;* un. *hercle*, un. et Herv. *mehercle;* reliqui *mehercule*. Gern.—Ex Stoicorum opinione admittit bona animi: reliqua sive corporis, sive fortunæ ex numero bonorum excludenda esse contendit. Facc.

8. *Adstricti*. Un. Manut. *stricti;* al. *affecti*. Gern.

9. *Aut exp. e. duxi.* Vulgo additur *numerandas :* quod non est necesse. Facc.—*Aut expetendis* omittunt Lamb. et Man. invitis suis codd. quorum in septem, ut in quinque Oxx. ed. C. Lang. Victor. Græv. *numerandas* non legitur. Unus Manut. *aut in expetendis;* unus *aut appetendis;* unus *aut petendis*. Gern.

10. *Rebus his circumfluentibus.* Al. « homines rebus his circumfluentes » : quam lectionem refert Grævius ad sciolos et interpolatores, in totum hoc opus audacissime grassatos. Facc. — Gern. qui dedit *circumfluentes*, observat: *homines* tuentur plerique Manut. et quinque Oxx. Pith. duo Manut. cum Ven. 1487, omisso *homines*, habent « quum viderentur rebus his circumfluentibus ». Aliæ edd. *his rebus*. At *rebus his* est in plurimis et opt. libris. *Circumfluentes* Ox. U. Lamb. Grut. Ascens. Herv. Anemœc. Utraque structura verbi *circumfluere* obtinet, ut pro Mur. c. 24, 49, « circumfluente colonorum Arretinorum et Fesulanorum exercitu ». Ita vix supersederi posse videtur aut voce *homines*, aut pronomine. Et Læl. c. 15, 52: « qui velit... circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere ». Ad quod exemplum si scribitur *circumfluentes*, non opus est pronomine; omnia sunt perspicua. Nec mirum est, *circumfluentes* mutatum esse in *circumfluentibus*, quod responderet verbis *rebus his*, præsertim quum *homines* irrepsisset. — Idem Gernh. in Addendis, mutata sententia, dicit: Bentleius, cui *circumfluentes* non displicet, servato tamen *circumfluentibus*, conjicit « qui iis abundarent ». Schützius vulgatam *circumfluentibus* tuetur. Atque ego quoque tueri debebam et cum Pith.

men desiderare maxime[11], quibus abundarent. Neque enim expletur[12] umquam, nec satiatur cupiditatis sitis : neque solum[13], ea qui habent, libidine augendi
cruciantur, sed etiam amittendi metu. In quo equidem 7
continentissimorum hominum, majorum nostrorum, sæpe requiro[14] prudentiam, qui hæc imbecilla[15] et commutabilia pecuniæ membra[16], verbo BONA puta-

duob. Ald. ed. Ven. scribere : « quippe quum viderentur (vulgo *viderem*), rebus his circumfluentibus, ea tamen, desiderare maxime, quibus abundarent ».

11. *Desiderare maxime.* Non explent appetitum : non sunt igitur bona. FACC. —In uno Manut deest *ea tamen ;* in O. σ. *ea.* Ox. I. *desiderare ea ;* MS Duisb. *eos ;* Guil. cod. Mauric. *ea tamen eos.* U. et ψ. *illos desid.* quod pronomen e superiore *istorum* intelligitur. Tres Oxx. *et tamen ;* duo Manut. *ea tantum.* Verba *quibus abundarent* Grut. delet. GERN.

12. *Neque enim expletur.* Aristot. Pol. II, 5 : ἄπειρος γὰρ ἡ ἐπιθυμίας φύσις. GERN.

13. *Neque solum*, etc. Al. « neque ea solum, quæ habent ». Excruciant libidine augendi et exanimant metu amittendi : non sunt igitur bona. FACC. —Sex codd. Ald. « neque solum ea quæ hab. » totidem « nec ea solum quæ h. » reliqui et edd. vett. « neque ea solum quæ h. » Pronomen *qui*, quod requiritur, tuentur sex Oxx. Græv. Facc. Ern. GERN.

14. *Sæpe requiro.* Octo Manut. et quinque Oxx. *semper requiro*, h. e. desidero. GERN.

15. *Qui hæc imbecilla.* Unus Ox. *quod hæc imb.* tres Oxx. quatuor Manut. et ed. Ven. *imbecillia.* Tertiæ declinat. formam Ernesti Fin. V, 24, 71, « leves et imbecilles fore intelligunt », ex ed. pr. recepit, dissentiente Gœrenzio, qui e duobus lib. *imbecillos* recte restituit. Suadet etiam h. l. diversarum flexionum suavitas in binis adjectivis. GERN.

16. *Pecuniæ membra.* Pecuniæ nomine possessiones intelligit, et bona reliqua istius generis, quæ in patrimonio sunt. FACC.— Sylvius hæc monet : « Pecuniæ nomine intelliguntur pecora, prædia, aliaque ejusdem generis, quæ possidentur, quorum multa sunt quasi membra ». Haud aptiora tradit Grævius. Nam res, quæ pecunia emuntur, quis membra pecuniæ dixerit ? Admodum probabile est, quod Schütz. in menstruo supra laudato conjecit, *pecuniæ munera*, e cujus compendio nasci potuit vulgata lectio *membra.* Est enim pecunia (Fin. II, 17, 55), « effectrix multarum et magnarum voluptatum ». Probata hæc conjectura est etiam Wetzelio et C. F. Wolffio in nota ad hujus l. versionem. Quamquam equidem suspicor, neutrum horum substantivorum a Cicerone esse, sed satis habuisse genitivum cum neutro pronom. jungere pro « hæc imbecilla et commutabilia, quæ sunt pecuniæ ». Vid. Parad. VI, 2, 48, ubi in duab. edd. vox *membra* addita est; nisi velis, quod in mentem mihi venerat, scribere *pecunia*, ut sint *commutabilia pecunia*, quæ commutari possunt pecunia, hoc est, emi vendique. Pro Cluent. 46, 129 : « Qui ad per-

verunt appellanda, quum re ac factis longe aliter judicaverunt [17]. Potestne bonum [18] cuiquam malo esse [19]? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia [20] talia videmus, ut etiam improbi [21] habeant, et obsint [22] probis.

8 Quamobrem licet irrideat, si quis vult [23]; plus apud me tamen vera ratio [24] valebit, quam vulgi opinio. Neque ego umquam bona perdidisse [25] dicam, si qui

niciem innocentis fidem suam et religionem pecunia commutarit». Gern. — Idem in Add. Non male Th. Bentl. utramque vocem *pecuniæ membra* delet, et « hæc imbecilla et commutabilia » comparat cum Parad. I, 3, 14 : « Hæc... quæ modo huc, modo illuc transferuntur ». — *Verbo*. Vett. edd. *solo verbo*. Priorem vocem recte omittunt septem libri Manut. tres Oxx. Græv. Facciol. Ernest. Gern.

17. *Judicaverunt*. Octo Manut. *judicassent*, alii *indicassent*. Gern.

18. *Potestne bonum*, etc. Hæc sunt fere in improbis hominibus, et nocent probis : non possunt igitur dici bona.

19. *Cuiquam malo esse*. Tres Oxx. *inesse*, quod ab externæ rei possessione discrepat. Gern.

20. *Atqui ista omnia*. Tres Manut. *Atque i. o.* unus *Aut qui i. o.* unus *An i. o.* Gern.

21. *Etiam improbi*. Sex Ald. *ut improbi*, omisso *etiam*. G.—Græv. laudat Senec. Epist. 117 : « Id medium atque indifferens vocamus, quod tam malo contingere, quam bono potest, tamquam pecunia, forma, nobilitas ».

22. *Obsint probis*. Octo Ald. duo Oxx. Pith. *obsint bonis ;* unus Manut. *absint a bonis*. Gern.

23. *Quamobrem licet irrideat, si quis vult*. *Licet* abest a quatuor libris Manutii, in quorum uno additur. Alii *quamlibet irrideat*. Pro *si quis vult*, al. *si quid velit ;* Verburg. edid. *si qui vult ;* reliqui edd. *si quis vult*. « *Si qui* pro *si quis* sexcentis (ut ait Ruhnkenius ad Rutilium, p. 201) locis est apud Ciceronem et alios. Vide Dukerum ad Florum, I, 18, 20, et Drakenborch. ad Livium, III, 17 » ; restitutumque est ab Heusing. Offic. I, 16, 8 ; III, 4, 12. Audiendi in his codices, nec ubique *si quis* mutandum. Quamquam opinor scriptores aurium comprobationem sequutos esse, quæ non dubia est ; Cic. Epist. ad Div. IV, 5 : « Quod si qui etiam inferis sensus est » ; tum ambiguitatem vitasse, vel pluralis numeri, vel adverbii *qui*. Denique nescio an antiquioris formæ *qui* et *aliqui* pro *aliquis* delectatio hic illic in causa fuerit. G.

24. *Tamen vera ratio*. *Tamen* recte abest ab uno Manut. et ed. Ascens. ab uno Ox. *tamen vera*, quod possit arridere, ut *ratio* sit illa quasi dux lumenque vitæ (Acad. II, 8, 26), quæ fallere non potest. Est autem *vera ratio* i. q. ratio et veritas, aut vera argumentatio. Vid. Frag. Hortensii apud Prisc. s. v. *detrahere :* « Ut ea sibi ratio vera restituat, quæ consuetudo vitiosa detraxerit ». Conf. pro Cluent. cap. 2, 6. Gern.

25. *Bona perdidisse*. Præponunt *illum* duo Oxx. sex Ald. Ascens. Herv.

pecus, aut supellectilem amiserit; neque[26] non sæpe laudabo sapientem illum, Biantem, ut opinor[27], qui numeratur in septem[28]: cujus quum patriam Prienen[29] cepisset hostis, ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent[30]; quum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret: « Ego vero, inquit, facio; nam omnia mea porto mecum[31] ». Ille hæc lu- 9

quo non opus est. De *si quis* pro *quicumque* vid. Gœrenz ad Leg. II, 19, 49. Edd. vett. *si quis*, ut paullo ante, et Ernestius, qui h. l. nescio qua auctoritate dedit *si qui*, quum Græv. *si quis* scripsit. Gern.—Pro *pecus* MS I. dat *pecuniam*.

26. *Neque non*. Sic duo Oxx. Græv. Ern. *nec non* quatuor Oxx. et edd. vett. Ox. E. *nec vero*. Epist. III, 12: «Neque enim tristius dicere quidquam debeo de te... neque non me tamen mordet aliquid ». Gern.

27. *Biantem, ut opinor, qui*. H. e. nescio an ille Bias is fuerit, qui.—Ox. I. transp. *qui, ut opinor*. Gern.

28. *Numeratur in septem*. Vulgo al. « enumeratur inter septem sapientes ». Explicatio irrepsit in contextum. Facc. — « Ex Pithœano codice, Grævius inquit, rescripsi sine cunctatione « qui numeratur in septem ». Nam *enumerare* in hoc sensu non invenies apud ullum bonæ notæ ætatisque scriptorem, sed *numerare* pro *æstimare*, vel *habere* millies. Cic. ad Div. I, 9: « Itaque tota jam sapientum civium, qualem me et esse et numerari volo, et sententia et voluntas mutata esse debet ». Cf. id. XII, ep. 1; VII, 1. *Numeratur* est etiam in omnibus Oxx. Ven. Ascens. et Herv. quarum edd. prima cum uno Ox. et uno Manut. *in* pro *inter*; reliquæ cum quatuor Oxx. « inter septem sapientes »; duo Oxx. dant *inter septem*. Gern.

29. *Prienen*. Ioniæ urbs, bis expugnata primum ab *Ardy*, seu Ardylo, (vid. Herod. I, 142), et postea, Biantis ætate, a Crœsi patre, Alyatte, de quo Herod. I, 26, et Laert. in vita Biant. Rem narrat Val. Max. VII, 2, ext. 3. Gern.

30. *Rebus secum asportarent*. *Rebus secum* deest in duobus Oxx. *secum* in quatuordecim Manut. quorum in uno additur. Lambino videtur legendum aut « ut multa de suis asportarent », aut « ut multas de suis rebus asp. » nec tamen quidquam mutare ausus est. Quos loc. Grævius laud. Verr. VI, et IV, 48, 107, ii excusant *secum asportare*, non illud, quod duriusculum visum Lambino est, « multa de suis rebus ». Gern. — Bentleius delet *secum*; idem probat, « multa de suis rebus », ut supra, § 6, ad « rebus his circumfluentibus » adjiciatur *ea tamen*. Quæ sunt tamen illis non omnino paria.

31. *Omnia mea porto mecum*. Sic cum Grævio et recentt. editur. Vis est in *mecum*, quasi ceteri plaustris et jumentis res suas asportarint, quum vix liceret humeris, ut Valerius ait, pretiosarum rerum onustis fugientibus. Manut. et Facciol. cum edd. vett. transponunt « Omnia mea mecum porto », ut Val. Max. « Ego vero, inquit, bona mea mecum porto ». At Cicero,

dibria fortunæ[32], ne sua quidem putavit, quæ nos appellamus etiam bona. Quid est igitur[33], quæret aliquis, bonum? Si quid recte fit, et honeste, et cum virtute, id bene fieri, vere dicitur[34]; et, quod rectum[35], et honestum, et cum virtute est, id solum opinor bonum.

II. Sed hæc videri possunt obscuriora[1], quum entius[2] disputantur. Vita atque factis illustranda

præmissis verbis « Ego vero facio; nam », non debebat verbum *porto* extremo loco ponere, sed pronomen *mea :* quem locum huic pronomini unus tuitus est Hervag. non tamen, ut opinor, sine codicum auctoritate. Quæ etiamsi deesset, scribendum foret « omnia mecum porto mea » propter verborum interpretationem a Cicerone statim additam. Hæc enim Bias existimavit esse *sua*, non aurum, argentum, etc. Cf. Parad. IV, 1, 29, quum Valerius suo modo adderet : « Pectore enim illa gestabat, non humeris : non oculis visenda, sed æstimanda animo ». Gern.

32. *Ludibria fortunæ*. Offic. I, 32, pr. « Nam regna, imperia, nobilitates, honores, divitiæ, opes, eaque, quæ sunt his contraria, in casu sita, temporibus gubernantur». Ovid.Trist. III, 7, 41 : « Namque dat id cuicumque libet Fortuna, rapitque; Irus et est subito, qui modo Crœsus erat». Gern.

33. *Quid est igitur*, etc. Pith. « quæret igitur aliquis, quid sit bonum ». Item cod. Duisb. sed in marg. vulgata scripta est. Tres Oxx. vulgarem verborum ordinem sequuti, habent *quid sit ig.* Gern.

34. *Id bene fieri vere dicitur*. Pith. « id bonum fieri vere dicitur ». Ab uno libro Man. *vere* abest; Lamb. et Hervag. « id bene fieri, et recte dicitur ».

35. *Quod rectum*. Gernhard *et quod rectum*, observat: Particulam *et* male omittunt octo Ald. ed. Hervag. Lugd. Per *et* inducuntur, quæ e superioribus sequuntur, ut *fieri* et *est* sibi sint opposita. Ascensius dedit in seqq. « et honestum cum virtute est », quasi quid possit sine virtute honestum esse. Reliqui recte « et hon. et cum virt. est ». In Ox. I. hæc omnia « id bene fieri... cum virt. est » desunt. In errorem induxit librarii oculos pronomen *id*, ab initio et hujus loci et sequentis positum. Gern. — Bentl. « si quod recte... dicitur; quod rectum, etc. » deleto *et*. Etiam cod. Duisb. habet *quod rectum*.

II. 1. *Obscuriora*. Unus Manut. et unus Ox. *obscura;* duo Oxx. et ψ. *odiosiora*. Gern. — Item cod. Duisb. in cujus marg. scriptum est « lentius disputata odiosiora sunt ».

2. *Lentius*. In vulgatis additur, « sine expositione exemplorum ». Scilicet hæc ipsa est alicujus Grammatistæ explicatio. Facc.—Interponuntur post voculam *quum* hæc verba in uno cod. Lambin. sed in octo libris Manut. et quinque Oxx. cum ed. Ascens. Herv. Lugd. « sine appositione exempl. » in uno Manut. « sine positione exempl.» in ed. Anemœc. « sine oppositione exempl.» absunt autem a reliquis codd. ed. Venet. 1487, Lang. Victor. Grut.

sunt[3] summorum virorum hæc, quæ verbis subtilius, quam satis est[4], disputari videntur. Quæro enim a vobis, num ullam cogitationem[5] habuisse videantur ii, qui hanc rempublicam tam præclare fundatam nobis reliquerunt, aut auri[6] et argenti ad[7] avaritiam,

et recentt. *Lentius* Oxx. vario modo corrumpunt *levius*, *lencius*, *lente*, alii in Grævii Var. Lectt. *latius*. Nec mirum est in alia vocabula *lentius* abiisse, quod Ernesti in Clavi interpretatur *subtiliter*, Forcellini in Lex. *placide*. Menckenius in Observv. lat. ling. ex oppositis intelligit «verbis tantum et rationum conclusionibus, non illustribus exemplis», recte. GERN.—Schützius Grutero, cui verba «hæc... lentius disputantur» e glossemate accessisse videntur, assentiens, «sane, inquit, si scribatur *Sed vita atque factis*, seqq. nihil desideraveris». Th. Bentl. deleri vult verba «quum lentius disputantur» et «summorum virorum hæc». Molestum sane est duplex *hæc*; tam reliqua *verbis*... *videntur* malim pro interpretamento haberi superiorum «hæc videri possunt obsc. quum lentius disputantur», quam hæc ipsa deleri, quæ prius cogitanda erant, quam *facta* postularentur.

3. *Vita atque factis illustranda sunt.* MS apud Græv. «vita igitur atque f. i. s.» GERN.

4. *Subtilius quam satis est.* Nonnulli MSS apud Grævium «subtilius quam factis». GERN.

5. *Num ullam cogitationem.* Tredecim Manut. duo Oxx. Pith. et ed. Venet. 1487, «num illam cogitationem». Conf. Velleium Paterculum, II, 17. GERN.

6. *Aut auri et argenti.* Quindecim Manut. et edd. vett. «aut auri aut argenti», tres Oxx. «auri aut argenti», omisso priore *aut*. Utrumque *aut auri* abest a quatuor Oxx. quatuor MSS Guilielmi et Gruteri, cum Pithœano, repudiatumque est a Grævio, Facciol. Schützio et Ernestio, qui, quod in edd. pr. et tribus Manutii libr. legitur, «aut auri et argenti», tolerabilius esse ait, assentiente Wetzelio, quum utrumque conjungere Ciceroni admodum sit familiare, ut de Leg. II, 18, 45: «Aurum autem et argentum in urbibus et privatim et in fanis invidiosa res est», et Parad. VI, 2 extr. «Nulla vis auri et argenti pluris quam virtus æstimanda est». Quidni igitur utriusque metalli splendorem ac pretium, quod maxime ad avaritiam invitat, commemoret? in multisque sæpe libris quæ inter repetitam voculam interposita sunt, præsertim in tanta particulæ et substantivi similitudine, omittuntur, et paullo post in Ox. E. *aut* mutatur in *et*, ab aliis legitur *aut voluptatis* pro *ad voluptates*. GERN. — Etiam Th. Bentl. «aut auri et argenti» defendit. Coll. cap. 3, 13.

7. *Ad avaritiam.* Ruhnkenius ad Vell. Paterc. II, 17, 2, pag. 124, dissentiente Schützio l. l. corrigit «aut argenti ad divitias aut amœn.» nimirum ne cum delectatione et deliciis compararetur invisa avaritia. Est autem *avaritia* (ut Cic. interpretatur Tusc. IV, 11, 26) opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda sit, inhærens et penitus insita; cui cupiditati ut satisfiat, aurum et argentum

aut amœnitatum[8] ad delectationem, aut supellectilis
11 ad delicias, aut epularum ad voluptates? Ponite[9] ante oculos unumquemque regum. Vultis a Romulo[10]? vultis post liberam[11] civitatem; ab iis ipsis, qui liberaverunt eam[12]? Quibus tandem gradibus Romulus adscendit in cælum[13]? iisne, quæ isti bona appellant? an rebus gestis[14], atque virtutibus? Quid? a Numa Pompilio[15]? minusne gratas diis immortalibus

quærunt homines. Ita aurum movet avaritiam, avaritia allicit ad prædam. Cf. pro lege Manil. c. 14, 40. Gern.

8. *Amœnitatum*. Quinque libri Manut. *amœnitatis*; unus *amœnitates*. Wetzelius intelligit tecta magnifica, c. 1, 2, et villas splendidas. — Paullo post, Ruhnkenii conjectura *ad divitias* in Ox. ψ. legitur pro *ad delicias*. Gern.

9. *Ponite*. Oxon. C. male addit *vobis*. Gern.

10. *Vultis a Romulo?* Al. addunt *incipiam*, al. *incipere*. Apte, si addere necessarium esset, quod eleganter reticeri potuit, et in optimis codicibus deesse critici adverterunt. Facc. — Quinque Oxx. «a Romulo incipere», quorum unus «Vultis prius a Rom. incipere»? Duo Gruteri codices, ed. Ven. 1487, «incipere a Romulo; incipiam a Rom.» edd. Ascens. Herv. Anemœc. In Lugd. 1556, duob. Oxx. Pith. ut a Victorio, et Grutero auctoritate codd. Palat. 2, 3, 6, F. et M. et a Grævio neutra vox admittitur. Græv. intelligit *exemplum*. Gern.

11. *Liberam*. Manutius monet, ab aliis male legi *liberatam*, quod sane intelligendum est, quamquam existimo Ciceronem scripsisse *liberam*, ut vitaretur structuræ verborum *ab iis ipsis* ambiguitas. Gern.

12. *Liberaverunt eam*. Pronomen *eam* abest a sex libris Manutii et duobus Oxx. Gern. — Pronomen *eam* delent cod. Duisb. et Bentl.

13. *Romulus adscendit in cælum*. Verburg. et Ernest. *escendit*. At edd. vett. Græv. et Facciol. recte *adscendit*, ut Læl. c. 23, 88: «Si quis in cælum adscendisset», et pro Mil. 35, 97. Cf. Plut. Rom. c. 26, 5; Dion. Halic. I, 56; Liv. I, 16; Ovid. Fast. II, 490, seqq. Tuscul. I, 12, 28: «nostrorum opinione *Romulus in cælo cum dis agit ævom*, ut famæ assentiens dixit Ennius». Gern.

14. *Rebus gestis atque*. Unus Ox. male «rebus bene gestis an». Hæc particula est etiam in ed. Ven. 1487, et MS E. Gern.

15. *Quid Numa Pompilius?* Alii, «Quid? a Numa Pompilio, minusne, etc.» Al. «Quid autem Numa Pompilius?» Facc. — Libri MSS *autem*, quod est in edd. vett. ignorant. *Pompilius* abest ab uno Aldi nep. qui defendit nominativum cum quatuor Oxx. et edd. vett. Duo Palatt. C. Lang. Vict. H. Wolf. Gruterus, Græv. et Ernest. «Quid? a Numa Pompilio», sc. vultis. «Quid Numæ Pompilii (supplens *capedines*, etc.) minusne, etc.» recepit Oliv. tribus Oxx. suffragantibus. Favet etiam oppositum *aliorum*, quod sequitur. De sacris a Numa constitutis vid. Plut. Num. c. 8 et 9; Liv. I, 19. Gern.

capedines[16] ac fictiles urnulas[17] fuisse, quam filicatas[18] aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos: sunt enim omnes pares inter se, præter Superbum[19].
Brutum[20] si quis roget, quid egerit in patria libe- 12
randa; si quis item reliquos ejusdem consilii[21] socios, quid spectaverint[22], quid sequuti[23] sint: num quis

16. *Capedines.* In tertio de Natura Deorum, c. 17, dicuntur *capedunculæ Numæ*, hoc est, exiguæ simplicesque pateræ. Facc.—Omnes Ald. *capedines;* duo *capedinesque;* duo Langii *capudines.* Marsus *capides.* « *Capis*, ait Grævius, *capedo*, *capula*, *capedancula* dicitur vas ansatum ligneum aut fictile, quo olim in sacris utebantur, auctore Varrone, de L. L. IV, aliisque ». Similiter Festus: « Capis, poculi genus a capiendo dictum ». Gern. — Cf. Comm. Jos. Scaligeri in Varron. h. l. et Burm. in Petron. cap. 52, p. 253. J. V. L.

17. *Urnulas.* Septem Manut. *urnas.* Lamb. e tribus libr. script. *hirnulas.* Est autem *hirnula*, seu *irnula*, seu *irnella*, apud Festum vasis genus in sacris. Gern. — *Hirnulas* legit Th. Bentl. laudatque Cat. R. R. cap. 81: « Indito in hirneam fictilem ».

18. *Filicatas.* Filicis specie ornatas, pictas, cælatas. Alii leg. *delicatas*, al. *Deliacas*, quo nomine intelliguntur summi pretii vasa, quæ cum Corinthiis conjunguntur a Cicerone pro Rosc. Amer. c. 46. Facc. — *Delicatas* est in omnibus Aldinis, quinque Oxx. et edd. vett. Duo Oxx. alter *filicatas*, alter *felicatas* cum pluribus Langii, a filice herba (*Farrnkraut*, *fougère*), quæ *felix* et *felicula* Catoni dicitur. Vid. Græv. ad Ep. ad Att. VI, 1, med. « In felicatis lancibus et splendidissimis canistris olusculis non soles pascere; quid te in vasis fictilibus appositurum putem? » Quamquam Laz. Bayfius de auro et arg. legat. assentiente Betuleio non male legit *Deliacas.* Vid. Verr. II, 72, 176; ibid. IV, 1, 1. Gern.

19. *Superbum.* Quidam addidere *Tarquinium.* Facc.—Addunt hoc nomen duo Oxx. Pith. et edd. vett. excepta Venet. 1487, et Ascens. 1520. De L. Tarquinio Superbo vid. Liv. I, 49 seqq. in primis cap. 55: « Nec, ut injustus in pace rex, ita dux belli pravus fuit: quin ea arte æquasset superiores reges, ni degeneratum in aliis huic quoque decori obfecisset ». Gern.

20. *Brutum.* Lucium, qui reges expulit. Facc.—Sexdecim codd. Manut. et edd. vett. in quibus tamen non est Venet. 1487, « Brutum vere si ». Mediam vocem reliqui recte omittunt, quum plura exempla sequantur. Verburg. *si qui rog.* Gern.

21. *Reliquos... socios.* Sp. Lucretium, P. Valerium Tricipitinum, Collatinum. Vid. Liv. I, 58. Gern.

22. *Quid spectaverint.* Sic unus Ox. ed. Ascens. 1520, Lugd. 1556, Græv. Ern. Novem libri Manut. cum sex Oxx. *exspectaverint;* duo Ald. *exspectarint;* quatuor et Ven. 1487, *expetiverint;* unus *exspectaverunt;* unus *expotaverint;* unus *computaverunt.* Gern.

23. *Sequuti.* Quatuor Aldini et quinque Oxonn. *consequuti;* alii *assequuti.* Gern.

exsistet[24], cui voluptas, cui divitiæ, cui denique præter officium fortis et magni viri, quidquam aliud propositum fuisse videatur? Quæ res ad necem Porsenæ C. Mucium[25] impulit, sine ulla spe salutis suæ? Quæ vis Coclitem[26] contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? Quæ patrem Decium[27], quæ filium devotavit, atque immisit[28] in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabricii[29], quid tenuitas victus M'. Curii sequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici, Cn. et P. Scipiones[30], qui Carthaginiensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? quid Africanus major[31], quid minor? quid inter

24. *Exsistet.* Sic quatuordecim Ald. Grævius et Facciol. Duo Ald. *exsistit*; unus *existimet*; unus *ex iis*. Edd. vett. *exsistat.* Verba quæ sequuntur « fortis et magni viri » Th. Bentl. pro glossemate habet: in quo dissentio. Gern.

25. *C. Mucium.* Scævolam. — *C. Mucium* scripsit Guiliel. e Liv. II, 12, 1: « C. Mucius, adolescens nobilis, cui indignum videbatur populum romanum servientem, quum sub regibus esset, nullo bello, nec ab hostibus ullis obsessum esse; liberum eumdem populum ab iisdem Etruscis obsideri, quorum sæpe exercitus fuderit, etc. » Idem prænomen Gruterus reperit in duobus MSS et ed. pr. Est illud etiam, præter Livii codd. omnes, in uno Ox. (quum sex Oxx. et edd. vett. *Q.* dederint) et a Græv. et Ern. receptum. Gern.

26. *Coclitem.* Horatius Cocles positus forte in statione pontis, quum Etruscorum impetum sustinuisset, interrupto ponte, « armatus in Tiberim desiluit, multisque superincidentibus telis, incolumis ad suos tranavit ». Vid. Liv. II, 20. Tres Oxx. et edd. Ascens. et Herv. præponunt *Horatium*. Gern.

27. *P. Decium.* Vid. lib. de Sen. c. 20, ibique not. Facc.—Sexdec. codd. Manut. quatuor Oxx. et edd. vett. « Quæ vis patrem Decium (unus Ox. *ejusque*) filium ». Repetitam vocem *vis* repudiarunt e codd. suis Langius, Gruter. Græv. qui et in texto suo recepit et in not. Langium edidisse dicit *qui fil.* errore suspicor typograph. pro *quæ fil.*—Iid. et Ern. ediderunt e suis *devotavit.* Item octo Manut. et Oxx. quinque. Cum reliquis et edd. vett. exceptis edd. pr. Facciolatus *devovit.* Vid. Grut. ad Plaut. Cas. II, 6, 36: « Credo, hercle, hodie devotabit sortis, si attigerit ». Gern.

28. *Atque immisit.* Quatuor Ald. *immisitque*; unus *misitque*; quatuor et duo Oxx. *et immisit*; edd. vett. *ac immisit*; in σ. et ψ. hæc desunt. Gern.

29. *C. Fabricii.* De hoc vid. de Offic. III, 22, 87; Valer. Max. IV, 3, 6; 4, 3 et 10; Cat. M. cap. 6, 15. De *M'. Curio*, ibid. cap. 16, 55. Gern.

30. *Cn. et P. Scipiones.* Vid. not. ad Cat. M. cap. 20, 75. Gern.

31. *Africanus major.* Vid. Cat. M.

horum ætates interjectus Cato[32]? quid innumerabiles alii? nam domesticis exemplis abundamus[33]: cogitasse[34] quidquam putamus in vita sibi expetendum[35], nisi quod laudabile esse, et præclarum videretur[36]?

III. Veniant igitur[1] isti irrisores hujus orationis, 13
ac sententiæ; et jam vel ipsi[2] judicent, utrum se ho-

cap. 6, 19, et Wetzel in Exc. 7, 3, b. — De hujus nepote adopt. Africano minore, vid. Cat. M. ibid. et Wetzel Exc. 9, δ. Gern.

32. *Interjectus Cato.* Qui obiit annos natus octoginta quinque, tribus annis ante, quam Africanus minor Carthaginem delev. (vid. Læl. cap. 3, 11, et Brut. cap. 15, 20, 6) ann. U. 604. Gern.

33. *Domesticis exemplis abundamus.* Cf. Liv. Præfat. de republ. rom. « Nulla umquam respubl. nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit ». Gern.

34. *Cogitasse.* Proxime ante vocem hanc in vulgatis sic legitur: « an putamus, quemquam horum ». Facc.— Particulam *an* Grævius delevit, quum non esset in Palat. 2, Pith. ed. Vict. Lang. Gruter. ut abest ab uno Ox. σ. qui nostram lectionem servavit, a tredecim libr. Manut. et plerisque Oxx. quamquam hi variant in reliquis. Nam unus Ox. et octo Ald. *putamusne*, seu *putasne*, seu *putesne*. In uno altera manu additum *putamus* est post *an*, in uno *putamus illos*. Verbum *putamus* in Pal. 2 et ed. Grut. deest; in duobus Manut. leg. (in un. Ox. *cogitamus*) post *an*; Grævius ex editione Lang. « cogitasse quidquam putamus »; decem Ald. et un. Ox. « putamus illos cogitasse »; in aliis *cogitasse* post *sibi*, in aliis post *expetendum* positum legitur, omisso pronomine *illos* aut *eos*. In uno Manut. *cogitasse* deest; « quemquam horum » in Ascensiana deprehendi; Venet. 1487, et Hervag. cum Grævio et Ernest. quos sequor, plane sentiunt, si particulam *an* exceperis. Pronomen *quidquam* in septem Manutii et in Oxx. ante *in vita* (duo Oxx. *in hac vita*), in sex Manut. post *in vita* legitur. Gern.—Bene E. et U. «Putesne illos quidquam in vita sibi esse expetendum cogitasse ».

35. *Expetendum.* Novem Ald. addunt *esse*. Gern.

36. *Laudabile et præclarum esse vid.* Sic Græv. e Pith. Cod. Duisb. et Bentl. Reliqui et Manutiani « laudabile esset et præcl. » Unus Ox. edd. vett. Olivet. et Facciol. « laudabile esse et præclarum vid. » Equidem verbum *esse*, quod ab uno Manut. abest et ab altera manu additum est, excludendum puto, ut *videretur*, quod sæpe fit, locum verbi *esset* sustineat. Comp. Parad. II, extr. Gern.

III. 1. *Veniant igitur*, etc. Undecim Aldini, ed. Lugd. 1556, « Veniant isti igitur »; duo et unus Ox. *istius*. Grævius cum plerisque Oxx. et ed. Hervag. Facciol. et Ern. « Veniant igitur isti irr. » Pith. quinque Manut. ed. Ven. 1487, Ascens. 1520, hoc pronomen omittunt, nec magnopere opus eo esse videtur. Pith. *istius* pro *hujus*, quod abest ab Ox. ψ. Gern.

2. *Et jam vel ipsi.* Duo Manut. ignorant *ipsi*, Ox. σ. hæc quatuor vocabula, quorum duo priora in qua-

rum alicujus, qui marmoreis tectis[3], ebore et auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui cælato auro et argento, qui Corinthiis operibus[4] abundant; an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit[5], nihil habere vo-
14 luit, similes[6] esse malint? Atque hæc quidem[7], quæ modo huc, modo illuc transferuntur[8], facile adduci solent, ut in rebus bonis esse negent : illud[9] tamen arcte tenent, accurateque defendunt, voluptatem esse summum bonum. Quæ quidem mihi vox[10] pecudum videtur esse, non hominum. Tu, quum tibi sive Deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium, natura, de-

tuor Oxx. et ed. Ascens. leguntur *etiam*. Gern.

3. *M. tectis... tabulæ*, etc. Marmore ornatis, ut postes, parietes, pavimenta et supellex obducebantur ebore et auro. Comp. Hor. II, 18, 1, seqq.—*Tabulæ* intelliguntur, quas *pictas* dicit pro Rosc. Amer. 46, 133, ut *signa* sculpta, seu fusa, quorum artifices partim recenset cum pictoribus in Brut. 18, 70. De « auro et argento cælato », vid. præter Quint. II, 17, 8; 21, 9, *Heynii Antiquarische Aufsätze*, II, p. 135. Gern. — Bentl. conj. « qui solis marmoreis, qui tectis ebore ».

4. *Operibus*. Duodecim codd. Manut. male *opibus*. De Corinth. oper. vid. not. ad Parad. V, 2, 38. Gern. — *Corinthiis operibus*. Ex ære Corinthio, de quo Muretus, Var. Lect. lib. III, cap. 5. Oliv.

5. *Qui nihil eorum hab.* Cf. Valer. Maxim. IV, 4, 3 : « In C. vero Fabricii et A. Æmilii Papi principum sæculi sui domibus argentum fuisse confitear oportet : uterque enim patellam deorum, et salinum habuit. Sed eo lautior Fabricius, quod patellam suam corneo pediculo sustineri voluit ». Gern.

6. *Similes*. Sex Oxx., et edd. vett. *se similes*. Gern. — Pronomen *se* tuetur etiam cod. Duisb. quasi non præcesserit *utrum se horum*.

7. *Atque hæc*, etc. Unus Manut. et Ox. E. *Atque hi quidem;* unus Manut. *Atque hæc hi q.* unus *Atque ad hæc q.* unus *Atq. hoc q.* — Gern. solus *quidam*, typogr. sane mendo. — Transit Noster ad voluptatem, quam philosophi multi in bonis numerabant, quidam etiam summum bonum esse volebant.

8. *Quæ modo huc, modo illuc transferuntur*. Ernestius cum Man. intelligit ἀδιάφορα, quæ modo in appetendis ponuntur, modo in contemnendis; Wetzelius rectius mobilia, quæ loco suo moveri possunt, qualia sunt signa, tabulæ, vasa, etc. modo commemorata. Gern. — Nobis sensus esse videtur : Quæ sunt incertæ possessionis, quæ ab alio ad alium fortuna transferre solet : ut bene vertat interpres gallicus : « Tous ces trésors qui changent sitôt de maitres ». Conf. supra, § 7, « commutabilia pecuniæ membra », ibique notam.

9. *Illud tamen*. Cod. Duisb. omittit *tamen*.

10. *Vox pecudum*. Conf. de Fin. I, 7, 23, et Læl. c. 6. Gern.

derit animum, quo nihil est præstantius, neque divinius[11], sic te ipse abjicies atque prosternes, ut nihil inter te, atque inter quadrupedem aliquam[12] putes interesse? Quidquam bonum est[13], quod non eum, qui id possidet[14], meliorem facit[15]? Ut enim quisque est[16] maxime boni particeps, ita et laudabilis maxime; neque est ullum bonum, de quo non is, qui id habeat, honeste possit gloriari. Quid autem est[17] horum in voluptate? Melioremne efficit, aut laudabiliorem virum? an quisquam in potiundis voluptatibus glo-

11. *Neque divinius*. Tusc. V, 13, 35: « Humanus autem animus, decerptus ex mente divina, cum alio nullo, nisi cum ipso deo, si hoc fas est dictu, comparari potest ». Comp. ibid. I, 27, 66. Gern.

12. *Atque inter q. al.* Gern. delet *inter*. Edd. vett. inquit, Vict. Lang. Guilielm. J. Gronov. Facciol. Olivet. et Schütz. invitis Oxx. omnibus, *atque inter quadr.* Pro *aliquam*, quod est in tribus Manut. quatuor Oxx. Pall. ed. Vict. *aliquem* habent duo Oxx. et sex Manut. In duobus Manut. et edd. vett. est *aliquid*; in uno Manut. *aliquando*; in uno Mauric. apud Guilielm. « atque quadrupedem dicas interesse », omisso pronomine, quod in sex Manut. et uno Ox. deest. Bentl. leg. et *quadrupedem patet*, sine præpositione et pronomine. Vox *quadrupes* triplici genere adhibetur apud veteres, pro ejus, quod intellexerunt, substantivi ratione, ut sit vel animal, ut Colum. XI, 2, vel bestia, ut Cato R. R. cap. 102. Virgil. Ecl. V, 25, qui idem Æneid. XI, 714, equum; VII, 500, cervum intelligit. Nostro loco vox *pecudum* litem dirimit.

13. *Quidquam bonum est*. Sic vulgo. Nonnulli, inter quos Facciol. et Gern. scribunt: « quidquamne bonum est ». — *Quidq. bon. est.* Hanc ipsam rationem præclare exponit Seneca, Epist. 87, his verbis: « Quod bonum est, bonos facit: fortuita bonum non faciunt: ergo non sunt bona ». Facciolati lectio *quidquamne b.* in septemdec. libris Man. quatuor Oxx. ed. Venet. 1487, et Ascens. Alios Manut. ait legere *Quidnamne b.* In uno Ox. et uno Manut. *An quicquam b.* Reliqui *Quidquam b.* quod pronomen h. l. vix putaverim per se ad interrogandi vim exprimendam satis esse. Vocula *ne* a præcedente *m* facile potuit obliterari. Gern.

14. *Qui id possidet.* Pronomen *id* abest ab octo codd. Manut. edd. Ven. Asc. et Anemœc. De verbis « qui id habeat » seq. § omnes libri conveniunt. Gern.

15. *Facit.* Tres Manut. et Anemœc. *faciat*, quod recepit Facciol. recte, si subjectum est *quidquam bonum*. Habendum autem *bonum est* pro prædicato, ut « quod... facit » ad *quicquam* pertineat. Gern.

16. *Ut enim quisque est.* Bentleius, « Etiam ut quisque est ».

17. *Quid autem est horum.* Scilicet laudis et gloriæ. Gern.

riando sese [18], et prædicatione effert [19]? Atqui si voluptas, quæ plurimorum patrociniis defenditur, in rebus bonis habenda non est; eaque, quo est major, eo magis mentem e sua sede et statu demovet [20]: profecto nihil est aliud bene et beate vivere, nisi honeste et recte vivere.

PARADOXON II.

Ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν [1].
In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum.

16 Nec vero ego [2] M. Regulum [3], ærumnosum, nec infelicem, nec miserum, umquam putavi. Non enim

18. *Gloriando sese.* Sic Grævius et Facciol. cum Oxx. quorum in tribus, ut in antiquo libro Ursini, septemdec. Manut. edd. vett. et Lang. legitur *gloriando se.* Lambinus *gloriatione sese*; unus Manutii et ed. Ascens. *gloria se.* Gern.

19. *Et prædicatione effert.* Liber Ursini « etiam prædicatione effert »; duo Manut. « et prædicando effert »; unus « effert in prædicationem »; unus « et in prædicationem extollit »; quatuordec. ejusdem, nonnulli Lambini et ed. Ascens. « et prædicatione effert »; ed. Venet. 1487, Herv. Gruter. Ald. Man. pro *effert* habent *extollit.* Gern.

20. *Et statu demovet.* Hoc restitui e duobus codd. Ald. et Lamb. ed. pro vulg. *et statu dimovet.* Simillimus locus est pro Cæcin. c. 15, 42: « Multo major ea (vis est), quæ, periculo mortis injecto, formidine animum perterritum loco sæpe et certo de statu demovet », ad q. l. vide Beck. et Ern. ad Invent. II, 29, pr. et pro Sext. c. 47, 101. Idem de Orat. II, 208, hoc verbum pro vulg. *dimovere* tacito restituit. Gern.

Parad. II. 1. Ὅτι.... εὐδαινομίαν. Hæc absunt a quinque Oxx. ut verba « In quo.... vivendum » a duobus. Wetzelius adhibet Laert. III, p. 87, F. ed. Menag. Platonem jam ante Stoicos dixisse: Τὴν ἀρετὴν αὐτάρκη μὲν εἶναι πρὸς εὐδαιμονίαν, ὀργάνων δὲ προσδεῖσθαι τῶν περὶ σῶμα πλεονεκτημάτων, ἰσχύος, ὑγείας, εὐαισθησίας, τῶν ὁμοίων· καὶ τῶν ἐκτὸς, οἷον πλούτου καὶ εὐγενείας καὶ δόξης. Οὐδὲν δὲ ἧττον εὐδαίμονα ἔσεσθαι τὸν σοφὸν, κἂν ταῦτα μὴ παρῇ. Gern.

2. *Nec vero.* Sylvius ex antiquo cod. legi vult *Nec ego vero*; quod non probarim, ne justo plus tribuatur pronomini.—Arctius hoc Parad. cum super. nexum esse apparet. — Fingit Noster sibi adversarium pro eo, in quo erat, civitatis statu; et quasi in contentione media transit ad thesim exponendam. Ceterum Paradoxum hoc oritur a superiore, in quo conclusum est, sola animi bona, id est, virtutem et honestatem esse vera bona. Qui ita se per philosophiam purgarit, Christiano proximus est. Facc.

3. *M. Regulum.* Hoc ipsum exem-

magnitudo animi ejus excruciabatur[4] a Pœnis, non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique animus ipse; qui tot virtutum præsidio[5], tantoque comitatu[6], quum corpus ejus caperetur[7], capi certe[8] ipse non potuit. C. vero Marium[9] vidimus, qui mihi secundis in rebus[10] unus ex fortunatis ho-

plum affert in lib. V de Fin. c. 28, ubi contendit, virtutem ad beate vivendum sibi sufficere. Facc.—Vide notata ad Cat. M. 20, 75. Gern. — Hic animadvertendum est nullibi Ciceronem de supplicio Reguli videri dubitare. J. V. L.

4. *Excruciabatur.* Gern. scrib. *cruciabatur.* Sic, inquit, Grævius, suffragantibus sex codd. Oxx. et vett. edd. cum Facciol. Ernesti vero edidit *excruciabatur*, quod est in uno Ox. et ed. Oliv. Simplex verbum deprehenditur de Regulo etiam, Fin. II, 20, 65: « Quum vigiliis et fame cruciaretur, clamat virtus beatiorem fuisse, quam potantem in rosa Thorium », et infr. § 18. Gern.

5. *Præsidio.* In vulgatis leg. *præsidio munitus.* Sed contra MSS codicum fidem. Facc. — Abest *munitus* a duobus tantum Oxx. quatuor Manut. (quorum in duobus additur), duobus C. Langii, Pithœano, codd. Lambini, deletumque est a Grutero et recentt. edd. Gern.

6. *Comitatu.* Alii quidam addiderunt *virtutis septus.* Vox prima nullum locum, secunda et habere potest, et in multis invenitur codicibus, non tamen necessaria est. Facc. — *Septus* addunt septem Manut. Edd. vett. *virtutis septus;* unus Ox. *virtutum septus.* In duobus Oxx. et novem Man. est, « tantoque conatu, comitatuque virtutum septus »; in duob. Manut. et uno Ox. « comitatu circumscriptus virtutum ». Hæc interpretamenta in duobus vetustissimis C. Langius, Lambinus in plerisque et Grævius in Pith. non legerunt. Ablativorum brevitatem excusaturus Langius adhibet Læl. cap. 15, 54: « Quamquam miror illa superbia et importunitate, si quemquam habere potuit ». Gern.

7. *Caperetur.* Quod in nonnullis edd. vett. legitur *carperetur* et *carpi*, ignorant libri MSS, Manut. Oxx. Pith. Anemœc. et edit. Venet. 1487. Morisoti lectio, ὅταν ἐκείνου σῶμα αἰχμαλωτίζεται, conspirante Paradoxo quinto, placet etiam Betuleio. Gern.

8. *Capi certe*, etc. Utitur hoc verbo, a quo est *captivus*. Facc.

9. *Marium.* De Marii virtute vide orationem post Reditum ad Quirites, cap. 8; orat. in Pison. cap. 18 et 19. Comp. Plutarch. Mar. cap. 36; Valer. Maxim. III, 2, 18; 8, 5, al. Mortuus est Marius, septies consul, an. Urb. 667, sec. Sigon. Fast. Capit. Quare Cicero dicit « C. Marium vidimus ». Gern. — Ex multis Ciceronis locis colligere licet, quanti Marium fecerit. Juvenis adhuc hujus laudes carminibus celebraverat; conf. Legg. I, 1. Præclaram de eo mentionem fecit, Verr. V, 10; pro Balbo, cap. 20, 21; Tusc. II, 15; Fin. II, 32. Cf. pro Sext. c. 22, et ad Div. I, 28; II, 67.

10. *Secundis in rebus.* Præpositionem, quam hoc loco et paullo post omnes Manut. et Oxx. (in uno est *ex*

minibus[11], in adversis unus ex summis viris videbatur;
17 quo beatius esse mortali nihil potest. Nescis, insane[12],
nescis, quantas vires virtus habeat: nomen tantum
virtutis usurpas; quid ipsa valeat, ignoras. Nemo po-
test non beatissimus esse, qui est totus aptus[13] ex sese,
quique in se uno sua ponit omnia. Cui spes[14] omnis,
et ratio, et cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil po-
test esse certi; nihil, quod[15] exploratum habeat, per-
mansurum sibi unum diem. Eum tu hominem terreto,
si quem eris nactus, istis mortis[16], aut exsilii minis.
Mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate,

rebus) Facciol. Ernest. cum edd. vett. tuentur, Grævius prætermisit, quum non esset in edit. Langii. Altero loco ante *adversis* deest etiam in Pith. Recte; nam cogitari debet: dum res erant secundæ vel adversæ. *Secundis in rebus* est, quum ejus res essent secundæ. Egregie distincta hæc vides ad Herenn. IV, 17, 14. *Mihi* deletum est in uno Manut. Gern.

11. *Fortunatis hominibus.* Unus Manutii liber *fortissimis;* duo Oxx. *fortunatissimis.* Vocem *hominibus* unus Ald. mutat in *omnibus.* Gern.

12. *Insane.* Oxx. E. et ψ. addunt « o Marce Antoni! » in uno leg. « insane M. Antonii ». Sed recte Sylvius et Betuleius Antonii nomen repudiant; etiamsi Cicero istum hominem intellexit. Gern.

13. *Beatissimus... aptus ex sese.* Sex Oxx. habent *beatus* pro *beatissimus*, quod retinendum est in affirmatione, ut Tusc. V, 13, 40: « Sed mihi videntur etiam beatissimi ». — *Aptus ex sese*, etc. I. e. Cui ex se ipso apta et juncta omnia, qui non habet extrinsecus suspensas vivendi rationes, ut alibi loquitur ipse Noster (nempe in Tusc. V, cap. 12, § 36, Platonis in Menex. verba afferens). Hic autem unus virtute præditus dici potest, et, quod consequitur, αὐτάρκης. Facc.— Similiter Ep. ad Div. V, 13: « Laudem sapientiæ statuo esse maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene, aut male vivendi suspensas habere rationes». Cf. Epict. Ench. II, 3.

14. *Cui spes omnis.* Facciol. « cujus autem spes omnis ». *Cui spes omnis* tuetur Grævius, suffragantibus undecim codd. Aldi Manut. et quatuor Oxx. item edd. vett. sed addita particula *autem*, quam tres Ald. et duo Oxx. mutant in *vero*, unus Ald. in *quæ*. Gern. — Bentl. legit et distinguit: « fortuna, cui nihil... diem: eum tu hominem ».

15. *Nihil, quod.* Facciol. scribit *nihil*, *quo*, sequutus Gruterum et duos codd. Pall. cum Pithœano. Sed Grævius restituit « nihil quod », omissis voculis « ne quidem », quæ desunt in illorum codd. et Oxx. lectione. Edit. Ven. 1487, « sibi quidem unum diem ». Ascens. 1520, « sibi quidem ne unum diem ». Olim editi: « ne unum quidem diem ».

16. *Istis mortis.* Facciolat. scribit « istiusmodi, mortis », sed dicit *istis*

ne recusanti quidem evenerit, non modo non repugnanti[17]. Quid enim ego laboravi, aut quid egi, aut in quo[18] evigilaverunt[19] curæ et cogitationes meæ, si quidem nihil peperi tale, nihil consecutus sum, ut eo statu essem, quem neque fortunæ temeritas, neque inimicorum labefactaret injuria? Mortemne mihi 18
minitaris, ut omnino ab hominibus[20], an exsilium, ut ab improbis demigrandum sit? Mors terribilis est iis[21], quorum cum vita omnia exstinguuntur; non iis, quorum laus emori non potest: exsilium autem[22] illis, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus[23], non iis, qui omnem orbem terrarum[24], unam urbem

magis placere criticis recentioribus. Pro *istis* quatuor Oxx. *istius*; duo cum edd. vett. *istiusmodi*. G.—Cod. Duisb. « aut mortis aut », omisso *istis*.

17. *Non modo non repugnanti.* Alterum *non*, quod Facc. non dederat, non deest, nisi in duobus codd. Manut. uno C. Sigon. uno Oxon. ed. Gronov. (Wetzeliana editio Grævianam substituens Ernestii notam corrupit) et Oliv. Reliquis favet ad Attic. XIV, epist. 19, « cui facile persuasi, mihi id, quod rogaret, ne licere quidem, non modo non lubere », h. e. nedum lubere. Quamquam post negationem transpositum *non modo* pro nedum legitur Epist. ad Div. I, 9, 62: « Apertius autem hæc ago, ac sæpius, quod et Q. frater meus legatus est Cæsaris, et nullum minimum dictum, non modo factum (intell. *nullum*) pro Cæsare intercessit ». Gern.

18. *Aut in quo. Aut* abest a tribus Manut. et a Bentl.

19. *Evigilaverunt.* Octo Manut. et unus Oxon. *evigilarunt*, cum contractione; tres *vigilaverunt*; unus Ox. *laboraverunt*. Gern.

20. *Ab hominibus.* Sex Ald. et duo Oxx. *ab omnibus*, quod probat etiam Bentl. Gern.

21. *Mors terribilis est iis.* Ut Cyrenæus Theodorus respondit, Tusc. I, 43, cui quum Lysimachus rex crucem minaretur: « Istis quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis! Theodori quidem nihil interest, humine, an sublime putrescat ». In Catil. IV, 2, 3: « Neque enim turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, nec misera sapienti ». Gern.

22. *Exsilium autem illis.* Facciol. addit *terribile*. Omittunt decem libr. Manut. (in quorum uno additur) editi Lugd. 1556, Græv. et recentt. edd. Duo Oxx. « exsilium autem terribile est ». Gern.

23. *Habitandi locus.* Pith. « inhabitandi locus ». Gern.

24. *Qui omnem orbem terrarum.* Ut Socrates, quum, teste Cic. Tusc. V, 37, 108, rogaretur, cujatem se esse diceret, *Mundanum*, inquit. Cf. Fin. IV, 3, 7. At quanta conantur (Stoici)! mundum hunc omnem oppidum esse nostrum! Gern. — Eodem modo Diogenes Cynicus, apud Laert. in ejus

esse ducunt. Te miseriæ, te ærumnæ premunt[25], qui te beatum, qui florentem putas; tuæ libidines te torquent[26]; tu dies noctesque cruciaris, cui nec sat est, quod est[27], et id ipsum[28], ne non sit diuturnum, times; te conscientiæ[29] stimulant maleficiorum tuorum; te metus exanimant judiciorum atque legum; quocumque adspexisti, ut furiæ, sic tuæ tibi occur-
19 runt injuriæ, quæ te respirare non sinunt[30]. Quamobrem ut improbo, et stulto, et inerti nemini bene esse potest[31], sic bonus vir, et fortis, et sapiens, miser esse non potest. Nec vero, cujus virtus, moresque laudandi sunt, ejus non laudanda vita est[32]: neque

vita, interrogatus unde esset, respondit κοσμοπολίτης. Oliv.

25. *Ærumnæ premunt.* Quatuor Oxx. Pith. et edd. vett. addunt *omnes.* — Deinde Palat. sec. « qui te fortem, qui te florentem putas ». Alterum *te* habent etiam edd. vett. et Pith. excepta edit. Ven. 1487. Sic quoque cum edit. Lambini Beutleius. Sed cod. Duisburg. « beatum florentemque ». Gern.

26. *Tuæ libidines te torquent.* Pith. et Ox. σ. « tuæ libidines torquentur », quod Camer. quum in Ven. deprehendisset, eodem loco haberi voluit, quo *punitur* pro *punit*, Offic. I, 25, 88. Quinque Manut. « te tuæ libidines torquent »; unus « tu libidines torques ». Gern.

27. *Cui nec sat est, quod est.* Quia « Luxuriæ desunt multa, avaritiæ omnia », ut ait P. Syrus. Græv.

28. *Id ipsum*, etc. In libb. vulgatis leg. « id ipsum quod habes, ne non diuturnum sit futurum ». Scilicet a sciolis explanare volentibus. Facc. — Hujus additamenti altera pars, « quod habes », est in octo Manut. Ox. U. et edd. vett. altera in I. σ. ψ. et edd. vett. Tres Oxx. « ne diuturnum futurum sit ». Gern.

29. *Te conscientiæ.* Tres Ald. et Ox. σ. male addunt *tuæ.* Comp. pro Cluent. cap. 20, 56; Leg. I, 14, 40. Pro Rosc. Am. cap. 24, 67: « Sua quemque fraus et suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suæ malæ cogitationes conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque Furiæ; quæ dies noctesque parentum pœnas a conscelératissimis filiis repetant ». Gern.

30. *Quæ te respirare non sinunt.* *Suspirare* omnes Manut. et quatuor Oxx. Unus Manut. « quæ suspirare te non sinunt ». In cod. Memm. ex uno vetere cod. adscriptum est « superare non possunt »: ex alio *suspirare*, ex alio *spirare*. Lambinus tamen vulgatam cum reliq. præfert. Gern.

31. *Nemini bene esse potest.* Duo Manut. « nemini bonum esse potest »; unus « nemini felicitas esse potest ». In seqq. pro « miser esse non potest » Victorium et alios Verburgius monet habere « miser esse nemo potest ». G.

32. *Ejus non laudanda vita est.*

porro fugienda vita, quæ laudanda est : esset autem fugienda, si esset misera. Quamobrem quidquid est laudabile, idem et beatum, et florens, et expetendum videri debet[33].

PARADOXON III.

Ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ κατορθώματα[1].

Æqualia[2] esse peccata, et recte facta.

I. Parva, inquis[3], res est. At magna culpa. Nec

Unus Manut. omittit *ejus;* al. hab. *ejusdem*. Verbum *est*, quod Olivetus non recepit, ab uno Oxon. abest, ab uno *vita est*. Gern. — Non vero fieri potest, ut vita illius non laudanda sit, cujus virtus laudanda est.

33. *Videri debet*. Sic novem libri Manut. tres Oxx. edd. vett. Lang. Græv. Facciol. Ernest. sed Victor. Gruter. cum Pith. et Oxon. N. « videri docet ». Sex Ald. tres Oxx. Verburg. « videri decet ». Reliqui Ald. singuli « dicet, licet, solet ». Gern.

III. 1. Καὶ τὰ κατορθώματα. Hæc addita C. Langius reperit in uno exemplari et Græv. in Pith. in reliquis καὶ τὰ ὀρθώματα. Camerarius in Ven. καὶ τὰ κατηγορήματα. In Manutii libris et ed. Ascens. 1520, græca desunt. In sex Oxx. et ed. Ven. 1487, tota hæc thesis non legitur. Gern.

2. *Æqualia*, etc. Stoici aiebant peccata esse æqualia, quod refertur ad quantitatem; non tamen similia, ut monet Stobæus, quod respicit qualitatem. Facc. — Et veriorem et utiliorem hanc sententiam esse Stoicorum, Cicero h. l. defendit, ut erat propositum. Eamdem a Catone propositam refutat pro Muren. c. 29 et 30; de Fin. IV, 27, 75, sqq. Irridet quoque Horat. I, Sat. III, 96 sqq. — Comp. *Garve Philosophische Anmerkungen und Abhandlungen zu Cicero's Büchern von den Pflichten* I, p. 17-30, qui illud præceptum, quod hominum facta non eventu, sed voluntate vult judicari, probandum, aptumque esse docet ad morum disciplinam et ad hominum dignitatem, ipsorum consiliis potius, quam conditionibus metiendam. Idem alienum V. D. arguit esse a legislatione propter nimiam quamdam subtilitatem, a vitæ communis usu, quum gradus sint et officiorum, et contentionis in virtute exercenda, et perfectionis, quæ in nullo homine summa deprehenditur, abhorrentem. Gern.

3. *Parva, inquis*. Hoc quoque tamquam ex oratione media, sicuti superius. Consule lib. IV, de Fin. c. 27, ubi hoc ipsum Paradoxum multis verbis explicatur. Facc. — Hæc verba « Parva... culpa » desunt in Ox. ψ. et ed. Ascens. 1520; in quinque Manutii libris separatim scripta sunt et in quatuor quidem ex quinque miniatulis literis; quæ glossam olere videntur Manutio, ab eoque præposita, qui non intelligeret, verba *nec enim*, etc. ex inscriptione Græca apte pendere. In sex Oxx. legitur, ut in Manutianis et in cod. Duisb. *inquit* (notissima objiciendi formula), pro quo ed. Lugd. 1556, Grævius et reliq. edd. *inquis*. Vide infra, II, § 23. — Voc. *res*

enim[4] peccata, rerum eventu, sed vitiis hominum metienda sunt. In quo peccatur, id potest aliud alio majus esse, aut minus: ipsum quidem illud peccare, quoquo verteris[5], unum est. Auri navem evertat gubernator, an paleæ; in re aliquantulum[6], in gubernatoris inscientia[7] nihil interest. Lapsa est libido[8] in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet, quam si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine; peccavit vero[9] nihilo minus, si quidem est peccare,

deest in Grævii MSS et quatuor Oxx. In ed. Venet. 1487, transponitur « est res atque m. » Th. Bentl. hæc omnia, « Parva inq. res est, at magna culpa » delet. Gern.—*At magna*. Al. *atqui m.* Facc. — Quatuor Oxx. cum Grævii et Manut. codd. *ut magna*. Hæc verba in edd. per colon distinguuntur a præcedentibus. Sunt autem non adversarii, sed respondentis. Gern.

4. *Nec enim*, etc. Quum peccas, non id considerari debet, in quo peccas, aut quod ex peccato sequitur, sed ipsum peccare, vitioseque agere. Hinc autem sequitur, peccata esse æqualia genere, ut sunt homo et bellua, non specie tamen. Facc.

5. *Quoquo verteris*. H. e. sive imprudentia factum esse dicas, sive incontinentia. Duo Oxx. « quoquo te verteris ». Pronomen *te* delet etiam Th. Bentl. Gern.

6. *Aliquantulum* recte tuentur quindecim Ald. sex Oxx. Græv. Ern. Unus Ox. *aliqua; tum*, quod nihili est. Facc. *aliquantum*. — Dictum a Stoico, quippe qui aurum non fere pluris faciat quam paleam. Idem gubernatoris exemplum adhibet de Fin. IV, 27, 76: « Itaque aurum paleamve portet, ad bene aut ad male gubernandum nihil interesse..... Ergo in gubernando nihil, in officio plurimum interest, quo in genere peccetur: et si in ipsa gubernatione negligentia est navis eversa, majus est peccatum in auro, quam in palea ». Gern.

7. *Inscientia*. Gern. scrib. *inscitia*. Sic, inquit, omnes Oxx. et Aldini libri (unus compendio scrib. *inscia*), edd. vett. Græv. et Facciol. sic et MSS E. I. N. U. η. ο. ψ. Lambini auctoritate Olivetus et Ern. ediderunt *inscientia*. Intelligenda autem est: defectus et scientiæ et facultatis, quam Fin. l. l. dicit artem. « Hoc non videre, cujus generis onus navis vehat, id ad gubernatoris artem nihil pertinere! » neque inscienter gubernavit navem, sed inscite. Gern. —Præterea longum de *inscientia* et *inscitia* Excursum scripsit Gernhard, in quo bene docet eo differre inscientiam et inscitiam, quod *inscientia* sit ejus qui errat, quia rem non cognoscebat ut absens, ut non attendens; inscitia autem illius qui rem ignorat quam scire deberet, quia ei studere debuisset; inscientia est errantis, inscitia stolidi aut ignave laborantis.

8. *Lapsa est libido*. H. e. abreptus libidine aliquis stuprum intulit mulieri ignotæ. Comp. c. 2. Off. II, 3, 9: « In quo (utili) lapsa consuetudo deflexit de via ». Unus Ald. *ejus lib.* unus *illius libido;* duo *ipsius libido*. Gern.

9. *Peccavit vero*. Al. *peccatur*, al. *peccatum*. Facc. — Unus lib. Manut.

tamquam transilire lineas[10]: quod quum feceris, culpa commissa est; quam longe progrediare, quum semel transieris[11], ad augendam transeundi[12] culpam

peccatur. *Peccatum*, quod est in octo Manut. Ursino arridet, quum reperisset in suo libro MS. GERN. — Th. Bentl. legit « Peccatur vero... lineas: quod si (sic ed. Victor.) quum feceris, culpa commissa est, quam, etc. »

10. *Tr. lineas*. Omnes Man. libri, sex Oxx. Pith. edd. Ven. 1487, et Asc. 1520; Vict. Junt. Lang. *transire lineas*. Nec sane Grævius, Facciol. Ernestius dixerunt, quorum codd. auctoritate scripserint *transire lineas*, quod Camerar. in Ven. reperit, et est in ed. Hervag. Lugd. Anemœc. et un. cod. Ox. I. Gronov. miratur, quod, si *transilire* legendum sit, non sequatur *transilueris*. Ut *transire*, sic esse παραβαίνειν in vitio. Tum etiam apud Cic. « transilire ante pedes posita ». Orat. III, 40, 59, et Fin. IV, 14, 39: « Quum autem ad summum bonum volunt pervenire, transiliunt omnia », est « prætermittere, negligere », non « migrare, excedere », adjuncta temeritatis vel petulantiæ notione, quo sensu poetis usitatum est. Vid. Horat. Carm. I, 3, 24: « si tamen impiæ Non tangenda rates transiliunt vada ». Ibid. I, 18, 7: « ne quis modici transiliat munera Liberi ». Ut Theogn. v. 471: ὃς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον. Sed tamen etiam Varro L. L. VIII, 1, a med. « Orator non debet in omnibus uti... quum poetæ transilire lineas impune possint ». Nec mirum poeticam hanc dictionem non repeti, sed ejus loco deinceps adhiberi, quod, linearum tropo prætermisso, in prosa oratione est usitatius, et a semidoctis scribis e seqq. in superiorem locum haud dubie translatum. Off. I, 29, 102. « Nam qui appetitus longius evagantur... hi sine dubio finem et modum transeunt », Epist. ad Div. V, 12: « qui semel verecundiæ fines transierit ». GERN. — *Transilire lineas* dicitur similitudine ducta a cursoribus in stadio, qui intra lineas currere debebant, ut rite certarent. FACC. — « Duæ erant in stadio lineæ: Altera erat in longum cavata in limine stadii, cui cursores insistebant, ut ex æquo limine progrederentur. Si qui ultra lineam vellent evagari, et limitem præcipere, voce præconis revocari solebant, βαλβίδ' ἀπόδος, θὲς πόδα παρὰ βαλβίδα, *lineam redde, ad lineam pedem pone*. Inde illæ apud Tertullianum crebræ locutiones, « lineæ insistere, ad lineam dimicare, intra lineas gradum colligere » et similes. Erat et alia linea in fine stadii, quæ dicebatur ultima linea, ad quam cursus finiebatur ». SALMAS. — Ad hæc Grævius: « Primam hic respicit Cicero, quam qui transiliebat ante signum datum, peccabat ». Comp. Hor. ep. I, 16, 79: « Mors ultima linea rerum », et sat. I, 1, 106: « Est modus in rebus; sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum ».

11. *Transieris*. Sex Oxx. « hinc transieris ». Octo Manut. « transieris hunc »; duo « trans. hic ». GERN.

12. *Transeundi culpam*. Facc. delet *transeundi*, ut ineptum. « Notat Gruterus, in Pal. secundo non inveniri vocem *transeundi*, eamque esse otiosam: quod verissimum ». GRÆV. — Ernestius addit: « Forte Cicero dedit *transeuntis* (in ed. Ern. errore typogr. legitur *transeundis*). Sanequam sensus

nihil pertinet. Peccare certe[13] licet nemini. Quod autem[14] non licet, id hoc uno tenetur[15], si arguitur non licere[16]. Id si[17] nec majus, nec minus umquam fieri potest (quoniam in eo est peccatum, si non licuit; quod semper unum, et idem est), quæ ex eo peccata
21 nascuntur, æqualia sint oportet. Quod si virtutes pares sunt inter se[18], paria esse etiam vitia necesse est. Atqui pares esse virtutes, nec bono viro[19] meliorem, nec temperante temperantiorem[20]; nec forti fortio-

potest uterque abesse : sed elegantius est *culpam* cum tali adjuncto e verbo superiori ». Vulgatam tamen retinuit, nec ipse Gernhard expunxit.

13. *Peccare certe.* Pith. « quia peccare certe ». Gern.

14. *Quod autem non licet.* Cod. Duisburg. « quidquid autem non licet ». Gern.

15. *Id hoc uno ten.* Tota ejus vis et ratio in hoc unice consistit. Alii tollunt *uno.* Facc. — *Id* deest in uno Manut. In uno et in Ox. E. leg. « in hoc uno ». Verb. *tenetur* Ernesti interpretatur : convincitur peccati. Cf. pro Cluent. c. 44, 125 : « dum hæc de Oppianico constabunt, nec nullo argumento Cluentianæ pecuniæ crimen tenebitur » Gern.

16. *Si arguitur non licere.* Id est, si ostenditur, non licere. Id autem licere non majus quidem est, nec minus : ut, non licet tibi magis occidere hominem alienum, quam alii patrem. Sylvius.

17. *Id si.* Al. « Id siquidem ». Sed in vulgatis libris tota periodus hæc pravis interpunctionibus contaminata est. Facc. — In uno libro Manut. in margine additum est *quidem.* Eadem lectio est in edd. Ven. 1487; Ascens. Hervag. et Lamb. In Lugd. 1556, est « Id nec majus », omisso *si*, ut plene interpungatur ante « Quod semper », deinde colo post *idem est.* Recte vero Facciolatus, quod Grævius neglexerat, parenthesis signis inclusit verba « quoniam... idem est ». Gern.

18. *Quod si virtutes pares sunt inter se.* Similiter Sen. ep. 66 : « Nihil invenies rectius recto, etc. » Nimirum a summi et solius boni notione profecti non virtutis gradus et accessiones ad virtutem statuunt. Gern. — Conf. quoque Lipsius, Manuduct. ad Stoic. Philos. lib. III, dissert. 4, ubi vide plura de hoc argumento, quod luculente ibi exsequitur.

19. *Nec bono viro meliorem.* Tusc. V, 10, 28 : « Quid dicam bonos ; perspicuum est : omnibus enim virtutibus instructos et ornatos, tum sapientes, tum viros bonos dicimus ». Hoc tamen loco non perfectum, sed justum hominem intelligit, quum reliquas virtutes enumeret. Vid. Off. I, 10, 51, et 7, 20. Ita nunc ad Stoicorum rationem *virum bonum* dicit sapientem, qualem vita communis fert neminem, nunc eum, qui talis est, qualem societas humana, quæ fide justitiaque servatur, postulat, nunc mediis seu communibus officiis satisfacientem, ut Off. III, 13, extr. et 15, 62. Gern.

20. *Temperante temperantiorem.* Quatuordecim libri Manut. et tres

rem, nec sapiente sapientiorem[21] posse fieri facillime potest perspici[22]. An virum bonum dices, qui depositum nullo teste, quum lucrari impune posset auri pondo decem, reddiderit, si idem in decem millibus pondo[23] non idem fecerit[24]? aut temperantem[25] eum, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit[26]? Una virtus est, consentiens[27] cum ratione, 22

Oxx. *temperato* pro *temperante*, tum octodecim Manut. et tres Oxx. *temperatiorem*. *Temperantem* statim ipse definit, ut de Nat. Deor. III, 15, 38. « Temperantia autem constat ex prætermittendis voluptatibus corporis ». Cf. Tusc. III, 8; V, 14, de Off. I, 27. « Temperatum multa humanitate » appellat Lentulum ad Attic. IV, 6, latiore sensu. Gern.

21. *Sapientiorem*. Non virum perfectum, eumque h. l. intelligit, quem Parad. VI, fingit, sed prudentem. Vid. Off. I, 5, 16. « Ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet ». Prudentiam quarto loco posuit, justitiam primo, quæ quidem in tribus illis virtutibus, quibus actio vitæ continetur, patet latissime, vid. Off. I, 7, quum ex quatuor locis, in quos honesti naturam vimque divisit (ibid. c. 6), primus ille, qui in veri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam. Gern.

22. *Potest perspici*. Ox. E. *prospici*, U. σ. septem Manut. *percipi*, quorum duo ordine præp. unus priore loco *perfici* emendat, *percipi*, frequenti permutatione, ut Fin. I, 12, 40.

23. *Decem millibus pondo*. Quatuor Oxx. et edd. Ven. 1487. Ascens. Lugd. Anemœc. addunt *auri* e superiori loco translatum. Gern.

24. *Non idem fecerit*. *Idem* abest a decem Manut. Unus Ox. habet *ipse*. Prius *idem* post *si* quum pro masculino haberetur, additum alterum est neutro genere, quod uncis inclusi. Convenientius etiam est prius illud *idem* referre ad proximum verbum *reddere*. Posterius *idem*, et paullo *auro* rejicit etiam Th. Bentl. Gern.

25. *Aut temperantem*. Ox. E. extruso *aut*, repetit *an tu*, quæ cum verbo *dices* intelligenda sunt, non scribenda. Gern.

26. *Effuderit*. Patrimonium vel simil. *effundere* frequens est; « se effundere in libid. » h. e. sine modo et ratione indulgere libidini, insolentius, videturque hæc dictio placuisse, quæ pronomini *se* accommodaretur. Propius accedit Liv. XXXIV, 6: « ne abrogata ea (lege) effundantur ad luxuriam, periculum est ». MS α. *offenderit*. Gern.

27. *Una virtus est, consentiens cum ratione, et perpetua*. Grævii nota hæc est: « Libri tam manu exarati, quam editi hic omnes (Pith. et quinque Oxx. *omni ratione*, ed. Ven. 1487, *ratione omni*, unus Ox. *ac perp.*) consentiunt. Quo diligentius tamen et accuratius hunc locum expendo, tanto clarius mihi videre videor, τὸ *et* esse ab imperito adjectum, non a Ciceronis

et perpetua constantia. Nihil huic addi [28] potest, quo magis virtus sit; nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur [29]. Etenim si benefacta recte facta sunt, et nihil recto rectius: certe ne bono quidem [30] melius quidquam inveniri potest. Sequitur igitur [31], ut etiam vitia sint paria [32]: si quidem pravitates animi recte vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes sunt, recte facta, quando a virtutibus [33] proficiscuntur, paria esse debent; itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, sint æqualia necesse est.

manu profectum, scribendumque, « Una virtus est, consentiens cum ratione perpetua constantia ». *Una*, inquit Cicero, *virtus est*, semper virtus una eademque sibi par et similis est, quod sequentibus verbis quasi explanat, « consentiens cum ratione perpetua constantia ». Illa virtus, quæ semper una est, est constantia perpetua cum ratione consentiens, h. e. semper sibi constans numquam a ratione discedit. Hinc Socrates dixit apud Stobæum: Τοῦ βίου καθάπερ ἀγάλματος πάντα τὰ μέρη καλὰ εἶναι δεῖ. » Non opus hac est medela. Nam virtus est (de Invent. II, 53, 159), animi habitus naturæ modo, rationi consentaneus, et Tusc. IV, 15, 34, affectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est. Constantiam autem in Stoicorum virtute voluit esse insignem, Catonis exemplo, cui « incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque ipse perpetua constantia roborasset ». De Off. I, 3, 112. Tum hæc omnis definitio ad moderationem inprimis apta est, de qua ibid. c. 34, extr. « Nihil est autem, quod tam deceat, quam in omni re gerenda, consilioque capiendo servare constantiam ». Comp. extrema verba hujus Parad. GERN.

28. *Nihil huic addi.* Lambinus mavult *huc;* quod foret ad hæc verba mea; Cicero autem intelligit virtutem; unus Oxonius dat « nihil denique addi », GERN.

29. *Nihil demi... relinquatur.* Si aliquid demas, quantulumcumque demas, jam non ei nomen virtutis relinqui poterit: nam quum hoc demptum fuisset, aliquid tunc addi posset; atqui si aliquid addi posset, non esset perfecta virtus, sed tantum gradus ad virtutem.

30. *Ne bono quidem.* Sedecim Manut. ex quatuor Oxx. male *nec bono quidem.* Vid. quæ not. ad Cat. M. c. 9, pr. Ruhnkenio, qui ad Rutil. Lup. p. 129, e Cod. Leidensi *quidem* omittit, assentitur Schütz. Nempe nonnullis exemplis VV. DD. quidam contendunt aliquando *ne* pro *nequidem* poni. GERN.

31. *Sequitur igitur.* Cod. Duisb. *sequitur ergo.*

32. *Vitia sint paria.* Pith. « vitia omnia sint paria ». GERN.

33. *Quando a virtutibus.* Quindecim Manut. quinque Oxx. et Lamb. « quoniam a virtutibus ». *Quando* est *quandoquidem*, eademque mutatio huic voci accidit cap. seqq. et de Finibus, V, 23, 67. GERN.

II. A philosophis [1], inquis, ista [2] sumis. Metuebam, 23
ne a lenonibus [3] diceres. Socrates disputabat isto modo. Bene hercle narras; nam istum doctum et sapientem virum fuisse, memoriæ traditum est. Sed tamen quæro ex te (quando verbis [4] inter nos contendimus, non pugnis), utrum nobis est [5] quærendum, quid bajuli atque operarii, an quid homines doctissimi sen-

II. 1. *A philosophis.* Qui scilicet sibi inter se non consentiunt. Nam hac ipsa de re pugnat cum Stoicis Antiochus, ut est in Acad. 4, c. 43. Facc.

2. *Inquis, ista.* Sex. Oxx. Pith. duodecim Manut. *inquit, ista*, duo *inquid, ista;* unus *inquit aliquis*, *ista*, eodem errore, quo capitis superioris initio. Unus Ox. ψ. « Epicurus a philosophis inquisita ». In quo latet quod verum est et in tribus reliquis Ald. legitur receptumque est in ed. Lugd. 1556. Græv. Facciol. Ernest. Gern. — Th. Bentleius patrui auctoritate cum cod. Duisb. ut initio superioris cap. scribit *inquit.* Nam Rich. Bentl. ad Hor. sat. I, 4, 79 (cui consentiunt J. F. Gronov. Drak. Heindorf. et Bremi), *inquit* perpetuam formulam dicit esse, ubi aliquid ex adverso nobis objici et opponi fingimus.

3. *Ne a len.* Al. *leonibus.* Quatuor Oxx. et quinque Ald. (in uno ab altera manu) addunt *ista*. Unus Ox. « ne de lenonibus ista ». Intell. autem *sumpta a lenon.* Quanta acerbitate voluptatis defensorem, quem fingit adversarium, qui philosophos nimium severos continentiæ vindices irridere vult, carpat, facile sentitur. Accedit μαςρωπεία, quam Socrates ipse profitetur apud Xenoph. Sympos. c. 3, 10, et c. 4, 57 et 58, unde metuere poterat, ne adversarius pro Socrate philosopho contumeliosius lenonem Socratem diceret, cujus esset, τὴν ἂν ἢ ὃν ἂν μαςρωπεύῃ, ἀρέσκοντα τοῦτον ἀποδεικνύναι οἷς ἂν συνῇ. Quod ad honestatem conciliandamque hominum benivolentiam transferens Socrates quærit: Εἰ δέ τις καὶ ὅλῃ τῇ πόλει ἀρέσκοντας δύναιτο ἀποδεικνύναι, οὐχ οὗτος παντελῶς ἂν ἤδη ἀγαθὸς μαςρωπὸς εἴη; Quantum Epicuri hortus habuerit licentiæ, Cic. docet de N. D. I, 33, 93. Quid? quod ibid. c. 34: « Zeno quidem, inquit, non eos solum, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, ceteros figebat maledictis; sed Socratem ipsum, parentem philosophiæ, latino verbo utens, scurram Atticum dicebat ». Gern.

4. *Quando verbis.* Pith. et sex Oxx. *quoniam verbis*, ut paullo ante capite super. (not. 33). Gern.

5. *Utrum nobis est quærendum.* Facc. et Gern. scribunt, *utrum de bonis est q.* Gern. observat: « Utrum potius de bonis ». Pith. tres Ald. edd. Vict. Lang. Grut. Ven. 1487. Ascens. Hervag. Anemœc. et Lugd. Grævius recepit *utrum bonis*, quod est in octo Ald. Ernestii nota hæc est: « *bonis* rectum esse non videtur. Conjeci legendum *nobis*, quæ verba sæpe permutantur in libris. Sed edd. pr. habent *de bonis;* quod non dubitavi revocare. Pendet e *senserint* ». Etiam Bentl. scribi vult *de nobis. De bonis* est etiam in septem Ald. et quatur Oxx. unus Ox. *a bonis;* Ox. U. pro *bonis* habet *pocius.* Wetzelius recte struit: « utrum quærendum est, quid senserint de

serint? præsertim quum hac sententia [6] non modo verior, sed ne utilior quidem hominum vitæ reperiri ulla possit. Quæ vis enim est [7], quæ magis arceat homines ab improbitate omni, quam si senserint, nullum in delictis esse discrimen? æque peccare se, si privatis, ac si magistratibus manus afferant [8]? quamcumque in domum stuprum intulerint, eamdem esse la-
24 bem libidinis? Nihilne igitur interest (nam hoc dicet aliquis), patrem quis enecet, an servum? Nuda [9] ista si ponas, judicari [10], qualia sint, non facile possunt. Patrem vita privare si per se scelus est, Saguntini [11], qui parentes suos, liberos emori, quam servos vivere maluerunt, parricidæ [12] fuerunt. Ergo et parenti [13] non-

bonis bajuli, etc. ». De *bajulis*, quos Græci βαστάζοντας vocant, vid. Gell. N. A. lib. V, 3. Iidem artis peritis opponuntur Brut. c. 73, extr. « Quare non, quantum quisque prosit, sed quanti quisque sit, ponderandum est : præsertim quum pauci pingere egregie possint, aut fingere : operarii autem, aut bajuli deesse non possint ». Gern.

6. *Hac sententia.* Scilicet qua contendit peccata omnia esse æqualia.

7. *Quæ vis enim est.* Duo Ald. et ed. Ascens. 1520, male omittunt *est.* Lamb. transp. *est enim.* Gern.

8. *Afferant.* Quatuordecim Ald. et plurimi alii. Alii ut Facc. *inferant.* Duo Ald. *magis reatibus;* unus Ald. *afferantur;* unus *inferantur;* tres et duo Oxx. addunt *et.* Gern.

9. *Nuda.* Id est, in thesi, sine loco, tempore, caussa. Facc.

10. *Judicari... possunt. Judicare* sex Oxx. iidem, duobus exceptis, « facile non possunt »; unus « facere non possum ». Tredecim Ald. *possum;* duo *possem.* Pro *qualia.* MS E. *æqualia.* Fin. IV, 27, 76, de eadem re : « item æque peccat, qui parentem, et qui servum injuria verberat ». Cod. Duisb. « judicare, qual. s. non possim ». Gern.

11. *Saguntini.* Qui, ut, præter alios, narrat Val. Max. in lib. VI, c. 6, se ipsi, suosque, et sua omnia publico rogo superjecerunt, ne in Hannibalis potestatem venirent. Facc. — Adde Florum II, 6; Liv. XXI, 24; Polyb. III, 17. Gern.

12. *Parricidæ.* Septem Ald. et Lamb. *patricidæ.* Gern.

13. *Ergo et parenti,* etc. Ernesti locum impeditiorem reddit hac nota : « nexus orationis hic paullo obscurior est. Series est hæc. *Nihilne interest,* est objicientis. Respondetur in his : *nuda ista si ponas,* i. e. sine adjunctione, de causa cædis. Pergit loqui adversarius, dicens, ex illa opinione de æqualitate peccatorum sequi, Saguntinorum fuisse parricidium : quod esse contra sensum communem et injustum. Hinc ergo intelligi, idem factum alias esse honestum, alias sceleratum, etc. » Rectius Wetzel. hæc omnia inde a *Nuda ista,* etc. Ciceroni tribuit respondenti. Gern.

numquam adimi vita sine scelere potest; et servo sæpe sine injuria non potest[14]. Causa igitur hæc, non natura distinguit: quæ quando utro[15] accessit, id fit propensius[16]; si utroque adjuncta[17] sit, paria fiant necesse est. Illud tamen interest, quod in servo necando, si adsit injuria[18], semel peccatur; in patris vita violanda, multa peccantur. Violatur is, qui procreavit; is, qui aluit; is, qui erudivit; is, qui in sede[19] ac domo, atque in republica collocavit. Multitudine peccatorum præstat[20], eoque pœna majore dignus est. Sed nos in vita, non quæ cuique peccato pœna sit, sed quantum cuique liceat, spectare debemus: quidquid non oportet[21], scelus

14. *Servo... sine injuria non potest.* Quamvis dominis in servorum vitas jus esset, non tamen eo jure sine caussa et ratione uti poterant. Facc.

15. *Quæ* (causa) *quando utro.* Facc. *q. alteri.* Al. inquit, *quando utri.* Si ex duobus, quæ suapte natura paria sunt, caussæ plures et graviores alteri accedant, id ob eas ipsas caussas latius funditur. Facc. — V. D. sequutus est edd. quarum lectionem Gruterus appellat vulgatam. Lambinus leg. *altero.* Pith. sex Oxx. plerique Ald. *ultro;* unus *uni.* Victor. et Langii ed. et membranæ S. Victoris et Metenses teste Guilielmio; Gruterus, Græv. Ernest. *utro* pro *utrovis*, in utramlibet partem. Ceterum, ut paullo ante, pro *quando* novem Ald. et quatuor Oxx. *quoniam;* quod cum Victor. et Grut. probat Bentley. Unus Ox. et duo Ald. *quia;* unus *ipsum;* unus « ultro sponte accessit ». Adverb. *utro* rarius quam seq. *utroque.* Gern. — Locus hic turpissime erat maculatus, non tam a librariis, quam a sciolis istis; quod ignorarent *uter*, pro *utervis* dici. Langius.

16. *Propensius.* Hoc est magis extensum. Sed legere malim *protensius.* Facc. — Rectius Ernest. monet hæc: « Sumptum a libra, cujus æquatæ lances quum sunt, altera inclinatur, descendit, propendet, quum aliquid alterutri adjectum est, quod momentum faciat ». Gern.

17. *Utroque adjuncta.* Sic novem Ald. *utraque* duo; *uterque* unus; unus *utramque;* tres *utrobique;* decem et duo Oxx. *conjuncta.* Gern.

18. *Si adsit injuria.* Unus Manut. « si id fiat inj. »; sex et Lamb. « si id fit inj. »; unus « si fit inj. »; unus « si adsint injuriæ ». Gern.

19. *Is, qui in sede.* Voces « sede ac domo » in decem Manut. transponuntur; quatuor ejusd. « et in republ. »; duo « ac in rep. »; duo omittunt præpositionem. MS I. addit quater *te* post « procreavit, aluit, erudivit, collocavit ». Gern.

20. *Præstat.* Tres Oxx. et octo Manut. *peccatur;* sic etiam Th. Bentl. et deinde *dignum est.* Unus *peccat;* unus *peccavit.* Pro *eoque* unus *ergo.* Gern.

21. *Quidquid non oportet.* Civitatis lege non licere dicuntur quæ natura

esse; quidquid non licet, nefas putare debemus. Etiamne in minimis rebus? Etiam : si quidem rerum modum fingere[22] non possumus, animorum modum[23] tenere
26 possumus. Histrio si paullum se movit extra numerum[24], aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior, aut longior[25], exsibilatur et exploditur : in[26] vita

vetat fieri. Wetzel. laud. pro Balb. c. 3, 8 : « fecisse Pompeium, quod ei facere non licuerit? quod gravius est, quam, si id factum ab eo diceret, quod non oportuisset. Est enim aliquid, quod non oporteat, etiamsi licet; quidquid vero non licet, certe non oportet ». Gern.

22. *Fingere.* Facc. scribit *figere.* Ita, inquit, intelligendum; non, ut vulgo legitur, *fingere.* Figere autem non possumus rerum modum, quia, ut Cic. scribit in Acad. II, 29, init. « natura nullam dedit nobis cognitionem finium, ut ulla in re statuere possimus, quatenus ». Ex hoc ipso Zeno colligebat, peccata esse æqualia, ut scribit Sextus Empiricus adversus Mathemat. cap. 23. Facc. — *Fingere*, quæ lect. est omnium librorum scriptt. et edd. recepit Grævius. Lambinus conjecit *figere*, quod recepit Schütz. (et J.V. L. probat); ut Horat. Carm. III, 15, 2 : « Tandem nequitiæ fige modum tuæ ». At « rer. fingere modum n. p. » est, rerum causas, nexum et eventum præscribere, regere et, quominus res minimæ, nobis invitis, magnæ evadant, prohibere non possumus; nostrum est nostræ voluntatis imperium. Gern.

23. *Animorum modum tenere.* Alii et Facc. omittunt *modum.* Sed altera lectio et codicum et edd. vett. auctoritate firmata est. Gern.

24. *Paullum se movit extra numerum.* Si leviter peccavit contra leges gestus et saltus. Facc. — Grævius numeros tam ad musicam pertinere putat, ut Virg. Ecl. IX, 45, « numeros memini, si verba tenerem », quam ad saltationem. Vide Pers. Sat. V, 123 : « Treis tantum ad numeros Satyri moveare Bathylli ». *Paullulum* habent septem Ald. et duo Oxx. *paullo* edd. Ven. 1487, et Ascens. 1520. — Pro *movit*, cui respondet *pronuntiatus est*, septem Ald. et tres Oxx. *moveat;* tres Ald. *movet*, quorum in uno add. *removeat;* unus *moverit.* Gern.

25. *Aut longior.* Unus Ald. « vel longior ». Conf. Orat. III, 51, 193 : « Ut in versu vulgus, si est peccatum, videt : sic, si quid in nostra oratione claudicat, sentit : sed poetæ non ignoscit ». Exsibilatur enim non histrio propter metri neglectionem, sed versus, h. e. poeta propter versum, cujus tamen reprehensionem in præsentem histrionem conjiciunt. Quare non scripsit « si versum pronuntiavit », ut « si se movit ». Gern.

26. *In vita tu.* Pronomen omittunt edd. vett. Olivetus cum sex Oxx. « tu in vita, quæ »; in tribus tamen est *qui*, pro quo unus Ald. *itaque.* Tres Ald. « in vita tu, quæ..... debet », Quatuordecim « in vita tu, qui... debes », quod receperunt Græv. et Ern. et est sane exquisitius. Gern. — Sed postea Gernhard, suadente quodam loco Offic. (I, 40 extr.) ad id reversus est, ut cum Bentl. et Schütz. præferret lectionem « quæ......

tu, qui omni gestu moderatior[27], omni versu aptior esse debes, ut in syllaba te peccare[28] dices? Poetam non audio[29] in nugis: in vitæ societate audiam civem, digitis peccata dimetientem sua[30]? Quæ si visa sunt breviora[31], leviora qui possint videri? quum quidquid peccatur, perturbatione peccetur rationis atque ordinis[32]; perturbata autem semel ratione et ordine, nihil possit addi, quo magis peccari posse videatur.

debet », J. V. *Leclerc* adstipulante. Totum vero hunc locum Bentl. quum Aldus Manut. in quibusdam, non suis, libris vidisset notatum « syllaba una breviore aut longiore », præter hanc lectionem scribit « in vita, quæ ... debet, tu in syllaba te peccasse dices? ... peccata dimetientem? ut si visa sint breviora, leviora videantur, qui possunt? quum quidquid peccetur, etc. »

27. *Moderatior*. Al. *modulatior*. Facc. — Alteram lectionem Manut. ait apud quosdam reperiri. Gern.

28. *Ut in syllaba peccare*. Car. Langius: « Et hic, inquit, acuti illi viri malam manum adhibuerunt. Particula *ut*, ibi, *ut in syllaba*, in nullo veteri libro exstat; siquidem recte *in syllaba peccare* figurate dictum sit, pro in aliqua vel minima particula ejus; qui sensus tolerari possit ». Equidem nusquam in his lectionis varietatem deprehendi, præter quam quod omnes Oxx. habent *peccasse*, quod et cod. Duisb. et mihi quidem placet. Est autem « ut in syllaba » non gravius quam in syllaba, metri legem lædente. Gern.

29. *Poetam non audio*. Non accipio poetæ excusationem. Facc. — *In nugis*. Hoc est, in rebus fictis et vanis. Gern.

30. *Dimetientem*. Quod poetæ facere solent carmina dimetientes. Vide Horatium in Epist. ad Pisones, vers. 274. Facc.

31. *Breviora*. Minus extensa et producta, sumpta similitudine a syllabarum quantitate. Facc. — Recta quidem videtur hæc scriptura: sed ne ea quidem rejicienda est, quam in codice Memmiano reperi: « Si visa sunt breviora: leviora qui possint? » Lambin. — Item Bentl. sed *possunt*. Pronomen *quæ* omittit ed. Ascens. 1520; eadem et Ven. 1487, et Facc. *visa sint*. Grævius et Ernest. recte « Quæ si visa sunt », servato verbo *videri*. Gern.—Olivet. dat cum Vict. et Langio: « si visa sint breviora, leviora videantur. Qui possint videri », et eo sensu ut « qui possint » intelligatur, « sed quomodo possint videri leviora ».

32. *Perturbatione peccetur rationis atque ord.* Pertinent hæc inprimis ad temperantiam, decorique observationem, quæ ordine continetur. Vide Offic. I, 40 med. « Talis est igitur ordo actionum adhibendus, ut, quem ad modum in oratione constanti, sic in vita omnia sint apta inter se et convenientia ». *Rationi* autem ut appetitus pareat, præcipitur ibid. cap. 39, 141. Gern.

PARADOXON IV.

Ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται[1].
Omnem stultum insanire[2].

27 Ego vero te[3] non stultum, ut sæpe; non improbum, ut semper; sed dementem et insanum[4], rebus

IV. 1. Ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται. Hanc thesin C. Langius e libris scriptis recepit, monente etiam Diogene Laertio, Zen. pag. 193, edit. Menag. πάντας τοὺς ἄφρονας μαίνεσθαι. Platon. Alcibiad. alter. cap. 3. Horat. Serm. II, 3: « insanis et tu, stultique prope omnes »; et Tusc. III, 4, 9: « omnes insipientes insaniunt ». Assentiuntur Grævius et Ernest. Facciolatus, edd. vett. sequutus, ὅτι πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται. Sunt autem μωροὶ fatui. Desunt hæc præter edit. Ven. 1487, in quinque Oxx. Reliqui duo nobis suffragantur. Gern.

2. *Omnem stultum insanire.* Facc. « omnes stultos insanire ». Sed latina thesis a Facciolato præposita meliorum codicum, etiam quinque Oxoniensium, auctoritate ad græca verba mutanda erat in « Omnem stultum insanire ». Gern. — Stultitiæ nomen apud Stoicos late fundebatur ad omnes animi perturbationes; quique iis laborarent, in morbo esse aiebant, proindeque non sanos. « Nomen enim insaniæ (inquit Cicero in Tuscul. III, cap. 4) significat mentis ægrotationem et morbum [id est insanitatem et ægrotum animum, quam appellarunt insaniam]. Omnes autem perturbationes animi morbos philosophi appellant; negantque stultum quemquam his morbis vacare ». Facc. — Uncis notata hujus loci verba Ern. et Wolf. pro spuriis habuerunt. Gern.

3. *Ego vero te.* Satis intelligitur Clodium peti, cujus lege Cicero pulsus civitate fuerat; quique Ciceronem, licet jam restitutum, exsulem appellare solebat. Ceterum hoc nihil fere facit ad Paradoxi titulum. Ex quo sequitur, vel titulum a Cicerone non esse, vel exercitationis hujus partem maximam desiderari. Facc. — Equidem potius dixerim, quum in mediam rem rapiat, acerbissimo odio adductum Ciceronem, prætermissa omni argumentatione moderatiore, et stulti hominis descriptione ea, quæ exspectabatur, statim adversarium petere, eumque, quem stultum sæpe appellasset, asperiore potius insani nomine notare, quippe qui non viderit, ipsum esse exsulem, quum exsulare juberet virum sapientem: quod suadent etiam verba « Numquamne, homo amentissime, te circumspicies? » et q. s. Ita illud paradoxon, stultos esse exsules (vid. pro Murena, cap. 29, 61: « nos autem, qui sapientes non sumus, fugitivos, exsules, hostes, insanos denique esse dicunt ») simul attigit. Scioppii sententiam vide paullo post ad v. *Sapientis animi.* Sylvius in uno codice ait scriptum esse « non modo stultum ». Gern.

4. *Dementem et insanum.* Unus Aldinus verbum *judico* inserit post *dementem*, quatuor vero Oxonn. post *insanum.* — In duobus Ald. deest particula *et.* Gern.

vincam necessariis [5].—Sapientis animus[6] magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum[7], contemptione fortunæ, virtutibus denique omnibus, ut mœnibus, septus, vincetur et expugnabitur, qui ne[8] civitate

5. *Rebus vincam necessariis.* Facc. *addicam. Addicere*, inquit, secundum Festum est approbare dicendo: *res* autem pro ratione et argumento passim reperitur. Ceterum alii aliter locum hunc ex conjectura legunt. — Pro *addicam*, quod merito displicuit Langio, etiamsi, deleto *rebus*, sensus esset, insaniæ tuæ curam agnatis committam, aut corrigeretur *adducam*, quod est in uno Ald. Lambinus in libris scriptis reperit « advictum necessariis invictum potest » (cod. Vict. *esse invictus potest*), ut in quatuor Oxx. conjecitque « rationibus evincam, seu advincam » (quod ipsum est in MS Ursini), seu « vincam necesse ». Verbum *vincam* habent non, ut Grævius ait, Manutii libri, sed, teste Manutio, alii: « alii (Gifanius) *advincam:* pro quo quidam reponebat *convincam.* Mei, unus (et Pall.) *adducam; dicam* duo; *ad victum* unus; *additam* unus; *additiam* tres; *compellam addicam* unus ». Duo vero Oxx. N. σ. (in I. hæc desunt) Oliveti lectioni *vincam* suffragantur. Ita non opus est Jac. Gronovii conjectura « rebus adigam necess. » neque Withofii in Conjecturis ab H. A. Grimmio editis 1798, I, pag. 134, proposita « rebus ad vitam necessariis esse indignum quoque, testor », pro quo Grimm. e MS Duisb. suadet *putem.* Verba « Rebus vincam necess. » Græv. interpretatur: evincam invictis argumentis, quum *res* sæpe sint rationes, argumenta. De verbo *vincere* pro *convincere*, quod leg. Parad. V, extr. vide pro Cluent. cap. 44, 124. Gern.

6. *Sapientis animus.* Wetzelius assentitur C. Scioppio, qui in elem. phil. mor. pag. 77, contendat, Ciceronem ab his inde verbis probare niti *quintum* (Paradoxon): *quarti* igitur non nisi superesse initium parvulum, in prima hujus Parad. sententia: *Ego vero te..... necessariis;* quod etiam suspicatus est Bentl. (Ideo nos linea distinximus.) Quæ enim sequuntur, non demonstrant Clodium insanum, sed civem eum esse negant, § 29. At quinti aliud est argumentum. Facilius largiar, inde ab his verbis novum parad. stultos esse exsules (quo supra dixi argumentationem videri abiisse), tractari; aut potius inscribendum quartum hoc esse: Omnem stultum insanum esse et exsulem. Gern.

7. *Tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ.* Gern. scribit « contemptione rer. humanarum, tolerantia fort. » Sic, inquit, Ruhnkenius ad Rutilium Lup. pag. 108, hunc locum transposuit. Nam semper Cicero dicit, *res humanas contemnere, tolerare fortunam.* Vide de Orat. II, 84; de Offic. I, 4, 18, 20, 21, et Bentleium ad Tuscul. Disput. IV, 28. — Bentleius conj. « sapiens animi magnitudine, consilio, tolerantia, rerum hum. contemptione, etc. »

8. *Qui ne.* Facciol. scribit *quin ne.* Alii, inquit, omnes leg. *qui ne.* Quoniam in veteribus MSS, unde hæc sumpta sunt, per unam fortasse eademque literam *n* finiebatur vox prior, et inchoabatur posterior, nec id librarius advertit, hinc facta est periodus

quidem pelli potest? Quæ est enim civitas? Omnisne conventus etiam ferorum[9] et immanium? omnisne etiam fugitivorum ac latronum congregata unum in locum multitudo? Certe negabis. Non igitur[10] erat illa tum civitas, quum leges in ea nihil valebant[11]; quum judicia jacebant[12]; quum mos patrius occiderat; quum, ferro pulsis magistratibus[13], senatus nomen in republica non erat[14]. Prædonum ille concursus[15],

una pro duabus. At nisi legatur *quin*, et nova fiat propositio, in quam ea conveniant, quæ sequuntur, non recte procedit oratio. — Sex Oxx. et edd. vett. «qui nec civitate quidem»; unus Ald. «neque»; reliqui ejusd. «nec cui quidem». Nos sequuti sumus Græv. et Ern. Gern.

9. *Ferorum*. Alii leg. «etiam furum». Facc. — De hac altera lectione Gruterus Grævio persuasit his verbis: «Ita Pal. pr. ac tert. item Mauric. v. Faber. quorum ultimus *etiam furium*, quod Guilielmio aptius visum ad illud, quod mox infert, *fugitivorum*. Vulgati, *omnisne civitas ferorum*. Victoriani, *omnisne civ. etiam ferorum*». Atque hanc lect. ex edd. pr. etiam MSS quibusdam recepit Ernest. qui vidit *furum* vel *furium* non convenire sequenti *immanium*. *Etiam* omittit ed. Ascens. 1520, quod tamen necessarium est, ut falsa hæc civitatis notio utraque, inter se æquiparata, veræ notioni opponatur, qua civitas est eorum, qui legibus obtemperant, aut cœtus hominum jure sociatorum. Vide Somn. Scip. cap. 3. Gern.

10. *Non igitur*. Duo Manut. «Non enim», unus «Non ergo». Abest a tribus, in quorum uno add. In uno Ox. *igitur* deest. Gern.

11. *Quum leges in ea nihil valerent*. Clodii tribunatus intelligitur (an. Urb. 695, L. Pisone, A. Gabinio consulibus), cujus mala describit in oratione pro Sextio, cap. 24, et in Pis. cap. 4, «a P. Clodio, fatali portento prodigioque reip. lex Ælia et Fufia eversa est, propugnacula murique tranquillitatis atque otii», et cap. 5. Gern.

12. *Quum judicia jacebant*. Conf. in Pison. cap. 12.

13. *Ferro pulsis magistratibus*. Cf. ibid. cap. 10, 23; 12, 23.

14. *Senatus nomen in rep. non erat*. Grævius *non* deleri volebat. Nam nomen senatus in rep. fuisse, sed nomen, non rem exstitisse. Verum Cicero non solet id, quod Grævius volebat, sic exprimere: dixissetque, ut ego olim conjeceram, «nomen modo erat», aut «n. in rep. non res erat». Ern. — Grævius si verbis seqq. § 28, «senatus occiderat; civitas non erat; consul non erat», quibus Cicero (ut Offic. III, 1, 2, «exstincto senatu, deletisque judiciis») temporis illius iniquitatem exaggerat, moveri non potuit, ut vulgatam tueretur; non tam particula *non* ejicienda, quam in *nullum* mutanda erat. Sic certe ordo verborum servaretur idoneus, qui, expuncto *non*, mutari deberet «senatus in rep. nomen (tantum) erat». Adject. *nullus* videbis § 28, et Liv. XXVI, 41: «nullum jam nomen esset populi rom.» Gern.

15. *Prædonum ille concursus*. In

et te duce latrocinium in foro constitutum, et reliquiæ conjurationis a Catilinæ furiis [16] ad tuum scelus furoremque conversæ, non civitas [17] erat. Itaque [18] pulsus 28
ego civitate non sum, quæ nulla erat [19]; arcessitus in civitatem sum, quum esset in republica consul [20], qui tum nullus [21] fuerat; esset senatus, qui tum occiderat; esset consensus populi liberi [22]; esset juris et æquitatis (quæ vincula sunt civitatis [23]) repetita [24] memoria.

Pis. cap. 5, 11: «Delectus servorum habebatur ab eo, qui nihil sibi umquam nec facere, nec pati turpe duxit. Arma in templo Castoris..... constituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit, te consule, arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, castellum forensis latrocinii, bustum legum omnium ac religionum». Gern.

16. *A Catilinæ furiis.* Ibid. cap. 7: «Quid enim interfuit inter Catilinam et eum, cui tu senatus auctoritatem, salutem civitatis, totam remp. provinciæ præmio vendidisti? Quæ enim L. Catilinam conantem consul prohibui, ea P. Clodium facientem consules adjuverunt». Gern.

17. *Non civitas.* Al. «num civitas». Facc. — *Num civitas* est in duobus libris Manut. et edit. Ascens. 1520. Sed tamen Grævius et Ernest. signum interrogationis post «non civ. erat», perverso sensu, retinuerunt a Facciolato jure expulsum. Gern.

18. *Itaque pulsus.* Cod. Duisb. habet *ita pulsus*, quod præfero, quum superiora hanc sententiam præparaverint. Gern.

19. *Quæ nulla erat.* Edd. Lugd. 1556, et Anemœc. «quæ tum nulla erat». *Tum* abest ab scriptis libris omnibus. Verburg. in sqq. notat alios habere *accersitus* errore vulgari. G.

20. *Consul.* P. Lentulus cum Q. Metello, qui de Cicerone revocando retulere. Facc. — Scil. an. Urb. 696. Quindecim libri Manut. et duo Oxx. pro «quum esset» male habent «ut esset», quod scribi voluit Th. Bentl.

21. *Tum nullus.* In tribunatu Clodii, a quo Cicero expulsus est. Facc. — Conf. in Pison. cap. 10, 23: «Tu etiam mentionem facies consulatus tui? aut te fuisse Romæ consulem dicere audebis? Quid? tu in lictoribus, in toga et prætexta esse consulatum putas? Animo consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere consulatus omni officio tuendo». Gern.

22. *Consensus populi liberi.* Sic Langius, edd. Ascens. 1520, Lugd. 1556, Græv. Facciol. Ern. nec discrepant codd. Oxx. Aldini sedecim et Grut. cum ed. Ven. 1487, «consensus populi liber.» In uno *liber* deest, in uno scriptum est *lib.* Th. Bentl. vult scribi *liber.* Gern.

23. *Quæ vincula sunt civ.* Pro Cluent. cap. 53, de legibus: «Hoc enim, inquit, vinculum est hujus dignitatis, qua fruimur in rep. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis. Mens, et animus, et consilium, et sententia civitatis, posita est in legibus». Gern.

24. *Repetita.* Manut. ait, alias (non

Ac vide[25], quam ista tui latrocinii tela contempserim. Jactam[26] et immissam a te nefariam in me injuriam semper duxi, pervenisse[27] ad me numquam putavi; nisi forte, quum parietes disturbabas[28], aut quum tectis sceleratas faces inferebas, meorum aliquid[29] ruere,
29 aut deflagrare arbitrabare. Nihil neque meum est[30], neque cujusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses[31] divinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias, consilia, quibus

in suis) legi *recepta*. Ox. σ. *repentina*. Gern.

25. *Ac vide*. Facciol. *at vide*. Duo Manut. et quinque Oxx. cum Oliveto *Ac vide;* unus Manut. *Ad.* Verum est *At*, si respicias verba « Itaque pulsus ego, etc. » Gern.

26. *Jactam*. Quum Mediolanensis ed. haberet *latam*, Betuleius conjecit legendum esse *illatam*. Duo Ald. libri *factam ;* Ox. E. *jactatamque*. *Jacitur* injuria, quæ subito, tamquam uno ictu infertur; lentius *immittitur*. Grutero non placet *injuriam ;* nescit tamen, quid substituat. Mox eadem vox redit. Gern.

27. *Pervenisse*. Duo Oxx. et unus Ald. addunt *eam*. Quod in edd. apud Græv. legitur « perv. tamen », a quatuordecim Aldinis et ab Oxx. abest. In uno Manut. et ed. Ascens. 1520, « tamen perv. » Pal. 3 exclusit « ad me ». Gern.

28. *Disturbabas*. Cf. in Pis. c. 11, 26; Attic. IV, 3; pro Domo, cap. 23 et 24; Plutarch. Cic. cap. 33. Gern. — *Quum parietes disturbabas.* Quo die Cicero ex urbe discessit; P. Clodius domum ejus quæ in Palatio erat, incendit, parietes disturbavit, ut in eo loco deæ Libertatis templum ædificaret, tamquam Cic. exsilium romanæ civitati libertatem afferret. Sylv.

29. *Meorum aliquid ruere*. Libenter legerim « meum aliquid ». Facc. —MS I. et ed. Lugd. «tunc meor. al.» « Meum aliquid » foret: aliquid, quod vere meum est. « Meorum aliq. » cogitare jubet plura, pariter mea, e quibus aliquid sumatur, quod mihi videtur gravius, ut librorum consensu certius. Verb. *ruere* in uno Manut. abiit in *ruri*, cui ingeniose additum est, « aut in urbe »; in tribus « aut rure aut in urbe », omissa in uno præpositione. Novem libri ejusd. « aut ruere aut defl. » duo « ruere atque deflagrare »; unus « deflagrari ». Sed vide § 31. Gern.

30. *Nihil neque meum est*. Duo Oxx. ed. Ven. 1487, et Herv. cum tribus Manut. « Nihil enim neque m. e. » Tres Man. « Nihil nec meum est »; duo « Nihil meum est »; unus « Nihil æque meum est »; unus apud Græv. « æque cuiquam », omisso *est;* quinque Manut. « nec cujusq. » De re cf. Parad. I, 1, 7. Gern. — *Nihil neque meum est*. Est enim hoc stoicum, ut supra Biantis exemplo intelleximus. Betuleius.

31. *Si mihi erip*. Unus apud Aldum Manut. et Ox. σ. « Si mihi hoc erip. » Ox. E. interponit *hanc*, I. *hæc*. Nonnullæ editiones dant « diuturnam animi ». Gern.

respublica te invitissimo stat[32]; si hujus æterni beneficii immortalem memoriam delevisses; multo etiam magis si illam mentem, unde hæc consilia manarunt, mihi eripuisses[33]: tum ego accepisse me confiterer injuriam. Sed si hæc nec fecisti, nec facere potuisti: reditum mihi gloriosum injuria tua dedit, non exitum calamitosum. Ergo ego semper civis[34]; et tum maxime, quum meam salutem senatus exteris nationibus[35], ut civis optimi[36], commendabat; tu, ne nunc quidem[37],

32. *Quibus resp. te invitissimo stat.* Sic Langius, Victor. Lambin. Græv. Facciol. Ernest. Oliv. assentientibus duobus Oxx. quorum in tribus hæc omnia desunt; in duobus leg. « cum meis curis vigiliisque resp. invicta stat », ut in ed. Ven. 1487, « consilia si modo rempubl. cum meis curis vigiliisque resp. stat ». Camerarius in Ven. vidit « meis curis, vigiliis, consiliis stare te invitissimo remp. » item membranæ J. F. Gronovii et Victor. assentiente Jac. Gronovio. At ut infinitivus et omnis hæc structura ferri possit, pro *constantiam* scribendum putem *conscientiam.* Postrema verba varie sunt in reliquis depravata. Pall. codd. « consilia in rempubl. » Unus liber Pithœi « consil. in republ. » alter ejusd. « consil. si me re p. » Ed. prima « cons. si remp. » Guilielm. in Metelli libro quod est « si modo inventa in rep. » mutare cupit in « si monumento in rep. » Sexdecim Man. « cons. quibus resp. stat » ; duo codd. Gryph. Ascens. Hervag. Anemœc. « cons. quibus resp. invicta stat ». Inde fit transitus ad veram lect. in ed. Lugd. 1556, quæ habet « cons. quibus resp. invictissima stat ». GERN.

33. *Mihi eripuisses.* Hæc desunt in uno libro Manut. qui rejecit; in uno *mihi* non leg. Bentleius nollet abesse, quum superiora « si mihi erip. » sint remotiora quam ut verba « tum ego accepisse, etc. » satis habeant oppositionis. GERN.

34. *Semper civis.* Vulgo additur « eram »; et infra post « quidem » additur « es civis ». Nempe de more interpretum scholasticorum. FACC. — *Eram* add. in uno Manut. ed. Ascens. Hervag. Lugd. non item in Ven. 1487. Tres Manut. *fui;* unus *ero.*

35. *Senatus exteris nat.* In Pison. cap. 15: « me idem senatus exteris nationibus, me legatis magistratibusque nostris auctoritate sua, consularibus literis, non, ut tu Insuber dicere ausus es, orbatum patria, sed, ut senatus illo ipso tempore appellavit, civem conservatorem reip. commendavit ». Pro Sext. cap. 60. GERN.

36. *Ut civis optimi.* A duobus libb. Lang. uno Manut. a prima manu, Pith. *ut* abest, quod videtur arridere Wetz. Bentl. et Victorio. At h. l. deesse non debet *ut*, quo carere posses, si scripsisset « meam civis optimi salutem ». Unus Lamb. « civis optimus ». GERN.

37. *Tu ne nunc quidem.* Duo Oxx. et edd. vett. addunt « es civis »; duo Oxx. « civis eras », quæ verba jam dudum delevit Gruterus auctoritate Pal. 3 et edit. Victor. quibuscum consentiunt Græviani et reliqui Oxx. G.

nisi forte idem esse hostis, et civis potest. An tu civem ab hoste natura ac loco[38], non animo factisque distin-
30 guis? Cædem in foro[39] fecisti; armatis latronibus templa tenuisti[40]; privatorum domos, ædes sacras incendisti. Cur hostis Spartacus[41], si tu civis? Potes autem esse tu civis[42], propter quem aliquando civitas non fuit? Et me tuo nomine[43] appellas; quum omnes meo discessu exsulasse rempublicam putent? Numquamne, homo amentissime, te circumspicies? numquam, nec quid facias, considerabis, nec quid loquare[44]? Nescis, exsilium scelerum esse pœnam; meum illud iter ob præclarissimas res[45] a me gestas
31 esse susceptum? Omnes scelerati atque impii, quorum

38. *Natura ac loco.* Ac non est in duob. Manut. In septem ejusd. ut in tribus Oxx. legitur *an;* in duobus Manut. *et.* Similiter de Catilinæ sociis, orat. in Catilin. IV, 8 : « quam (patriam) quidam hinc nati, et summo nati loco, non patriam suam, sed urbem hostium esse judicaverunt ». Gern. — Bentl. conj. « natione ac loco ».

39. *Cædem in foro*, etc. Clodius, ut est in oratione pro Sextio, forum armatis hominibus occupavit, multique occisi sunt. Facc. — Pro Sextio, cap. 35 (VIII kal. febr. a. U. 696).

40. *Templa tenuisti.* Templum Castoris servis et gladiatoribus tenuit, ne lex ferretur de reditu Ciceronis, Nympharumque ædem incendit. Facc. — Conf. in Pison. cap. 13, et pro Sext. cap. 39.

41. *Spartacus.* Gladiator, qui anno Urb. 680, vocatis ad auxilium servis, bellum movit, quod describitur a Floro, lib. III, cap. 20. Facc.—Adde Liv. epit. 95-97; Plut. Crass. cap. 8.

42. *Potes autem esse tu civis.* Unus Ald. « potest »; idem et quatuor alii omittunt « tu »; quatuor « putas autem te civem esse ». — Paullo ante, post *Spartacus*, in quatuor Oxx. legitur « si tu es civis ». Gern.

43. *Et me tuo nomine.* Facc. « et tu me exsulem tuo nom. » Deleverunt hanc vocem *exsulem*, in edd. vett. expressam, Langius, quum in aliquot libris non exstaret, et Lambinus quatuor codd. auctoritate, quibus præter Grævium, Oliv. Ernest. suffragantur tres Oxx. et undecim Ald. quorum in duobus add. — Bentl. legit « et me exsulem tu nomine appellas ». Gern.

44. *Nec quid loquare.* In uno Ald. *etiam* supra additum; in octo et duob. Oxx. « vel quid loq. » unus Oxx. « aut quid loq. » unus Ald. « quid loq. » duo « quidve loq. » Gern.

45. *Præclarissimas res.* Quod de conjuratis supplicium sumpsisset Cicero, exsulare jussus est. Contendebat enim Clodius, indemnatos fuisse occisos. Facc. — Contra legem Semproniam, qua de capite civis rom. injussu populi non licebat judicare. Catil. IV, 3; pro Rabir. c. 4. Gern.

tu te ducem esse profiteris, quos leges exsilio affici volunt, exsules sunt, etiam si solum non mutarunt[46]: an, quum omnes leges te exsulem esse jubeant, non eris tu exsul? Num appellatur inimicus[47], qui cum telo fuerit? ante senatum tua sica[48] deprehensa est. Qui

46. *Solum non mutarunt.* Pro Cæc. cap. 34, 100: « Exsilium enim non supplicium est, sed perfugium portusque supplicii. Nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant». Duo Oxx. «mutaverunt»; tres «mutaverint». Equidem veram lectionem esse existimo «mutarint», quum conjunctivus post «etiamsi» requiratur, ut Læl. cap. 27, 101: «quæ (utilitas) tamen ipsa efflorescit ex amicitia, etiamsi tu eam minus sequutus sis». De Fin. V, 7, 20. GERN. — Bentl. «si omnes scelerati ... mutarunt, an quum, etc.»

47. *Num appellatur inimicus?* Facciolat. scribit «non expelletur is». Vulgo, inquit, alii leg. «non appelletur inimicus». Scilicet quum librarius indiligens scripsisset *appelletur*, Grammatici auxere vocem *is*, ut sensum aliquem eruerent, et ex ea fecere *inimicus*. Sed neque hoc nomen, nec verbum *appelletur* ferri potest, ut consideranti facile est ad intelligendum. Itaque alii mutarunt *non* in *num*, et *appelletur* in *appellatur*: sed hoc quidem est ineptius. — Mirum, quam late serpserit vulgatæ lectionis labes Gruterique auctoritas, quam, non audientibus editoribus recentt. unus Facciolatus h. l. ausus est sollicitare. Gruteri verba hæc sunt: «Vitiosissima hoc loco Victorii editio: ceteræ tolerabiliores: itaque sequutus sum retro vulgatos, nisi quod ex veteribus nostris membranis pinxerim *appelletur* pro *appellatur*, atque auctoritate Pal. tertii ac sexti *non* refinxerim in *num*: argumentatur quippe a minori ad majus. Si inimicus est, qui deprensus alicubi cum telo; quid tu, cujus sica penetravit in sanctissimum Urbis locum, curiam? si inimicus, etc. sunt enim liquidiora, quam ut debeam inculcare». At totus hic locus est non de inimico, plane inepto h. l. vocabulo, sed de hoste, vid. § 30 et 31: nunc de exsule: unde quis sana mente credat, Ciceronem redire non ad hostem, sed ad inimicum? Neque per *Num* interrogari debebat, sed per *Non*, quæ vocula in quatuor Oxx. (unus habet *Et non*) ut in edd. vett. legitur. Erat autem, Marciano legis Cornel. de sicariis interprete, hæc sicario pœna proposita, ut in insulam deportaretur, et bonis omnibus spoliaretur. Recte igitur Facciolatus egregiam Victorii lectionem restituit, «Non expelletur is, qui», ut hæc cum proxime antecedentibus verbis conspirent et cum seqq. «Sed quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exsul?» GERN.— Schütz. nulla codd. auctoritate scripsit «Non appellatur sicarius», quum in sicarium omnia ea, quæ sequuntur, conveniant, laudato Digest. XLVIII, tit. 8, l. 1. Bentleius suspicatur legendum esse «non appelletur exsul, qui, etc.»

48. *Tua sica.* Qui hominis occidendi causa cum telo sit, lege Cornelia tenetur, ac proinde expelli debet; servus autem Clodii comprehensus est

hominem occiderit? tu plurimos[49] occidisti. Qui incendium fecerit? ædes Nympharum[50] manu tua deflagravit. Qui templa occupaverit[51]? in foro castra
32 posuisti[52]. Sed quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exsul? familiarissimus tuus[53] de

cum sica in vestibulo senatus, ad Pompeium occidendum a domino collocatus. De re hac, et aliis, quæ hic de Clodio dicuntur, vide orationem pro Milone. Facc. — Adde pro Mil. cap. 7, 18; in Pison. cap. 12, 28; pro Sext. cap. 32, 69. Gern.

49. *Tu pl.* Sex Oxx. codd. et Duisb. auctoritate pronomen *tu* expunxerim. In his enim enuntiationibus non *tua* primo loco positum est, sed illud, in quo vis esset, « ante senatum... ædes ...in foro ». Ita hoc loco exspectatur « plurimos occid. » Nisi velis et brevitatem nimiam vitari, et varietati consuli. Gern.

50. *Ædes Nympharum.* Al. *ædis :* infra autem *deflagravit* pro *deflagrarunt.* Aptius videtur. Facciol. — Veteres libri Langii, tres Oxx. edit. Venet. 1487, Colon. 1563: « Ædis Nympharum manus tua deflagravit ». Ox. E. « manus tua deflagrarunt ». Hæc verbi intransitivi forma cum ablativo « manu tua » obtinet in octo Aldinis (duo *deflagraverunt*), quatuor Oxx. edd. Ascens. 1520, Lugd. 1556, Facc. propter pluralem numerum repudianda. Tres Ald. « manu tua deflagrasti ». Reliqui quinque, Græv. Ern. « manu tua deflagravit »; ut Acad. II, 37, extr. « fore tamen aliquando, ut omnis hic mundus ardore deflagret », et alibi. « Profecto, ait Lang. dicitur *fana deflagrata* (Ennius apud Cic. Tusc. III, 19, 44) et *imperium deflagratum* (Catilin. IV, 6, 12). Et Cæsar Strabo oratione, qua Sulpicio tr. plebis respondit: *Deinde propinquos nostros Messalas domo deflagrata penore volebatis privare.* — Recte participium præter. ut « inveterata querela », apud Cic. « sole occaso, redundatas aquas » apud poetas: sed tamen idcirco haud usquam activam formam transitivo sensu deprehenderis. Gern. — Pro Milone, c. 27, 73, de eodem Clodio, « qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicam recensionis tabulis publicis impressam exstingueret ».

51. *Qui templa occupaverit.* Langius, « Indocti, inquit, adjecerant *deorum.* Templa enim sunt loca sub divo patentia, auspiciis capiundis apta. Varro de Ling. Lat. (VI, p. m. 66, 67); Cic. in Rhetoricis ». — *Deorum*, quod Facciol. Vict. Man. Lamb. cum edd. vett. retinuit, Gruterus ejecit, recte abest ab octo libris Manutii, in quorum uno add. et edd. recentt. Gern.

52. *In foro castra posuisti.* Facc. cum edd. vett. dedit « in foro etiam castra pos. » Abest autem hæc particula ab octo l. Manut. (quorum in uno add.) a quinque Oxx. Græv. Ern. qui hæc adnotavit: « ergo templum occupavisti; nam forum erat locus augurato definitus et publicis usibus destinatus. Vide Cicer. Clavem, in *templum* ». Gern.

53. *Familiarissimus tuus.* Pro *tuus* unus Manut. *civis ;* unus « nimium civis ». Edit. Hervag. 1540, Lugd. 1556, et Colon. 1563, « famil. tuus Cornificius », historia, ut Manutius monet, parum diligenter inspecta. — De A. Pupio Pisone agitur. Totam

te privilegium[54] tulit, ut, si in opertum[55] Bonæ deæ accessisses, exsulares. At te id fecisse, etiam gloriari soles. Quomodo igitur, tot legibus in exsilium ejectus, nomen exsulis non perhorrescis? Romæ sum, inquis. Et quidem in operto[56] fuisti. Non igitur[57] ubi quisque erit, ejus loci jus tenebit[58], si ibi eum[59] legibus esse non oportebit.

rem narrat Cic. ad Atticum, I, 13: « Credo enim, te audisse, quum apud Cæsarem pro populo fieret, venisse eo muliebri vestitu virum; idque sacrificium quum virgines instaurassent, mentionem a Q. Cornificio in senatu factam: is fuit princeps; ne tu forte aliquem nostrum putes... In hac causa Piso (cons. ann. Urb. 692) amicitia ductus, operam dat, ut ea rogatio, quam ipse fert, et fert ex senatusconsulto et de religione, antiquetur ». Gern.

54. *Privilegium.* Ita dicitur lex in privatum hominem lata. Quum igitur Clodius, ad incestum patrandum, muliebri habitu in opertum Bonæ Deæ irrepsisset, ubi virgines Vestales pro populo sacrificabant, Piso ex senatusconsulto rogationem ferre coactus est de religione; sed pro amicitia operam dedit, ut antiquaretur. Facc.

55. *In opertum Bonæ Deæ.* Hoc est, domum J. Cæsaris, cui, quum pontifex max. idemque prætor illo anno esset, hic honor habebatur, ut sacra Bonæ Deæ apud eum fierent, ad quæ adire nefas viro erat. Macrob. Saturn. I, 12: « Hæc apud Græcos ἡ Θεὸς γυναικεία dicitur, quam Varro Fauni filiam esse tradidit, adeo pudicam, ut extra γυναικωνίτην numquam sit egressa, nec nomen ejus in publico fuerit auditum, nec virum umquam viderit, nec a viro visa sit: propter quod nec vir templum ejus ingreditur ». De hujus deæ sacris a P. Clodio violatis in primis vid. Plut. Jul. Cæs. cap. 9 et 10; orat. de har. resp. cap. 17 et 18; Cic. ad Att. I, 12; interpp. ad orat. pro Mil. cap. 5; Tibull. I, 6, 22; Ovid. Fast. V, 148, seqq. Suet. Jul. Cæs. cap. 6. Gern.

56. *In operto* (suppl. Bonæ Deæ) *fuisti.* Ubi esse non licebat. Facc. — Est in edit. Anemœc. « in Ponto », quod retinet Lambin. cum Hervagio; ed. Venet. 1487, et Ascens. 1520, cum plerisque Manut. et uno Ox. « in portu ». Reliqui Oxx. (unus « in opertum »); unus Manut. Car. Lang. Græv. Ernest. cum edit. Lugd. 1556, « in operto ». Gern.

57. *Non igitur.* Quatuor Manut. præbent « Num igitur », quod probat Bentleius.

58. *Ejus loci jus tenebit.* I. e. ille non fruetur jure quod locus ille confert. Bene interpres gallicus: « Quoiqu'on soit dans un lieu, on ne peut en réclamer les privilèges ».

59. *Si ibi eum.* Decem Ald. Man. « sit ibi eum »; duo et unus Ox. « si ibi eum l. »; tres Ald. « si eum ibi »; duo *ibi* omittunt; unus « si eum sibi »; unus « si id eum ». Gern.

PARADOXON V.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος[1].
Solum sapientem esse liberum, et omnem stultum servum.

33 I. LAUDETUR[2] vero hic imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur: quo modo? aut cui[3] tandem hic libero[4] imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrenet[5] primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat[6], coer-

V. 1. Ὅτι... δοῦλος. Hæc desunt in sex. Oxx. et edit. Ven. 1487. Reliquæ edd. vett. et Facciol. Ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, πάντες δὲ (Lugd. 1556 πάντες οἱ) μωροὶ δοῦλοι. Latina inscriptio in tribus Oxx. deest; in edd. vett. etiam Ven. (quatuor Oxx. præmissa voce *adest*, ed. Col. 1563, *id est*), « omnes sapientes liberos esse, et omnes stultos servos ». Facciolat. « et stultos omnes servos ». Diogen. Laert. Zen. pag. 193 edit. Menag. (τὸν σοφὸν)... μόνον τε ἐλεύθερον· τοὺς δὲ φαύλους δούλους· εἶναι γὰρ τὴν ἐλευθερίαν ἐξουσίαν αὐτοπραγίας. Conf. Epict. Dissertat. IV, cap. 1; Lips. Manuduct. ad philosoph. Stoic. III, cap. 12; Horat. Serm. II, 7, 83, seqq. GERN.

2. *Laudetur*, etc. Hæc in multos ex veteribus jacta dici possunt, in Sullam, in M. Antonium, in alios. FACC. — Ernestii nota hæc est: « *hic*, scilicet, ut a superiori oratio ad Clodium pertinuit, sic hæc pertinet ad aliquem certum hominem, qui nomen imperatoris gessit, non fuit eo dignus, v. c. M. Antonius ». Wetzelius suspicatur, Lucullum intelligi, quem aperte significarit cap. 2 et 3. Plures commemoravit Cic. de Fin. III, extr. Ceterum « Laudetur vero » est concedentis, tamquam e medio sermone depromptum: inde *vero*. GERN.

3. *Quomodo, aut cui*. Septem Manutii « quomodo? autem? aut avi? » Duo Oxx. *aut* mutant in *autem*. Iidem paullo post pronomen *suis* omittunt non otiosum. De re comp. Lactant. I, 9, 5. GERN.

4. *Libero*. Vide Liv. XXII, 37, ubi legati Syracusani se dicunt « milite atque equite scire, nisi romano latinique nominis, non uti populum romanum ». GERN.—*Libero*. Antiquo jure Romanorum servis militare non licebat. Itaque secundo bello Punico inopia liberorum hominum, octo millia juvenum validorum ex servitiis prius emerunt, et libertate donarunt. Liv. XXII. Imperator igitur nisi liberis non imperat, sed ne ipse quidem imperator esse potest, nisi liber sit. SYLVIUS.

5. *Refrenet primum*. Tres Manutii libri, ipso approbante, et ed. Ascens. 1520, « prius »; unus « primo »; ab uno abest.

6. *Teneat*. MS σ. et un. Man. « finiat »; unus « terreat »; unus « contemnat »; in quib. libris Manutius notatum vidit « temperet », ut « arceat » pro « coerceat ». Idem in decem libris deprehendit « et ceteras an. l. »

ceat avaritiam, ceteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, quum ipse improbissimis dominis[7], dedecori ac turpitudini parere desierit. Dum quidem his obediet, non modo imperator, sed liber habendus omnino non erit[8]. Præclare enim est hoc usurpatum a doctissimis, quorum auctoritate[9] non uterer, si mihi apud aliquos agrestes hæc habenda esset oratio; quum vero apud prudentissimos loquar, quibus hæc inaudita non sunt, cur ego simulem, me, si quid in his studiis operæ posuerim, perdidisse? Dictum est igitur[10] ab eruditissimis viris, nisi sapientem, liberum esse neminem. Quid est enim[11] libertas? 34

quorum in uno additum fuit. Gern.

7. *Improbissimis dominis.* Cf. Cato M. cap. 14, 47, et Persii Satyr. V, 124, seqq. quem l. laud. Grævius: « Liber ego. Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus? An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat? Te nihil impellit, nec quidquam extrinsecus intrat, Quod nervos agitet: sed si intus et in jecore ægre Nascuntur domini, qui tu impunitior exis, Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit heriles? » Gern. — In sqq. *ac turpitudini.* Pith. « aut turpitudine ». Mox idem « tum quidem hic ». Gern.

8. *Liber... non erit.* Comp. Horat. Carm. II, 9, seqq. Claud. IV Consul. Honor. 258, seqq. Boeth. Consol. phil. III, 5. Duo Manut. « non modo non imperator ». Sed comp. Acad. II, 19, 62: « Quod non modo recte fieri, sed omnino fieri non potest », quo loco, ut Hottingerus ad Divin. I, 56, animadvertit, « non potest » ad prius etiam membrum pertinet: sic nostro loco « habendus non erit » utrumque membrum attingit, *sed* gravius pro « sed etiam » posito: comp. quæ notav. ad Offic. I, 28, 99. Quamquam rectius putaverim, duarum constructionum confusione factum esse, ut Cic. « sed liber... omnino non » scriberet, quum post « non modo imp. » exspectares « sed ne liber quidem ». De qua usitata dic. form. v. Drakenb. ad Liv. XXV, 26. Pro *omnino*, quod in uno Manut. et Ox. E. deest, unus habet *modo;* tredecim transponunt « sed omnino liber hab. n. e. » Gern.

9. *Quorum auctoritate.* Primum argumentum ducit a philosophorum testimonio. Facc. — Sex Oxx. et unus Ald. et cod. Duisb. assentiente Vict. Bentl. in margine addunt *ego.* Paullo post novem Ald. transp. « cur ego me simulem », quod repudiandum est propter interposita verba « si quid, etc. » Deinde Pith. « habenda esset oratio hæc ». Gern.

10. *Dictum est igitur,* etc. Non a Stoicis modo, sed a Socraticis omnibus, ut est apud Platonem et Xenophontem. Facc. — Prolixior illa inde a « quorum auctor. » sermonis deflexio hanc repetitionem excusat. Gern.

11. *Quid est enim libertas.* Unus antiq. cod. Ursini. Ox. N. et septem Manut. addunt *nisi.* Item Th. Bentl.

Potestas vivendi, ut velis[12]. Quis igitur vivit, ut vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata[13] atque provisa est? qui legibus quidem non[14] propter metum paret, sed eas sequitur atque colit[15], quia id salutare maxime[16] esse judicat; qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter ac libere; cujus omnia consilia, resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemque feruntur[17]; nec est ulla res, quæ plus apud[18] eum polleat, quam ipsius voluntas atque judicium; cui quidem etiam (quæ vim habere maximam[19] dicitur)

Sed parum favet alterum *nisi*, quod statim sequitur. In uno Oxon. *enim* deest; in I. *autem* legitur.

12. *Ut velis.* Cum ratione tamen: aliter non voluntas, sed libido est. Itaque infra voluntatem cum judicio conjungit. Est autem hoc secundum argumentum, quod a libertatis definitione ducitur. Facc. — Offic. I, 20, 70, proprium dicit libertatis esse « vivere ut velis ». Comp. fragm. Hortens. edit. Ernest. pag. 1093. Arrian. in dissertat. IV, 1: ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται, ὃν οὔτ᾽ ἀναγκάσαι ἐςὶν, οὔτε κωλύειν, οὔτε βιάσασθαι. Diog. Laert. Zeno, pag. 193 edit. Menag. Dio Chrysost. dissert. XIV: « Voluntatem (autem Stoici) putant in solo esse sapiente, quam sic definiunt: Voluntas est, quæ quid cum ratione desiderat ». Tres Manut. « nisi profecto qui ». Gern. — *Ut velis.* Non ut libido suadet, sed ut ratio dictitat. Nam hac definitione Stoici βούλησιν accipiunt. Vide Tusc. IV, cap. 6. Betul.

13. *Considerata.* Qui non temere vivit, sed illum tenet vitæ cursum, de quo mature deliberavit. Facc.

14. *Qui legibus quidem non.* Sic undecim Manut. et quinque Oxx. cum vett. et recentt. edd. præter Hervag. 1540, qui cum duob. Oxx. Duisb. et Lambin. habet « qui ne legibus quidem »; tres Manut. « qui nec legibus quidem »; unus « qui legibus non ». Gern.

15. *Atque colit.* Unus Manut. « eas et colit », voc. *et* superaddita; novem et Oxx. E. « et colit »; unus « ac colit ». Gern.

16. *Quia id salutare maxime.* Pith. et octo Manut. « id quod salutare maxime »; tres et Ox. η. « quod id salutare maxime »; tres « id quod est maxime salutare ». Gern.

17. *Feruntur.* Facciol. *referuntur.* Verbo compos. favent tres Oxx. et ed. Ascens. Lugd. Anemœc. Reliqui « feruntur ». Gern.

18. *Apud eum.* Quidam libri « eum apud », et sic etiam Varro utitur. Sic « quos inter, memoriam præter » supra notavi: « omnibus ex » Livius: « Tiberim contra, eo coram » Tacit. dixit. C. Lang. — Utraque vocula in O. η. deest. Gern.

19. *Vim habere maximam dicitur.* Conf. Nostrum, Tuscul. V, 9; Offic. II, 6, 19; Plin. II, 7; Hor. Carm. I, 35. Gern.

fortuna ipsa cedit; sicut sapiens poeta[20] dixit: « Suis ea cuique fingitur[21] moribus. » Soli igitur hoc contingit[22] sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. Quod etsi ita esse, pluribus verbis disserendum est: illud tamen et breve[23], et confitendum est, nisi qui ita sit affectus[24], esse liberum neminem.

20. *Sapiens poeta.* Appius fortasse, cujus sententia valde similis affertur a Sallustio in epistola ad C. Cæsarem de ordinanda rep. «Fabrum esse quemque fortunæ». Sed et Plaut. in Trinummo (II, 2, 84, « sapiens ipse fingit fortunam sibi »); et Nepos in Attici vita (cap. 11 extr.), et alii eodem modo loquuntur. Facc. — Pith. « sed ut sapiens poeta dicit ». Gern.

21. *Suis ea cuique fingitur.* Sic Ven. apud Camerar. Hervag. 1540, tres Oxx. duo Manut. (*fingitur* cum quindecim mutato in *fungitur*) Græv. Ernest. Wetz. Octo ejusd. et tres Oxx. cum edd. vett. « suis quisque fung. m. »; duo « suis ea quisque fung. m. »; duo « suis enim quisque fung. m. »; unus « suis quisque ea forte fung. m. » (Ox. I. « suis quisque ea fing. m. »); unus « quis cuique fruitur m. »; unus « suis enim quisque utitur m. »; unus « suis quisque fingitur m. » Mihi suspectum est pronomen *ea*, quod in plurimis libris deest, quo excluso, quum Fortuna intelligi debeat, non miraberis, *cuique* abiisse in *quisque*, et *fingitur* in *fungitur*. Neque probabile est, illum poetam hoc pronomine usum esse. Bentleius hæc omnia « sicut sapiens... moribus » delet, ut a sciolo invecta: quod nemini facile persuaserit. Idem V. D. paullo post cum duob. Ald. rejicit *hoc* post *Soli igitur*.— Comp. Juven. Sat. X, 365: « Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te Nos facimus, Fortuna, Deam, cæloque locamus ». Ibid. XIV, 316. Conf. Tusc. V, 9, 27. Gern.

22. *Hoc contingit.* Pronomen abest a duobus Ald. Seneca ep. 8: « Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas ». Gern.

23. *Et breve, et confitendum.* Alii legunt « brevi conficiendum ». Hæc altera lectio est in Ascens. 1520. Lugd. Col. ut in cod. Memmiano et ed. Lang. cum Oxx. E. et U. « brevi confitendum ». Manutii quatuor libri, in quibus alterum *et* add. edit. Ven. 1487, Hervag. 1540. Lambinus ex aliis suis codd. Vict. Gruter. e Maur. Pal. 3, et duabus edd. vett. Græv. e Pith. « et breve et confit. » Posterius *et* abest a tribus Oxx. quatuor Manut. Unus Ox. et quinque Ald. post *brevi* habent *breve*, omisso utroque *et*. In uno hæc omnia desunt. Neque restitui vult Bentleius, qui pro « Quod etsi ita esse, pluribus » legit: « Quod si ita est, non pluribus ». Cod. Duisb. «Quod si ita esse ».—Sensus est: Pluribus verbis opus est, ut ostendatur, solum sapientem nihil facere invitum et coactum; sed illud tamen homines fateri debent, non esse liberum, qui invitus et coactus operatur.

24. *Ita sit affectus.* Ut nihil faciat invitus et coactus. Et per hæc concludit, solum sapientem esse liberum. Facc.—Recte transponit idem V. D. « liberum esse neminem », quum vulgo legatur « esse liberum neminem ». Sed vide § 33 ext. Gern.

Igitur omnes improbi, servi[25]. Nec hoc tam re est, quam dictu inopinatum atque mirabile. Non enim ita dicunt eos esse servos, ut mancipia, quæ sunt dominorum facta nexu[26], aut aliquo[27] jure civili : sed, si servitus sit[28], sicut est, obedientia fracti animi et abjecti, et arbitrio carentis suo, quis neget, omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos, esse servos[29]?

36 II. An ille mihi liber[1], cui mulier imperat[2]? cui le-

25. *Igitur omnes improbi, servi.* Sequitur pars hujus paradoxi altera, omnes improbos esse servos. Facc. — Hæc vulgata lectio est in quatuor Manut. edd. vett. et Ernest. Eam quoque habet Vict. et probat Bentl. In quinque Oxx. undec. Man. ed. Græv. Oliv. « Servi igitur (duo et U. σ. *ergo*) omnes improbi ». Palat. 2 ad hæc addit *servi*, ut Manutius dicit esse, qui legendum putet : « Igitur omnes improbi servi servine? hoc non tam re est » : vel « servi : servire hoc tam re est »; unus « omnes improbi servi, ne tam re est »; unus « Quis igitur omnes improbos servire, nec hoc tam re ». In hac altera parte minus variant codices. Plerique « nec hoc tam re est »; duo Ald. « hoc non tam re est »; unus « nec tam hoc re est ». Tres Ald. *dictum* pro *dictu*. Gern.

26. *Nexu.* Emptione et jure nexus. Alii leg. *nexus*. Facc.—Grævius hæc adnot. *Nexu*, hoc est, quæ mancipio vendita sunt, id est, quæ sic vendita sunt, ut evictionis periculum in se reciperet et præstaret venditor. Nexus est obligatio. Vide notas ad Epist. ad Div. VII, 30 : « cujus quum proprium te esse scribis mancipio et nexu ». Lambinus e suis et Langii libris censet legendum *nexo*. Sexdecim Manutii libri et Oxx. *nexu*, duo Manut. *ære*, e formula, qua, adhibitis quinque testibus, utebatur is, qui mancipium accipiebat æs tenens : Ego hunc hominem ex jure Quiritum meum esse aio, isque mihi emptus est hujus ære æneaque libra. Vid. Sylvius ad hunc locum. Gern.

27. *Aut aliquo.* Libenter legerim « aut alio ». Nam etiam nexus est inter civilia jura. Facc. — *Alio*, quo non opus est, quum *aliquo* sit *alio quo*, legitur in Ox. U. Nam, ut Sylvius monet, etiam servus erat aut verna, aut donatus, aut testamento relictus, aut ex hoste captus. Gern.

28. *Si servitus sit.* Argumenti vis ducitur a definitione et interpretatione hujus vocis. Facc. — *Si* deest in duobus Oxx. Pro « sit, sicut est », unus Manut. « est, sicut est »; tres « sit est, ut »; unus præmittit « eis »; unus « sit, est »; unus « sit qua »; unus « est sint »; unus « est ut »; unus « sit ab ». Gern.

29. *Improbos, esse servos.* Guilielm. e cod. Mauric. « improbos et servos esse ». Gern.

II. 1. *Liber.* Sex Oxx. et edit. Ven. Ascens. addunt *videtur*, Lugd. 1557, *videatur*. Gern.

2. *Cui mulier imperat.* Betuleius

ges imponit, præscribit, jubet, vetat, quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet[3]? Poscit? dandum est : vocat[4]? veniendum : ejicit? abeundum : minatur? extimescendum. Ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto. Atque ut in magna familia[5] sunt alii lautiores (ut sibi videntur) servi[6], sed tamen servi, atrienses ac topiarii[7] : pari stultitia[8] sunt, quos signa, quos ta-

Fulviam intelligit, quæ quum Clodio nupta fuisset, Antonium ita finxit, ut Cleopatræ jugum facilius ferre posset. GERN.

3. *Nihil recusare audet.* Sic decem libri Manut. ed. Venet. et Hervag. Græv. Ernest. et quinque Oxx. nam duo cum edit. Lugd. et edit. Aldi nep. omittunt « recusare »; octo Manut. et Ascens. « nihil negare audet ». GERN.

4. *Poscit... vocat.* Unus Ald. « si poscit... si vocat »; et edd. Ven. Asc. Lugd. quater repetunt *si*, quæ particula recte abest a reliquis libris. Quamquam non probatur signum interrog. quo præter Facciolatum omnes editores distinguunt has conditiones : « Poscit?... vocat? etc. » GERN.

5. *In magna familia.* Omnes Ald. præter unum, Oxx. edd. vett. Victor. Grut. *stultorum* (un. Ald. *servorum*) addunt, alii post *magna* (pro quo unus Ald. *maxime*, unus nihil habet), alii post *familia*. Deleverunt hanc vocem Gifanius, Ald. Manut. Lang. Græv. Facciol. Ernest. qui abesse vid. ab ed. Col. et adnotavit : « Si verbum hoc, inquit, ex alio natum est errore scribarum, putem fuisse *servorum* (ut unus Manut.) et post abfuisse *servi* ». GERN.

6. *Sunt alii lautiores... servi.* Cf. ad Attic. XIII, 52 : « libertis minus lautis, servisque nihil defuit : nam lautiores eleganter accepti ». GERN. — MS I. *laudatiores*, ψ. *laudatores.*

7. *Atrienses ac topiarii.* Atrienses servi imagines gentilitias, statuas, picturas in atrio positas curabant, aut (ut Gronov. adnot. ad Plaut. Asin. II, 1, 16), « observabant atrium, ubi cœnabant veteres : et supellectilem ædium aut villæ exponebant, et, ut omnia munda et integra præstarentur, curabant ». Confer Pseudol. II, 2, 14, ex quo apparet, atriensium primum in familia locum fuisse, et Serv. ad Virg. Æn. I, 726. Cum atriensibus topiarios junctos vide apud Plin. Ep. III, 19. GERN. — *Topiarii.* Topiarii inter prædiorum rusticorum servos censentur, qui arbusculas, virgultaque ductilia, i. e. facili flexu in varias formas et figuras solerti ingenio exprimunt et concinnant. Hinc *topiarium* opus, et ars ipsa *topiaria* dicitur. Cf. Cic. ad Q. Fr. III, 1. T. POPMA.

8. *Pari stultitia sunt.* Illi quos signa, etc. pari laborant stultitia, ac servi topiarii et atrienses, qui se putant lautiores. Ceterum tota hæc periodus variis lectionibus turbatur. FACC. — Quum in Victoriana et Gruteriana legeretur sine sententia « atrienses ac topiarii stultitiæ suæ, quos », nec melius in optima Langii « æque ut

bulæ, quos cælatum argentum, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica nimio opere delectant. At sumus, inquiunt[9], civitatis principes. Vos vero ne con-
37 servorum quidem[10] vestrorum principes estis. Sed ut in familia, qui tractant ista, qui tergunt, qui ungunt[11],

in magna familia, sunt aliis alii lautiores, ut sibi vid. servi: sed tamen servi. Atrienses ac tu pari stultitia sunt», utraque tamen vestigia veræ lectionis retineret; Grævius rescripsit quod cum Ernestio edidi. Cum Victoriana pæne conspirant fere omnes Oxx. cum Langiana octo Aldini et pleræque edit. vett. Duo Aldi Manut. « atrienses sunt, ac copiarum stultitiæ suæ »; reliqui octo in totidem lectiones abeunt, habentque pro « ac topiarii pari stultitia sua » unus « atque pari stultitiæ suæ »; unus « actu pari st. s. illic »; unus « atque pari stultitia sua »; unus « actu stultitiæ pari suæ »; unus « ac actu sui stultitiæ suæ »; unus « occupari stultitiæ s. » unus cum MS E. et η. « ac pari actu copiarum stultitiæ s. » un. « actu pari stultitiæ s. » Ed. Gryph. « æque ac tu pari stultitia sunt ». MS « sic ii pari stult. » MS Duisb. « aucuparii stultitiæ sua ». Equidem e veteri Oberti Gifanii libro legendum puto « sed tamen servi: pari stultitia sunt, etc. » exclusis verbis « atrienses ac topiarii », quod verborum « alii lautiores » interpretamentum e margine inepto loco irrepsit. Nec audiendus est Withofius, qui l. l. pag. 135, conjecit « viliores alii (pro *atrienses actui*) sic paris stultitiæ s. » quod Gifanio placuerat, quum liber MS haberet « pari stultitia s. » Ceterum, Ernesti inquit, *stultitia* hic mihi non placet. Nam non est sermo de stultitia, sed de servitute. Si tamen est a Cicerone, intelligendi servi sunt pares stultitia iis, quos ante dixit lautiores sibi videri, servis. — Bentleius hanc dicit esse loci sententiam: « atrienses ac topiarii (servorum omnium summi et honestissimi), si lubet, sint illi quos signa... tam sunt servi tamen, quam qui tergunt, ung. etc. » Equidem nunc verba, quæ uncis inclusi, « atrienses ac topiarii » intelligo *etiamsi appellantur* atrienses *servi vel* topiarii *servi*. Gern.

9. *At sumus, inquiunt*, etc. Sic septem Ald. et unus Ox. Græv. Facc. Ernest. In tribus Oxx. sex Ald. est « Ex (quatuor *At*) summis, inquiunt, principibus civitatis nati sumus »; item duo Ald. ed. Ascens. et Lugd. omisso *nati*, « E summis inq. civitatibus principes sumus »; duo « E. s. i. principibus civitatis s. » unus « E s. i. principum civ. s. » Edd. Ven. Hervag. Gruter. cum cod. Duisb. « Et sumus, inquiunt, principes civitatis ». Gern.

10. *Ne conservorum quidem*. Quatuor Ald. *Nec*; unus *Nec*, et *eorum* pro *vestrorum*; unus « Nec cons. principes »; duo « ne servorum quidem »; al. apud Grævium *nostrorum*. Gern.

11. *Qui tergunt, qui ungunt*. Tres Ald. et Lamb. *tergent*, quæ forma plerisque poetis placuit. Varro L. L. c. 8: « ubi manus terguntur ». Ovid. Her. XXI, vs. 116. Neque in hac officiorum similitudine syllaba quater repetita quidquam habet offensionis. Sylvius intelligit signa, ut magis niteant, et ne rubigo aut ærugo incom-

qui verrunt, qui spargunt [12], non honestissimum locum servitutis tenent: sic in civitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt [13], ipsius servitutis [14] locum pæne infimum obtinent [15]. Magna, inquis, bella

modum afferat, quod, ut Grævius addit, « in primis faciebant solemnibus et festis diebus; quamvis possis etiam intelligere de servis, quorum opera utebantur in balneis. *Aliptæ* sane sive unctores sunt notissimi. Nec dubito fuisse servos quoque, qui dominos tergerent, sicut erant, qui tonderent. Zeno de invitatione ad fontem serm. II: « Jam balneator præcinctus exspectat, quod unctui, quod tersui opus est præbiturus ». Hinc lintea ap. Juvenalem, Sat. III, 263, quibus tergebantur a servis, et Plaut. Curc. IV, 4 ». Mireris tamen, quod Cic. non accuratius balnei officia significarit, præsertim quum, si minus *ungere*, at *tergere* pariter ac *verrere* et *spargere* ad domum et supellectilem purgandam pertineat. Apud Juvenalem, IV, 60: « Verre pavimentum: nitidas ostende columnas, Arida cum tota descendat aranea tela. Hic lavet argentum; vasa aspera tergeat alter ». Accedit, quod honestiores servi videntur fuisse, qui domini corpus purgarent et ornarent, quam scoparii, qui domum et vasa. Quamquam *ungere* vix nisi de humano corpore, vel de sacris, vel de cibis reperias. In cod. Ox. N. « qui ungunt », ut in π. « qui verrunt », deest; ψ. « qui jungunt ». Gern.

12. *Spargunt*. Servi, quorum munus est in magno æstu viridariorum vias conspergere. Facc. — Ut ille apud Phæd. II, 6, 14: « Perambulante læta Domino viridia, Alveolo cœpit ligneo conspergere Humum æstuantem ». Apud Sueton. Cal. 43, imperator a propinquarum urbium plebe exigit, « verri sibi vias et conspergi propter pulverem ». Gern.

13. *Dediderunt*. Al. *dederunt*. Facc. — Sex Manut. tres Oxx. edd. vett. Græv. Ern. *dediderunt*; vide notata ad Cat. Maj. cap. 13, 45; unus Manut. « dedidev. »; unus « dediderunt », sup. add. « Dii »; quatuor Man. tres Oxx. Pith. « dederunt »; unus Manut. « dederint »; duo « crediderunt »; ψ. « tradiderunt »; unus Manut. « dedicarunt »; unus « deterunt »; unus « declinet ». Gern.

14. *Servitutis*. Facc. scribit *civitatis*, quod defendit, quia Cic. h. l. monstrat eos non esse civitatis principes. Grævius veram lectionem *servitutis* restituit e multis Suffridi codd. tribus Manut. Pith. quibuscum Ernestius conspirare vidit MS Duisb. ed. Colon. Ven. Mediol. Vict. quibus addendi quinque Oxx. ed. Ven. 1487, et Hervag. nec minus totius hujus loci ratio, in primis verba præcedd. « vos vero ne conservorum quidem vest. pr. » et seqq. « utrum illum civem excell. an atriensem dilig. put. » denique « nonne hunc hominem ita servum judicet, etc. » Gern. — Bentl. ad *ipsius* vocem *civitatis* intelligit, non scribit; Schütz. retinuit *servitutis*.

15. *Obtinent*. Manutii libri et quinque Oxx. Ascens. Hervag. Lugd. *tenent*. Sed Grævius, Facciol. Ernest. cum ed. Ven. recte tuentur *obtinent*. Paullo post unus Ox. « Sed magna »; duo Ald. « inquit »; unus « inquid ». Gern. — Etiam cod. Duisb. habet *inquit*, quod eodem jure, quo supra Parad. § 20 et 23, putarem pro *inquis*

gessi; magnis imperiis, et provinciis præfui. Gere igitur animum laude dignum. Echionis[16] tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti[17]. Mitto[18], unde sustuleris, et quomodo habeas[19]. Intuentem te, admirantem, clamores tollentem quum video, servum
38 te[20] esse ineptiarum omnium judico. Nonne igitur sunt ista[21] festiva? Sint; nam nos quoque oculos eruditos habemus. Sed, obsecro te, ita venusta habeantur ista, non ut vincula virorum[22] sint; sed ut oblectamenta

restituendum, nisi codicum paucitate deterrerer. Idem statuit Bentleius ad § 23.

16. *Echionis.* Pictoris, de quo Cic. in Bruto, cap. 18, et Plin. XXXV, 10. Alii aliter leg. sed perperam. Facc. — Aldini codices præter septem, in quibus est « actoris », quatuor hab. « actionis »; un. « actiois », et *actionis* in marg. duo « asthois »; un. « æthionis »; un. « ethionis »; un. « achionis ». Unus Ox. ed. Ascens. 1520, in margine, Lugd. Lambin. Græv. Ern. « Echionis ». Gern.

17. *Polycleti.* Sicyonii. Vide Plin. XXXIV, 3: « Hic consummasse hanc scientiam judicatur, ut Phidias aperuisse »; et Quint. XII, 10, 7: « Diligentia ac decor in Polycleto supra ceteros, cui quamquam a plerisque tribuitur palma (vid. Cic. Brut. cap. 18, 70; Orat. III, 7, 26. Strabo, VII: τὰ Πολυκλείτου ξόανα τῇ μὲν τέχνῃ κάλλιστα τῶν πάντων), tamen, ne nihil detrahatur, deesse pondus putant ». Vid. Luigi Lanzi *über die Sculptur der Alten. Aus dem Ital. mit Anmerkungen und. Zug. des Uebers.* Leipz. 1816, p. 41. Gern.

18. *Mitto.* Sic ex ed. Colon. Ernest. pro vulg. *omitto.* Assentitur ed. Herv. In Ven. 1487 est *Miror.*—Observasse mihi videor, initio periodorum *Mitto* longe frequentius esse, quam *omitto*, quod non raro tamquam interpretamentum in verbi simplicis locum irrepsit.—Hæc verba usque ad *habeas* desunt in N. et ψ. Gern.

19. *Quomodo habeas.* Vulgo præponunt *et*, quod ad brevitatem aptius abest ab Oxx. E. I. et edit. Hervag. Vict. et Th. Bentl. Similiter in uno Ox. *et* male legitur ante *clamores.* Gern.

20. *Servum te. Te* omittit Th. Bentl. cum cod. Duisb.

21. *Nonne igitur sunt ista.* Leg. puto, aut « Non igitur, etc. » aut « Nonne inquit » vel « inquis » (neutrum Wetzelius censet esse necessarium); mox ex edd. pr. dedi *Sint* pro vulg. *Sunt.* Ern. — Conjunctivum Wetzelius recepit. Equidem *Sunt* e MSS omnibus, edd. Anemœc. Lugd. Græv. Facciol. restitui propter sequentium verborum sensum, quasi dixerit « sunt venusta, sed ita, etc. » Gern. — Cod. Duisb. ed. Victor. et Bentl. « sunt illa festiva? »

22. *Vincula virorum.* Quæ viros in servitutem redigunt. Facc. — Salmas. ad Solin. pro *vincula* conjecit *secula.* Ita servitutis notio male tollitur.

puerorum. Quid enim censes? si L. Mummius[23] aliquem istorum videret, matellionem[24] Corinthium cupidissime tractantem, quum ipse totam Corinthum contempsisset : utrum illum civem excellentem, an atriensem[25] diligentem putaret? Reviviscat M'. Curius[26], aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit, præter ipsos; et videat aliquem, summis populi beneficiis usum, barbatulos mullos[27] exceptantem[28] de piscina, et pertra-

23. *Mummius*. Qui Achaicus dictus est, nihil ipse sibi sumpsit. Facc. — Vell. Pat. I, 13, 4, « Mummius tam rudis (Strab. VIII, pag. 584, μεγαλόφρων γὰρ ὢν μᾶλλον ἢ φιλότεχνος ὁ Μόμμιος) fuit, ut, capta Corintho (Ol. CLVI, 3, anno U. 607), quum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas esse reddituros ». Flor. II, 16; Plin. XXXIV, 2 et 8; XXXV, 12. Gern.

24. *Matellionem*. A matula, vase ad urinam excipiendam, teste Sexto Pompeio grammatico, et Varr. Ling. Lat. I. Gern.

25. *Atriensem*. In vulgatis additur *servum*, sed non est necesse. Facc. — Addunt edd. vett. sed Ox. I. *servum talia;* E. et U. *atr. diligentem servum*. In ψ. *servum dilig.* deest. Gern.

26. *M'. Curius*. Vid. not. ad Cat. M. 16, 55. Gern. — Hic fere deprehendes primam hujus præclaræ prosopopeiæ originem, qua *J. J. Rousseau* Fabricii umbram inducit contra degeneres Romanos indignantem. Dixit quoque Plinius XXXIII, 12 : « Videret hæc Fabricius, etc. » J. V. L.

27. *Mullos*. Al. *mullulos*. Notat piscinas Luculli et Hortensii, de quibus Cicero in lib. II ad Attic. Ep. 1. Facc. — Adde ad Att. I, ep. 19 et 20 (non 16, 17, ut ex Ernesti clav. temere scripsit Wetzel) « beatos homines (hos piscinarios dico amicos tuos) non obscure nobis invidere ». Varro R. R. III, 17; Macrob. Sat. II, 11 (non III, 15, qui error ex ed. Græv. translatus est in Wetz.); Plin. IX, 80, t. IV, pag. 192 nost. edit. De *mullo* (Germ. *Rothbart*, *Schmeerbutte*, Gallis *surmulet*) cf. Plin. IX, 30 : « Ex reliqua nobilitate, et gratia maxima est et copia mullis, sicut magnitudo modica: binasque libras ponderis raro admodum exsuperant, nec in vivariis piscinisque crescunt ». Ib. p. 84, c. 31 : « Mullum LXXX librarum in mari rubro captum Licinius Mutianus tradidit. Quanti mercatura eum luxuria, suburbanis litoribus inventum ». Wieland. ad Horat. Serm. II, 2, 33, n. 9.—In margine cod. Duisb. ad *mullos* legitur scriptum : « piscis mollis et tenerrimus excitans libidinem comedentibus ».

28. *Exceptantem*. Al. ut Duisb. *excitantem*. Vocabantur enim et ad manum accedebant. Facc. — Hanc alteram lect. Gruterus in Palat. 2 deprehendit. Unus Ald. et Ox., E. *expectantem;* un. *escactantem;* un. *receptantem;* quindecim cum reliqq. librr. scr. et ed. (si excip. quod Ald. alios legere ait *captantem*) hab. *ex-*

ctantem, et murænarum[29] copia gloriantem : nonne hunc hominem ita servum judicet, ut ne in familia
39 quidem dignum majore aliquo negotio putet? An eorum servitus dubia est, qui cupiditate peculii[30] nullam conditionem recusant durissimæ servitutis? Hereditatis spes[31] quid iniquitatis in serviendo non suscipit? quem nutum locupletis orbi senis non observat? Loquitur ad voluntatem[32]; quidquid denuntiatum sit, facit; assectatur[33], assidet, muneratur[34]. Quid horum est liberi? quid denique non servi inertis[35]?

III. Quid? jam illa[1] cupiditas (quæ videtur esse

ceptantem. Gern. — Cf. Att. II, 1, ubi etiam Cic. Hortensium et Lucullum respicit, « nostri autem principes digito se cælum putent attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant ». Et I, 18, « et ita sunt stulti, ut amissa republica piscinas suas fore salvas sperare videantur ».

29. *Murænarum*. Vid. Plin. IX, 23, et XXXII, 2. Gern.

30. *Cupiditate peculii*. Facultatum augendarum desiderio. Utitur autem nomine *peculii*, quia ita vocabantur bona servorum. Porro avaros ostendit esse servos. Facc.

31. *Hereditatis spes*. Illustre hujus gen. exemplum præbet Hor. Serm. II, 5, 64. Gern. — Bentl. conjecit *hereditatis spe quid*, etc. at nemini facile persuaserit.

32. *Ad voluntatem*. Sex libri Ald. duo Oxx. et quidam libri Lamb. *ad voluptatem*; duo Ald. *ad voluptates*; un. *ad voluntates*. In uno Ald. *denuntiatum*, quod reliqui tenent, sup. *nuntiatum* scriptum est. Gern.

33. *Assectatur*. Quinque Oxx. quid. MSS in Græv. V. L. edd. vett. Venet. Ascens. Lugd. Anemœc. *assentatur*, quod parum differt a *loquitur ad vol.* Tῷ *assidet* convenientius est *assect.* G.

34. *Muneratur*. Al. *miratur*, al. *munera dat*. Facc. — *Muneratur* Corrad. in Quæst. p. 330; Victor. Grut. Græv. Ern. quibus favent duo Oxx. quatuor *numeratur* (unus *essidet numeratur*); duo *muatur assidet*; edd. vett. *miratur*. Ego non dubito, quin vera lectio sit *munerat*, quæ C. Langio probata, in quatuor Oxx. deprehenditur, cui simillimum est *numerat* in Pith. Ox. E. et octo Manutii libris, et *muat*, *nuat*, *narrat* in tribus apud eumd. Pro activo verbo *munerare* (v. pro Dejot. c. 6, 17), eo quidem rariore non mirum est deponentis formam irrepsisse. *Munera dat* est conjectura viri d. in codice Memm. in marg. scripta. Gern.

35. *Denique non servi inertis*. Tres Manut. « den. nisi servi inertis »; ed. Ven. et Anem. « den. nisi servi non inert. » duodecim Ald. et ed. Hervag. « den. servi non inert. » duo Ald. « den. servi non meritis »; Græv. ed. « non denique servi inertis ». Gern. — Bentl. mavult : « quid horum est liberi? immo vero servi modo non inertis. Quid? illa cupiditas, etc. » deleto *jam*.

III. 1. *Quid? jam illa*, etc. Transit

liberalior[2]) honoris, imperii, provinciarum, quam dura est domina! quam imperiosa! quam vehemens! Cethego[3], homini non probatissimo, servire[4] coegit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur; munera mittere, noctu venire domum ad eum[5], precari, denique supplicare. Quæ servitus est, si hæc libertas existimari potest? Quid? quum cupiditatum[6] dominatus excessit, et alius est dominus exortus ex conscientia peccatorum, timor; quam est illa[7] misera, quam dura servitus! Adolescentibus[8] paullo loquacioribus est serviendum; omnes, qui aliquid scire videntur, tamquam domini, timentur. Judex vero[9] quantum

ad ambitiosos. Facc. — Quatuor Oxx. « Quid dicam? jam illa ». A quinque libris Manut. abest *illa*. Gern.

2. *Liberalior.* Duo Man. *liberalior;* un. *liberorum;* quatuor et tres Oxx. cum ed. Hervag. Anemœc. Græv. Facciol. Ern. *liberalior.* Reliqui Oxx. Manut. et edd. vett. *liberior. Liberale* autem, non *liberum*, dicitur quidquid libero homine dignum est. — Mox *improvisa* pro *imperiosa* Græv. vidit in edd. vett. Gern.

3. *Cethego.* Servire Cethego et ejus scorto (Preciæ) Lucullus coactus est, ut provinciam obtineret. Vide Luculli vitam in Plut. cap. 6. Facc. — Hic agitur de eo P. Cethego quem etiam memorat Cic. Brut. c. 48, pro Cluent. c. 31. Prætor fuit ann. 679.

4. *Servire.* Duo Ald. et edd. vett. addunt *res*. Intelligenda potius bonorum cupiditas. Gern.

5. *Venire d. ad eum.* In uno Aldi cod. vox *domum* addita est, quum prius non esset, deletque Bentleius. Equidem nolim abesse: servitutis enim offensio, nescio quomodo, hac addita voce augetur. Gern.

6. *Quum cupiditatum.* Sic unus Manut. duo Oxx. edd. vett. et recentt. Octo Man. et tres Oxx. « quum cupiditatis »; E. et Ald. septem « quum cupiditas »; un. « quum cupiditates »; un. « dicam quum cupiditas ». Verbum *excessit* Ernesti interpr. abiit, desiit. Bentl. « Quid? quum cupiditas dominatu excessit ». Cod. Duisb. « cupiditatis dominatus ». Gern.

7. *Illa misera.* In uno Manut. « illa miseria »; in un. « ista miseria »; in uno deest *illa*. Pro « quam dura serv. » Pithœus habet « quam dira serv. » G.

8. *Adolescentibus.* Qui ex magnorum reorum accusationibus laudem quærebant. Facc. — Adde quæ adnotavit Ernestius: « qui sibi eloquentes videntur, etsi non tam eloquentes, quam loquaces sunt, adeoque quærunt occasionem accusandi, ut famam eloquentiæ consequantur. His igitur, qui facinoris alicujus sibi conscii sunt, serviunt, eorum benivolentiam quovis modo captant, ne ab iis accusentur ». Juvenal. III, 53: « Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult, Accusare potest ». Gern.

9. *Judex vero.* Al. « Index vero ». Sed sive *Judex*, sive *Index* metum

habet dominatum? quo timore nocentes afficit? An non
41 est omnis metus, servitus? Quid valet igitur illa eloquentissimi viri, L. Crassi, copiosa magis, quam sapiens oratio[10]? « Eripite nos ex servitute. » Quæ est ista servitus, tam claro homini, tamque nobili? Omnis animi[11] debilitati[12], et humilis, et fracti timiditas, servitus est. « Nolite sinere nos cuiquam servire. » In libertatem vindicari vult? Minime : quid enim adjungit[13]? « Nisi vobis universis. » Dominum mutare[14], non liber esse vult. « Quibus et possumus[15], et debemus. » Nos vero, si quidem animo excelso, et alto, et virtutibus exaggerato sumus, nec debemus, nec possumus. Tu[16] posse te dicito, quoniam quidem[17] potes : debere

nocentibus incutit. Facc. — Lambinus mavult *Index*, quod est in Ox. N. — Palat. 3 : « qui tum habet dominatum ». Gern.

10. *Oratio*. Qua Crassus suasit legem Serviliam, egitque senatus causam, sed nimis assentando, ut apparet ex ejus verbis, quibus professus est, se populi romani servum esse. Facc. — Vid. ad Her. IV, 3; Brut. 43, 161; in primis de Orat. I, 52, 225; ubi Crasso exprobrantur hæc : « Eripite nos ex miseriis, eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri : nolite sinere nos cuiquam servire, etc. » Gern.

11. *Omnis animi*. Duo Manut. et edd. vett. « Omnis enim animi ». Gern.

12. *Debilitati*. Omnes Ald. et quinque Oxx. *debilitas*. Edd. vett. Lang. et cod. Memm. « debilitata et hum. et fracta ». Duo Oxx. MS. Græv. ed. Lugd. Anemœc. Græv. Facciol. Ern. « debilitati. . . fracti ». Cod. Duisb. « Omnis animi debilitas et humilis, et fracta timiditas ». Gern.

13. *Quid enim adjungit? « Nisi vobis universis ». Dominum mutare*, etc. Bentl. sic scribit et distinguit : *qui enim adjungit : « nisi vobis universis », dominum mutare*. Gern.

14. *Mutare*. Al. *mutitare*. Facc. — Langius e libro Centron. retinuit *mutitare*, quod frequentativi verbi significatio inconstantiam augeat. Vid. Gell. II, 24, qui *mutitarent* interpretatur mutua inter se dominia agitarent. Idem de hoc loco videre jubet proœmium lib. III de Orat. Gern.

15. *Et possumus, et debemus*. Sic decem Manut. quorum a sex abest prius *et*. Octo transponunt « et debemus et possumus ». Hoc totum, inquit Manut. sic legit quidam : « Minime : quin enim adjungit? Nisi vobis universis quibus et possumus et debemus. Dominum mutare, non liber esse vult ». Ed. Venet. et Ascens. « et poss. et servire debemus ». Gern.

16. *Tu*. Crasse. Facc.

17. *Quoniam quidem*. Facc. scrib. *quandoquidem*. Sequutus V. D. est edd. vett. Certe in Ascens. Hervag. Lugd. Anemœc. est « quando quidem

ne dixeris; quoniam nihil quisquam debet, nisi quod est turpe non reddere. Sed hæc hactenus. Ille videat, quomodo imperator[18] esse possit; quum eum ne liberum quidem esse ratio, et veritas ipsa convincat.

PARADOXON VI.

Οτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.
Solum sapientem esse divitem[1].

I. Quæ est ista[2] in commemoranda pecunia tua 42
tam insolens ostentatio? Solusne tu dives[3]? Proh dii immortales! egone me audivisse aliquid, et didicisse, non gaudeam? Solusne dives? quid, si ne dives quidem? quid, si pauper etiam? Quem enim[4] intelligimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo[5], cui tanta possessio est, ut ad libera-

potes » Sed decemsept. Manut. ed. Venet. 1487; Græv. Ern. « quoniam quidem »; un. Man. « Qz. quidem ». Mihi *quandoquidem*, quod sæpe vides a scribis confusum cum *quoniam*, ut Legg. III, 1, 1, et Fin. V, 23, 67, præferendum videtur. Contra in seqq. post *ne dixeris* aptius est *quoniam* ad officii necessitatem, ut *quandoquidem* ad facultatis opportunitatem. — Cod. Duisburg. « Tu si possis, edicito, quoniam potes ». Mox idem recte transponit « nisi quod turpe est, non reddere ». Gern.

18. *Imperator.* Concludit per id, quo cœperat. Facc.

Parad. VI. 1. *Solum sapientem esse divitem.* In Oxx. I. σ. ψ. hæc, ut græca verba, desunt. In quatuor Oxx. ut in edd. vett. « Quod solus sapiens dives sit ». Gern.

2. *Quæ est ista*, etc. Eos reprehendit, qui in divitiis suis nimium sibi placent; in primis M. Crassum, ex cujus Vita apud Plutarchum magna huic exercitationi lux accedit. Facc. — De M. Crassi divitiis vide Plin. XXXIII, 10; Plutarch. vita Cic. c. 25, et Cic. de Fin. III, 22, 75: « Rectius (sapiens appellabitur) dives, quam Crassus, qui, nisi eguisset, numquam Euphratem nulla belli causa transire voluisset ». Hunc spectari, Ernestius monet e definitione infra § 45, allata intelligi. Quamquam jam § 45, loquitur de ordine, cui quidem ille adscriptus est. Gern.

3. *Solusne tu dives? Proh dii.* Gern. omittit *tu*, quod habent duo Oxx. unus Ox. « solusne es dives »; unus *est*. Præterea Gern. scribit *pro* non *proh*. Alii *tu dives? quid? pro*.

4. *Quem enim*, etc. A definitione divitis probat, Crassum non esse divitem. Facc.

5. *In eo, cui.* MS apud Græv. et

liter vivendum facile contentus sit, qui nihil[6] quærat, 43 nihil appetat[7], nihil optet amplius. Animus oportet tuus te judicet[8] divitem, non hominum sermo, neque possessiones tuæ; nihil sibi deesse putet[9], nihil curet amplius. Satiatus est[10], aut contentus[11] etiam pecunia? concedo, dives es. Sin autem propter aviditatem pecuniæ nullum quæstum turpem[12] putas, quum isti ordini[13] ne honestus quidem possit esse ullus; si quo-

duo Oxx. *in eo*, *in quo*. E. pro *est* hab. *inest*. Mox Lamb. dedit *ut ea ad:* quo pronomine hic non. magis opus est quam Brut. c. 35, 134: « Quum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quæreres ». Bentl. conjicit « facile ea contentus sit ». Gern.

6. *Qui nihil quærat.* Sylvius laud. Valer. M. IV, 4, 1: « Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit: eo quidem certius, quam qui cuncta possidet, quia dominium rerum collabi solet, bonæ mentis usurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum ». Wetzel. addit Hor. Carm. III, 16, 47, et epist. I, 2, 46. Gern.

7. *Nihil appetat, nihil.* Utrumque *nihil* omittit MS in V. L. Græv. Gern.

8. *Te judicet.* Al. *se judicet:* quod sane aptius esset, nisi sequeretur, *hominum sermo*, et *possessiones tuæ*. Facc. — Quatuor Oxx. Pith. et alius, cujus excerpta penes Grævium fuerunt, *te judicet*. « Paullo post quidem dicit, *animus hominis dives, non arca appellari solet:* sed hoc est: is homo dives dicitur, cujus animus eum judicat divitem esse, contentum iis, quæ possidet ». Sic Grævius; Ernestius tamen retinuit *se judicet* ex edd. vett. Alii, ut Verburgius monet, « Animus enim oportet ». Gern.

9. *Nihil sibi deesse putet*, etc. Sic MSS Pall. et Guilielmii cum tribus Ald. Græv. Facciol. In tribus Oxx. quinque Ald. et ed. Anemœc. 1563, præponitur *qui;* duo « qui nihil s. d. putat, nihil curet »; duo et cod. Duisb. « et qui... putat... n. amplius curat »; duo « qui si sibi nihil d. putat... curat »; tres « nihil... putat... et nihil curat »; ed. Ven. 1487: « et nihil... putat... curat »; Ascens. 1520: « qui sibi nihil d. putat... curat ». Prius editi apud Gruter. et Lugd. 1556: « qui si tibi n. d. putas, n. curas ». Vict. « nihil sibi d. putat, n. curat ». G.

10. *Satiatus est.* Facc. Bentl. *satiatus es*. Al. *saturatus*. Secunda pers. est in duob. Oxx. edd. apud Græv. et in Lugd. Græv. Ern. Wetz. retinent *est*. In Ox. I. *est* deest; unus Ald. *Saturatus est;* un. *senatus nihil est;* cod. Duisb. *satiatus, at etiam contentus*. Gern. — Si servaveris *est*, supplendus est *animus*.

11. *Contentus.* Alii addunt *etiam*. Facc. — Abest *etiam* a quatuor Ald. unus ejusd. transp. « etiam content. »; duo « contentus est pec. » un. « contentus in pec. » et sup. *contemptus*. Al. « contentus etiam sine pec. » Ante *concedo* intelligitur: « Si est contentus pec. » Th. Bentl. delet *etiam*. Gern.

12. *Quæstum turpem.* Unus Manut. *qu. turpe;* un. *turpem qu*. Ox. η. *qu. t. putes*. Gern.

13. *Isti ordini.* Quatuor Ald. *isto ordine;* unus Ox. *isto ordine nec;* Ox.

tidie fraudas[14], decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis; si socios spolias, ærarium expilas[15]; si testamenta amicorum exspectas[16], aut ne exspectas quidem, atque ipse supponis[17]; hæc utrum abundantis,
an egentis signa sunt? Animus hominis dives, non 44
arca appellari solet. Quamvis illa sit plena, dum te inanem videbo[18], divitem non putabo. Etenim ex eo,

E. *in isto ordine*. Ordini senatorio, ex quo Crassus erat, nullus quæstus honestus. Facc. — Nullus nisi ex re rustica. Sylvius conferre jubet Liv. XXI, 63 : « Q. Claudius tribunus pl. adversus senatum, uno Patrum adjuvante C. Flaminio, tulerat, ne quis senator, quive senatoris pater fuisset, maritimam navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex agris vectandos : quæstus omnis Patribus indecorus visus ». Gern.

14. *Fraudas*. Al. præter Manut. codd. *fraudas, concutis, dec.* ed. Ven. 1487 : « fraudas, quem decipis possis » pro « poscis ». Gern.

15. *Ær. expilas*. Cod. Duisb. *si ær. exp.* quod equidem restituendum puto. M. Crassum suo et Pompeii consulatu tertio (secundo, ann. U. 698, ut scripsit Wetzel ad Fast. Capit. rectius) rapuisse duo millia pondo auri e Capitolino Jovis solio, a Camillo ibi condita, Plinius auctor est cap. 1, lib. XXXIII, ut ne ærario quidem abstinuisse credas, qui tali sacrilegio se obstrinxerit. Sylvius.

16. *Exspectas*. In verbo hoc latet odiosum desiderium; ut quum dicimus « exspectare mortem alicujus ». Facc. — Ut Terent. Hecyr. IV, 2, 19 : « Hæc mihi est cura maxima, ut ne cui meæ Longinquitas ætatis obstet, mortemve exspectet meam ». Hoc loco, ut Quintil. IX, 3, 68, et Ovid. Met. I, 148, Grævius interpretatur eo sensu, quo Facciolatus dixit, verbum *exspectas*, pro quo C. Langius conjecit *expectis*, id est, astu quodam extorques. Ed. Ven. 1487, bis *expetis*. Verba « aut ne exspectas » non habentur in quatuor Oxx. ed. Ascens. 1520, et uno MS in V. L. Græv. propter verbi repetitionem; nam particula *quidem* in nullo libro deest. Gern. — Terent. Adelph. V, 4 : « Illum ut vivat, optant; meam autem mortem exspectant », optant ut moriar. Proculeii dictum sic extulit Quintil. lib. IX, cap. 4 : « Quum Proculeius quereretur de filio, quod is mortem suam exspectaret, et ille dixisset se vere non exspectare : immo, inquit, rogo exspectes ». Græv.

17. *Atque ipse supponis*. Facc. *at ipse s. Atque* legitur in quinque Oxx. (quorum duo alter *ipsa*, alter *ista*), et in edd. vett. retinuitque Grævius. « Recte, ait Ernestius : si *sed* esset, ferrem ». *Atque* est *et adeo*, ut Tusc. V, 15, 45 : « si fuerit is, qui hæc habet, injustus...... hebeti ingenio, atque nullo », jungitque verba seqq. non cum proximis *aut ne exsp. q.* sed cum *si... exspectas*. Idcirco tamen interposita illa nolim excludi. Habent enim aliquid excusationis in sermone familiari. Gern. — *Supponis*. Int. subjicis falsa pro veris.

18. *Videbo*. In quatuor Manut. libris est *video*. Deinde duo ejusd. et ed. Lugd. *sat est*. Gern.

quantum cuique[19] satis est, metiuntur homines divitiarum modum. Filiam quis habet? pecunia est opus. Duas? majore. Plures? majore etiam[20]. Et si, ut aiunt Danao[21], quinquaginta sint filiæ, tot dotes magnam quærunt pecuniam. Quantum enim cuique opus[22] est, ad id accommodatur, ut ante dixi, divitiarum modus. Qui igitur non filias plures[23], sed innumerabiles cupiditates habet, quæ brevi tempore maximas copias exhaurire possint; hunc quo modo ego appellabo di-
45 vitem, quum ipse etiam egere[24] se sentiat? Multi ex te audierunt, quum diceres, neminem esse[25] divitem, nisi qui exercitum alere[26] posset suis fructibus: quod populus romanus tantis[27] vectigalibus jam pridem

19. *Quantum cuique*, etc. Qui habet quantum sibi satis est, nihilo plus appetit; qui non appetit, non eget, ac proinde dives est. Facc.

20. *Majore etiam. Etiam* abest a septem Ald. ed. Ascens. et uno Ox. qui habet *maxima*. Novem libri Ald. *majore etiam*; unus *majori etiam*. Pro *et si* duo Oxx. ed. Hervag. et Anemœc. seu Colon. 1563, *si*, quod minus arridet; est enim *et* id q. ut summum ponamus, seu atque adeo. Gern. — Post *habet*, *duas*, *plures* interrogationis signa Gern. non posuit.

21. *Ut aiunt Danao*. Cod. Duib. omittit hæc tria verba: quidam *aiunt* tolli posse sine detrimento dixerunt. Bentl. *at si cui*. Ern. scripsit *Danao* pro *Danai* e MS Duisb. ed. Med. et Ven. 1471, quibus add. Ox. E. et ed. Lugd. De Danai filiabus vid. Hyg. fab. 168; Apollod. II, 1, 5; Hor. Carm. III, 11, 22. Gern. — Danaus Argivorum rex quinquaginta filias habuit, quas quinquaginta filiis Ægypti fratris in matrimonium dedit. Facc.

22. *Opus est*. Unus Manutius *sat est*. Gern.

23. *Qui igitur non fil. p..... quæ brevi... exhaurire possint*. Cod. Duisb. « Quid igitur? Non plures fil... qui brevi exhaurire possit ». Bentleius « qui quidem brevi » ex duobus Aldinis codd. E. et duo Manut. « quæ quidem brevi ». Gern.

24. *Etiam egere. Etiam* recte abest a sex Oxx. edd. Ven. Asc. Hervag. Lugd. Anomœc. cod. Duisb. Gern.

25. *Neminem esse. Esse* abest ab uno Man. Alias, inquit, « neminem hominum esse div. » Gern.

26. *Exercitum alere*. Vide hac de re Offic. I, c. 8, et Plutarchum in vita Crassi, cap. 2. Facc. — Ὃς οὐ δύναται τρέφειν ἀπὸ τῆς οὐσίας στρατόπεδον. Plin. XXXIII, 10: « M. Crassus negabat locupletem esse, nisi qui reditu annuo legionem tueri posset ». Gern.

27. *Tantis*. Al. *ex tantis*. Facc. — Præpositio abest a decem Ald. edd. Victor. Gruter. Græv. Ern. Duo Oxx. paullo ante *ex suis fruct*. Neutro loco apta est præpositio; necessaria eadem paullo post in *ex tuis possess*. — Mox post *potest* MS E. I. *contingere*. Gern.

vix potest. Ergo hoc proposito, numquam eris dives ante, quam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur [28], ut eo tueri [29] sex legiones [30], et magna equitum ac peditum auxilia possis. Jam fateris igitur, non esse te divitem [31], cui tantum desit, ut expleas id, quod exoptas. Itaque istam paupertatem, vel potius egestatem ac mendicitatem tuam numquam obscure tulisti [32].

II. Nam ut iis, qui honeste rem quærunt merca- 46
turis faciendis, operis dandis [1], publicis sumen-

28. *Tantum reficiatur.* H. e. tantum pecuniæ efficiatur seu redundet, ut Verr. III, 50, 119 : « villico delectetur, quod tanto sibi plus mercedis ex fundo refectum sit ». Varro R. R. I, 2, 8 : « Nemo enim sanus debet velle impensam ac sumptum facere in culturam, si videt non posse refici ». Cod. Duisb. *tantum referatur.* Gern.

29. *Eo tueri.* Edd. vett. pleræque et iidem codd. quos paullo ante dixi habere *ex suis*, præponunt *ex*, quod recte abest a decem Ald. quinque Oxx. ed. Venet. 1487. Græviam miror hoc loco tulisse voculam, quam supra deleverat. Gern.

30. *Sex legiones.* Totidem enim legionibus justus exercitus eo tempore constabat. Facc. — *Sex* abest ab uno Ox. Manutius invitis suis octodecim libris putat legendum non *VI*, sed *IV legiones*, e quibus exercitus populi Rom. constiterit; de quo plura monuit ad Offic. I, 8, 25. Quamquam nemini persuaserit, eum numerum legionum hic retinendum esse, qui ante bellum Punicum secund. justus fuit, sed a J. Cæsare ad decem auctus. Gern.

31. *Esse te divitem.* Duo Ald. « te esse non div. »; unus et Ox. ψ. « non esse div. »; item un. qui pro *igitur* habet *ergo*, ut cod. Duisb. Gern.

32. *Numquam obscure tulisti.* Vertit interpr. Gallicus : « Vous n'avez jamais caché combien vous étiez impatient de cette pauvreté ».

II. 1. *Operis dandis.* Alii mercaturas faciunt, alii operam dant facientibus. Sed hic de operis universe loquitur, quæ ad rem faciendam impenduntur. Late enim patet hæc vox et ad quodlibet genus transfertur. Vide Orat. pro Murena, cap. 9. Facc.— Quum Aldus *operis dandis* exposuisset mercedis causa inserviendo aliis; Sylvius, operas suas (C. Lang. intellig. servorum operas) locando : Grævius putavit, « *operas dare* hic esse publicanis servire, aut esse publicanum (huc autem potius pertinet seq. *publicis sumendis*). Cic. ep. ad Div. XIII, 65 : *Cum P. Terentio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro dat, mihi summa familiaritas consuetudoque est*, i. e. qui vicarius est magistri illius societatis. (Adde ibid. ep. 9 : *P. Rupilius, qui est in operis ejus societatis*). Verr. II, 70, 171 (Wetzelius e Græviana ed. temere numerum vitiosum cap. 10, in suam ed. transtulit), *Canuleius vero, qui in portu Syracusis operam dabat.* H. e. qui erat inter publicanos, qui Syracusis portorium exigebant ». Ernestius « idem

dis [2], intelligimus opus esse quæsito [3] : sic, qui videt domi tuæ pariter accusatorum [4] atque judicum consociatos greges; qui nocentes et pecuniosos reos [5], eodem te auctore, corruptelam judicii molientes; qui tuas mercedum pactiones [6] in patrociniis, intercessiones [7] pecuniarum in coitionibus candi-

est, inquit, quod locandis sc. ad ædificationes, quod erat redemptorum et conductorum : quod erat genus pecuniarum quærendarum, cujus multa mentio apud Ciceronem, inprimis in Verrinis ». Ut Verr. I, 56; ad Quint. fr. III, 1, 2. Gern.

2. *Publicis sumendis*. Manut. interpretatur conducendis vectigalibus, quod publicanorum erat; item Ernest. Quatuor Ald. « publicis tributis sumendis »; unus MS in V. L. Græv. « publicis dandis sumendis », omisso *operis*. Gern.

3. *Opus esse quæsito*. Eos non contentos esse re sua familiari, non habere satis. Man. — Simpliciter intelligimus : opus esse illis, id est, illos egere hoc, quod quærunt.

4. *Accusatorum atque judicum*. Consociatio hæc prævaricationes et corruptelas significat. Facc. — Lambinus (quem Gruterus sequitur), legendum censet « accusatorum atque indicum » : multoque adeo magis quam supra (V, 3, 40), « Index vero quantum habet dominatum ». Contra Grævius recte monet, accusatores et indices jungi nec rarum, nec flagitium esse. — « Conveniebant autem, inquit, ut corrumperentur judices ad damnandos reos, quorum bonis inhiabant. In Pithœano codice, et alio MS *domi tuæ* et pro *pariter* scribitur *partem* hoc modo : *qui videt domi tuæ partem accusatorum, judicum consociatos greges* ». In Oxx. σ. et ψ. deest *pariter*, non item *atque*, pro quo E. habet *ac*. Pro *consociatos*, teste Manutio, aliis legitur *consuetos*. Gern.

5. *Nocentes et pecuniosos reos*. Verr. Act. I, c. 1 : « Inveteravit enim jam opinio perniciosa reip. vobisque periculosa, quæ non modo Romæ, sed et apud exteras nationes omnium sermone percrebruit, his judiciis, quæ nunc sint, pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, neminem posse damnari ».

6. *Mercedum pactiones*. Lege Cincia pœna constituta erat in eos, qui pecunia et pactionibus patrocinia exercuissent. Repugnabant etiam patricii mores, ut in l. I Officiorum, c. 14. Facc. — De hac lege vid. not. ad Cat. M. c. 4, 10. Pro *auctore* unus Manut. et ψ. *actore*. Gern.

7. *Intercessiones*. MSS alii, ut sex Oxx. *intercisas*, alii *intercissas*, al. *intercidas*. Quod Langius (Lambinus *intercessus*) et Manut. restituerunt *intercessiones* in uno Ox. U. deprehenditur et ed. Lugd. 1556, quod Grævius interpretatur iis fere verbis, quibus usus est Facciolat. « Sponsiones, interposita fide sua, se soluturum pro iis candidatis, ni ipsi solverent, quam promittebant pecuniam ». Jul. Cæsar Hispaniam ulter. sortitus, quum a creditoribus ire prohiberetur, ὡς ἦν δυσδιάθετον αὐτῷ τὸ περὶ τοὺς δανειστὰς, ἐνοχλοῦντας ἐξιόντι καὶ καταβοῶντας, ἐπὶ Κράσσον κατέφυγε, πλουσιώτατον ὄντα Ῥωμαίων, δεόμενον δὲ τῆς Καίσαρος ἀκμῆς καὶ θερμότητος ἐπὶ τὴν πρὸς Πομπήϊον ἀντιπολιτείαν. Vide Plut. in vita Jul. Cæs. c. 11. Coitio-

datorum, dimissiones libertorum ad fœnerandas[8] diripiendasque provincias; qui expulsiones[9] vicinorum, qui latrocinia[10] in agris, qui cum servis, cum libertis, cum clientibus societates[11], qui possessiones[12] vacuas, qui proscriptiones locupletium[13], qui cædes[14] muni-

nem Memmii de consulatu potiundo Cic. commemorat ad Attic. IV, 18; ad Q. Fr. II, 15; III, 1. In η. ψ. ed. Ven. et Ascens. est *concionibus*. Facilius ferri possit *conditionibus*, quod est in quatuor Oxx. GERN.

8. *Fœnerandas*. Facc. *defœnerandas* quod interpretatur : fœnore demergendas. Nemo ex Latinis præter Apuleium imitari verbum hoc ausus est. Sed locus non caret mendi suspicione. FACC. — Sic septem Ald. quatuor Oxx. duo Oxx. et tres Ald. *deferendas;* duo *defferendas;* un. *diferendas;* duo *differendas;* un. *deserandas* delet. et add. *defendendas*. Ernestii nota hæc est : « pecunias in provinciis fœnori locandas, quod maxime usitatum equitibus fuit, et provincias exhausit. Cod. Duisb. ut edd. recentiores (Grævii et Oliveti) habent *defœnerandas* : at veteres *fœnerandas*, ut Rom. Ven. Med. Ald. (adde Ven. 1487, Ascens. Lugd. Hervag. Anemœc.) unde revocavi. *Defœnerandas* natum videtur e lectione ed. Colon. *deferendas*, quoniam *defœnerari* a scriptoribus eccles. usurpatur. Vide Gronov. Obs. in Scr. Eccl. p. 10 ». Vide Verr. II, 70 et seqq. GERN.

9. *Expulsiones*. Ex agris. FACC. — « Quos, ut Grævius monet, occuparant potentiores et opulentiores, aut vi et calumniarum metu, aut pretio non justo, aut usurpatione et furto. Hinc Flor. III, 14, de Graccho : depulsam agris suis plebem miseratus est ». Pro Milone, c. 27, 74, Clodius dicitur pepulisse suis possessionibus Q. Varium, T. Pacuvium, T. Furfanium, Appium fratrem. GERN.

10. *Latrocinia*. Rapti per agros viatores, ut est in Suetonio de Augusto, cap. 32. FACC. — Addit Suet. sine discrimine liberi servique, in ergastula eos conjici. GERN.

11. *Cum clientibus societates*. Negotiationis causa. De quibus societatibus Justian. Institut. III. SYLVIUS.

12. *Possessiones vacuas*. Unde ejecti domini, aut proscripti, aut cæsi, dominante Sulla, qui ne municipiis quidem pepercit, undique prædatus. FACC. — Vid. pro Rosc. Am. cap. 8, 25. GERN.

13. *Proscriptiones locupletium*. Vid. Dio. Cass. fragm. Peiresc. LXXVI; Flor. III, 21; Oros. V, 21; Vellei. Paterc. II, 22, 5 : « Postea id quoque accessit, ut sævitiæ causam avaritia præberet, et modus culpæ ex pecuniæ modo constitueretur, et qui fuisset locuples, fieret nocens, sui quisque periculi merces foret; ne, etc. » comp. ib. c. 28, inprimis Plut. Sulla, c. 31. Illustre est Qu. Aurelii exemplum, ibid. extr. cap. qui ἀνὴρ ἀπράγμων, καὶ τοσοῦτον αὑτῷ μετεῖναι τῶν κακῶν νομίζων, ὅσον ἄλλοις συναλγεῖν ἀτυχοῦσιν, εἰς ἀγορὰν ἐλθὼν, ἀνεγίνωσκε τοὺς προγεγραμμένους· εὑρὼν δὲ ἑαυτόν· Οἴμοι τάλας, εἶπε· διώκει με τὸ ἐν Ἀλβανῷ χωρίον· καὶ βραχὺ προελθὼν ὑπό τινος ἀπεσφάγη καταδιώξαντος.

14. *Cædes municipiorum*. Quatuor Ald. *mancipiorum*, al. *municipium*,

cipiorum, qui illam Sullani temporis messem[15] recordetur[16], qui testamenta subjecta, qui sublatos tot homines; qui denique omnia venalia, delectum[17], decretum, alienam, suam sententiam[18], forum, domum, vocem, silentium : quis hunc[19] non putet confiteri,

quod est interpretamentum. Vid. Plut. l. l. Προεγράφοντο δ' οὐκ ἐν Ῥώμῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν πάσῃ πόλει τῆς Ἰταλίας· καὶ φονευομένων οὔτε ναὸς ἦν καθαρὸς θεοῦ, οὔτε ἑςία ξένιος, etc. Liv. ep. 38 : « urbem ac totam Italiam cædibus replevit : inter quas omnes Prænestinos inermes concidi jussit ». Appian. de Bello civ. I. Gern.

15. *Illam Sullani temporis messem.* Quum Sulla, civium romanorum bona vendens, suam se prædam vendere diceret, M. Crassus ex iis permulta parvo emit. Quum idem Sulla magnam urbis partem incendio vastasset, areas multas earum domini partim egestate compulsi, partim nihil audentes petenti negare, Crasso vendiderunt exiguo pretio. Qua ratione magnam urbis partem emit. Servos ad quingentos emit fabrilis artis et architecturæ peritos, quibus ad domos in areis vacuis ædificandas uteretur : quorum operas locabat iis, qui a se areas emerant. Hac ratione grandem pecuniam sibi comparavit. Plutarch. in vita Crassi. Sylvius.

16. *Recordetur.* Sic quum reliqui editores, tum Manut. e suis : « Legunt, inquit, alii *recordatur* » : ad verbi *videt* similitudinem, de quo omnes consentiunt, excepta edit. Ven. 1487, quæ habet *vidit.* De testamentis subjectis vid. cap. 1, 23. Gern.

17. *Delectum.* Decem Ald. (in tribus add.) sex Oxx. quorum duo *delectum et*, edd. vett. Pith. pro varia lect. additum *dilectum.* Cod. Duisb. C. Langius, Lambin. Gruter. Facciol. Ernest. Unus Ox. unus Manut. Græv. *dilectum*, ut alibi, parum constanter; vide quæ notav. ad Offic. I, 2, 6. Tres Ald. *deletum ;* unus *delictum ;* Manut. Pater *decretum edictum*, quod Guilielm. conj. Cod. Pal. 3 *delicium.* Valuit pecunia sic, ut (quæ est Grævii interpret.) ii militum numeris non adscriberentur, aut ordinibus inferrentur honestioribus, quibus erant indigni, utque decreta iniqua in eorum gratiam interponerentur, qui plus obtulissent pecuniæ. H. Wolfius *delectum* et *decretum* accommodat venditioni functionum earum, quæ lucrosæ erant. Gern. — *Delectum.* Id est, fuisse ad militiam adscitos, vel non adscitos, prout demeruerant, vel non demeruerant præsidem pecunia. Grut.

18. *Suam sententiam.* Bentl. mavult. *tuam sententiam*, propter superiora *tuas merced. pact.* non assentior propter seq. *hunc* et *sibi*, quod utrumque miror Bentleium delere.

19. *Quis hunc. Hunc* abest a duob. Manut. in quorum uno add. Ox. N. *hunc vere.* Est hic, ut Ernestius ait, ἀνακόλουθος oratio : nam pertinent hæc ad Crassum, et ad initium, « qui videt domi tuæ » : itaque debebat esse, « quis te non p. c. tibi ». Quamquam non idcirco prætulerim codicis I. lectionem *hoc te.* Ab unius cogitatione et sceleribus deflexit oratio ad totum facinorosorum hominum genus, id quod quodammodo indicabatur verbis *Sullani temporis*, quibus vix opus

sibi quæsito opus esse? cui autem quæsito opus sit,
quis umquam hunc vere dixerit divitem? Est[20] enim 47
divitiarum fructus in copia; copiam autem declarat
satietas rerum, atque abundantia : quam tu quoniam
numquam assequere, numquam omnino es futurus
dives. Meam autem quoniam pecuniam contemnis, et
recte (est enim ad vulgi opinionem mediocris; ad
tuam, nulla[21]; ad meam, modica), de me silebo: de
re loquar[22]. Si censenda[23] nobis atque æstimanda res 48
sit, utrum tandem pluris æstimemus pecuniam Pyrrhi,
quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii[24], qui
illam pecuniam repudiabat? utrum aurum Samnitum,
an responsum M'. Curii[25]? hereditatem L. Paulli, an
liberalitatem Africani[26], qui ejus hereditatis Q. Maximo

fuisset, si unus Crassus notaretur. Pronomen *sibi* abest a duobus Ald. Gern.

20. *Est enim.* Gern. *Etenim... in cop. est.* Sic, inquit, Græv. a duobus suis codd. cum Oxx. E. (omisso *in*) I. (*est fruct.*) et N. Item Ox. ψ. et ed. Ven. 1487, omisso tamen verbo *est.* Ern. cum reliq. « Est enim div. fr. in copia ». Cod. Duisb. « Etenim est div. » mox idem in fin. sent. « es dives futurus ». — Intell. Is est fructus divitiarum, ut in copia rerum simus.

21. *Ad tuam, nulla.* Conf. Plut. Crass. vit. cap. 2.

22. *De re loquar.* Sic quindecim Ald. quatuor Oxx. Pith. ed. Hervag. Græv. Facciol. Ernest. Reliqui libri scripti et edd. *de te loquar.* Sed in seqq. ut recte monet Grævius, non loquitur de Crasso, sed comparat virtutem cum divitiis. Gern.

23. *Censenda.* Unus Manut. *pensanda.* Verbum *sit* in tribus Oxx. ponitur post *nobis*, quod in ψ. deest; ab U. *sit* prorsus abest. In edd. Ven. 1487 et Hervag. « Si censenda nobis sit atque æst. res est », quod, expulso *sit*, probatur, quum nulla causa sit conjunctivi. Cod. Duisb. « si censenda atque æstimanda nobis res sit ». Gern.

24. *Fabricii.* Vide Valer. Max. lib. IV, cap. 3. Facc. — Adde Plutarch. Pyrrh. cap. 20, et quæ not. ad Cat. M. cap. 6, 15. Unus Ox. ut unus apud Verburg. *pecuniam* post *illam* omittit. In hac virtutis cum pecunia comparatione hæc vox non est molesta. Gern.

25. *Responsum M'. Curii.* Respondit, malle se, quam aurum habere, habentibus imperare. Vide cap. 16 de Senectute. Facc. — Et Parad. V, 2, 38. Unus Ox. *M.* (hoc est, Marci) *Cur.* De *Manii* prænomine servando vide not. ad Caton. Major. cap. 13, 43. Gern.

26. *Africani.* Africanus Minor, Paulli filius, fratrem habuit, qui Q. Maximus appellatus est, quod in Maximorum familiam fuisset adoptatus. Huic totam patris naturalis heredita-

fratri partem suam concessit? Hæc profecto, quæ sunt summarum virtutum, pluris æstimanda sunt, quam illa, quæ sunt pecuniæ[27]. Quis igitur (si quidem, ut quisque, quod plurimi sit[28], possideat, ita ditissimus[29] habendus sit) dubitet, quin in virtute divitiæ sint[30]? quoniam nulla possessio, nulla vis auri et argenti pluris[31], quam virtus, æstimanda est.

49 III. O dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal[1] sit parcimonia: venio[2] enim jam ad sumptuosos; relinquo istum quæstuosum. Capit ille ex suis prædiis sexcenta[3] sestertia; ego centena

tem cessit. Facc. — Vide Polyb. Excerpt. lib. XVIII, edit. Ernest. t. III, pag. 78; Plut. Æmil. Paul. cap. 39. Quinque Ald. et duo Oxx. pro *liberalitatem* male habent *libertatem*, et unus Ald. *cujus hered.* a duobus abest *ejus*. Gern.

27. *Quæ sunt p.* Ed. Ven. et Herv. paullo ante «quæ s. p. membra», quæ vox translata est e Parad. I, § 7. G.

28. *Plurimi sit.* Ald. Manut. ait: sunt qui legant *fit*.

29. *Ditissimus.* Al. *divitissimus.* Concludit, solum sapientem esse ditissimum, quia in virtutis possessione plurima possidet. Facc. — *Ditissimus* omnes Manut. duo Oxx. edd. vett. Græv. Ern. Sed Victor. Junt. Lang. J. Gronov. quinque Oxx. et Olivet. *divitissimus*. Vid. interpretes ad Corn. Nep. Alcibiad. cap. 2; Phoc. cap. 1; ad Offic. II, 17, 58, et inf. c. 3, 50.

30. *Divitiæ sint.* Al. *divitiæ positæ sint*. Facc. — Hæc altera lect. est in uno Oxon. duobus Ald. ed. Ascens. 1520, et Lugd. 1556. Gern.

31. *Pluris q. v. æst. est.* Plato in Legg. V, 1, edit. H. Steph. pag. 728: Πᾶς γὰρ ὅ τ' ἐπὶ γῆς καὶ ὑπὸ γῆς χρυσὸς, ἀρετῆς οὐκ ἀντάξιος. J. V. L.

III. 1. *Vectigal.* Cic. de Republ. IV, apud Nonium Marc. sub voce *portitores*: « Optimum autem et in privatis familiis et in republ. vectigal duco esse parcimoniam ». Offic. lib. I, cap. 26, 92. Gern.

2. *Venio enim*, etc. Transit ad sumptuosos, quos ostendit divites non esse, quandoquidem illis semper deest aliquid. Facc. — Duo Ald. omittunt *jam*, unus et E. *enim*. G.

3. *Sexcenta.* Gern. *sexcena*, et notat: A. Man. Nep. scripsit et Laur. Valla de Elegant. lib. III, pro *sexcenta sestertia*, quod in omnibus libris (unus Manut. *sexcentas*) legitur, sed propter seq. *centena* ferri nequit. Pro *sexcentena* Drakenborchius ad Liv. XLV, 46, 3, et XXXIX, 38, 11, docuit in melioris notæ codd. reperiri *sexcena* per syncopen, ut *duceni*, *treceni*, al. *Sexcenos numos* restituit etiam Ernest. in Verr. V, 25, 62. Budæus de asse, lib. II, nostrum locum pro vitioso habuit. Vocem *sestertia* pro *sestertium* Forcell. in Lex. s. h. v. suspicatur poetas usurpasse, ut Horat. Ep. I, 7, 80, nostroque loco (ut Plin. XXXIII, 2, e MSS) scribendum esse H-S. Non ausus sum sine

ex meis : illi aurata tecta in villis, et sola marmorea facienti[4], et signa, tabulas, supellectilem, et vestem infinite concupiscenti, non modo ad fructum ille est sumptus, sed etiam ad fœnus[5], exiguus ; ex meo tenui vectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Uter igitur est ditior[6], cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cujus[7] possessio quo est major, eo plus requirit ad se tuendam, an quæ suis se viribus sustinet? Sed quid ego de me lo-
quor, qui morum ac temporum vitio aliquantum etiam 50
ipse fortasse in hujus sæculi errore verser? M' Manilius[8], patrum nostrorum memoria (ne semper Curios et Luscinos[9] loquamur), pauper tandem fuit : habuit

codd. auctoritate quidquam mutare.

4. *Facienti*. Abest ab antiquo libro F. Ursini, cui, ut Ernest. videtur esse glossema : Wetzelius uncis inclusit. In edd. veteribus, except. Lugd. legitur « marmorea ea facienti »; in tribus Oxx. et cod. Duib. « marmore facienti ». Mox Palat. 2 « et vestem vestrate concup. » aut « e vestem rostrate concup. » Nolim damnare *facienti*, quod ut servetur, monet etiam particula *et*. Gern.

5. *Ad fœnus*. Sexcenta illa non modo ad hujusmodi sumptus non sufficiunt, sed ne ad fœnus quidem solvendum satis sunt. Sumptuosi enim ingentes pecunias fœnore sumunt. Facc. — Aldus Nepos ex uno libro Lambinianæ ed. lectionem, « non modo ad sumptum ille est fructus », quam Lambin. dicit vulgatam, quum in nulla editt. vett. præter Lugd. 1556, deprehenderim, recepit, quam sensu postulante, cum Ernestio edidi, cui quodammodo favet Ox. U. in quo est *fructus* pro *fructum*, in Gruteri et Græv. lectione, « Non modo ad fructum ille est sumptus, etc. » Sic etiam cod. Duisburg. denique idem *exiguum*. Gern.

6. *Ditior*. Gern. *divitior*. Sic, inquit, quatuor Oxx. Gron. et Olivet. cum iis, quos extremo § 48 dixi (vid. supra not. 29). Rel. *ditior*. *Superat* quod seq. pro *superest*. Vid. Fin. V, 15, 42. Gern.

7. *Cujus possessio*. Unus Manut. « Cui quo possessio » ; unus « qui quo possessio ». Gern.

8. *M'. Manilius*. Hominem memorat sua tempestate notum, et honoratum, qui pro rerum domesticarum modulo contentus vivebat, nihilque sibi deesse putabat. Facc.—Wetzelius hunc Manilium diversum judicat esse ab illo, qui Læl. cap. 3, et Somn. Scip. 1 (*M'. Manilius*, non, ut nostro loco quidam, *M. Man.* vide Ernest. in Clav.) commemoratur, ejusque filium, quum *patrum memoria* floruisse dicatur. At quidni patres ejus M'. Manilii meminerint, qui anno Urbis 604 consul fuit cum L. Mucio Censorino. G.

9. *Luscinos*. Id est, Fabricium Lu-

enim ædiculas in Carinis[10], et fundum in[11] Labicano. Nos igitur ditiores[12], qui plura habemus? Utinam quidem! sed non æstimatione census[13], verum victu
51 atque cultu terminatur pecuniæ modus. Non esse cupidum, pecunia est[14]; non esse emacem, vectigal est; contentum vero suis rebus esse, maximæ sunt, certissimæque divitiæ[15]. Etenim si isti callidi rerum æsti-

scinum. Facc. — Tres Oxonii *Luscinios*. Alii apud Græviam, *Licinios*. Gern.

10. *In Carinis*. Carinæ, urbis regio a foro remota ad Telluris; de qua Horat. lib. I, Epist. 7. Facc.

11. *In Labicano*. Labicum oppidulum non procul ab urbe: unde Labicanus ager, qui in prima Italiæ regione collocatur a Plinio, lib. III, cap. 5. Facc. — *Labicano*. Aldini codd. pervertunt, unus « Larecupo »; unus « Locopio »; unus « Lancupo »; duo « Larcapo »; unus « Laropo »; unus « Larcopo »; I. « Loruopo »; N. « Larithopo »; Duisb. « Lavicano ».

12. *Ditiores*. Gern. *divitiores*. Sic primæ editiones et MSS nostri omnes. Subsequentes enim « ditiores sumus qui p. h.? u. quidem essemus », supervacanee. Grut. — Cum Gruteri MSS consentiunt Pith. ed. Græv. et quatuor Oxx. quorum unus addit *sumus*, unus mox et Facciol. cum tribus Ald. « utin. quidem essemus ». Incorruptam certe explicatiorem hujus comparativi formam servavit Orat. III, 48, 185, « inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus »; ubi etiam quædam adjectivorum æquabilitas erat spectanda. Tum nostro loco *divitem*, non *ditem*, quod apud Livium frequens est, ter quaterve dixit. Quantum tribuendum in eo genere sit scripturæ compendio, quo usi scribæ sunt, difficile est ubique judicare. Vide Voss. de Analog. II, 25, pag. 804. Gern.

13. *Æstimatione census*. Flor. IV, 2, 21, de Cæsare: « ærarium... jussit effringi: censumque et patrimonium populi rom. ante rapuit, quam imperium ». Plin. XXXVI, 15: « Nec fuit rex Curio aut gentium imperator, non opibus insignis, ut qui nihil in censu habuerit præter discordiam principum ». Ita *census* quum proprie esset bonorum æstimatio, pro ipsis bonis dicitur. Horat. Carm. II, 15, 13: « Privatus illis census erat brevis »: hoc autem loco *æstimatio census* pro *bonorum æstimatio*, *quæ fit per censum*: ut pro Flacco, cap. 22, 52, Mæandrius dicitur homo egens, sordidus, *sine honore*, *sine existimatione*, *sine censu*. Gern.

14. *Pecunia est*. Omnes Ald. præter unum « pecuniæ est »; item quatuor Oxx. et ed. Hervag. omisso *est*. Iidem post Oxx. tres *vectigalium*; unus *vectigalem*. Gern.

15. *Certissimæque divitiæ*. Liber C. Langii ad D. Drudonis *comtissimæque*, quum omnes libri constanter habeant *certissimæque divitiæ*. « Eam lectionem (sic ait Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 79), Gronovius arripit, explicatque *splendidissimæ*, *nitidissimæ divitiæ*. Verum Ciceronis menti *certissimæ divitiæ* conveniunt, *splen-*

matores[16] prata et areas quasdam[17] magno æstimant, quod ei generi possessionum minime quasi[18] noceri potest: quanti est æstimanda virtus[19], quæ nec eripi, nec surripi potest umquam[20]; neque naufragio, neque incendio[21] amittitur; nec tempestatum[22], nec temporum perturbatione[23] mutatur? qua præditi qui sunt,

didissimæ nullo modo. Nihil igitur præsidii in hoc loco; in quo si quid mutandum est propter magnam, quæ merito Codici Langiano tribuitur, auctoritatem, ex ejus vestigiis scripserim: *contentum vero suis rebus esse, maximæ sunt copiosissimæque divitiæ* ». At nihil vulgata lectione aptius. Gern.

16. *Callidi rerum æstimatores.* Plaut. Asin. I, 2, 34: « Vera dico: ad suum quemque hominem quæstum esse æquum est callidum ». Gern.

17. *Areas quasdam.* Neque enim areæ omnes eum habent usum, unde fructus colligi possit. Alii leg. « areas quidam magni æstimant ». Facc. — Liber ad D. Drudonis *areas quiddam* (rectius *quidam*) *magni*, item tredecim Ald. et quinque Oxx. cum ed. Ascens. Lugd. et Anemœc. *æstimant*, pro *quasdam magno*, quod nescio (inquit Langius) auribus meis bene sonat. Ernestius ad vulgatam lect. hæc adnotat: « quia areæ h. l. cum fructuosis possessionibus, ut pratis, junguntur, intelligitur, non esse intelligendas, quæ ab ædium ruinis sunt, in urbe, sed qualis fuit v. c. in Æquimelio, in qua stabant pecora venalia, et alia (v. de Divin. II, 17), quæ inde peterentur, ideoque locari poterant et mercedem afferebant ». Gern.

18. *Minime quasi.* Quia tempestatibus et nimbis non ita affliguntur. Facc. — Idem liber Drud. apud Langium verba « neque naufragio, nec incendio amittitur » transponit post *noceri potest.* Guilielm. conj. *casu noceri.* At Ald. Manut. Nep. et Schellerus Observv. p. 427, *quasi* explicant *fere.* Cic. Verr. Act. I, 8; Orat. c. 13; Terent. Heaut. I, 1, 93: « quasi talenta ad quindecim coegi ». Adde Acad. II, 29, 95: « id autem appellant ἀξίωμα, quod est quasi effatum ». Ita non est cur cum Ernestio corruptam hanc vocem judicemus. *Potest* sex Ald. mutant in *possit.* Gern.

19. *Est æstimanda virtus.* Sic sex Ald. tres « æstimanda virtus est »; duo « æstimanda est virtus »; duo omittunt *est;* duo « pretii æstimanda est virtus ». Vulgato verborum ordini etiam Langii liber suffragatur. Gern.

20. *Surripi potest umquam.* Postrema vox abest ab omnibus Ald. quinque Oxx. et ed. Ven. 1487. Cod. Duisb. et Victor. ed. consentiente Bentl. Gern.

21. *Neque naufragio, neque incendio.* Sic Langii liber antiquiss. quinque Manut. totidem Oxx. « nec naufr. nec inc. » Edit. Anemœc. « nec naufr. neque inc. ». At prior particula, quod ad totam sententiam pertinet, melius distinguitur. Gern.

22. *Nec tempestatum.* Quatuor Ald. Palat. 1: « nec vi tempestatum »; duo « nec intempestatum », in quo latet *vi*, aptissimum ad tempestatum notionem vocabulum, quæ erant a temporibus distinguendæ. Itaque recepi. G.

23. *Temporum perturbatione.* Unus

soli sunt divites : soli enim possident res et fructuosas[24], et sempiternas; solique (quod est proprium
52 divitiarum) contenti sunt rebus suis[25]. Satis esse putant, quod est; nihil appetunt, nulla re egent[26], nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Improbi autem, et avari, quoniam incertas atque in casu positas[27] habent, et plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inventus est, cui, quod haberet, esset satis; non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes[28] existimandi[29] sunt.

Manut. *turbatione*. Recepta lect. *perturbatione* est in reliquis Ald. Pall. omnib. Pith. et olim editis. Guilielmio probabatur veteris editionis lectio *perturbatione movetur*. Aptius tamen ad voc. *temporum* est mutandi quam movendi notio. In edd. Ven. 1487; Ascens. Hervag. Lugd. Anemœc. ut in Colon. et Ven. quas Ernestius contulit, est *permutatione mutatur*, quod Vir Doct. recte judicat lenius esse quam pro re. Gern.

24. *Et fructuosas. Et* abest a duobus Aldinis. Gern.

25. *Contenti sunt rebus suis. Satis.* Gern. « Contenti rebus suis, satis ». Sic, inquit, e MS Pithæano Grævius recte scripsit et sic, ut edidi, interpunxit. Item Facciolatus. Ernestius vero vulgatam retinuit : « contenti sunt rebus suis : satis, etc. » At hæc arctius conjungi debebant. Verbum *esse* post *satis* abest ab uno Manut.

26. *Nulla re egent.* Tres Ald. totid. Oxx. et Pith. *indigent*, quod nescio an nimiam æquabilitatem verborum « appetunt, indigent, sentiunt, requirunt » efficiat. Gern.

27. *In casu positas.* Gern. addit *possessiones*. Alii, inquit Facc. non sine ratione omittunt *possessiones* et adjectivum *positas* referunt ad *res* periodi superioris. — *Possessiones*, quod est in omnibus Oxx. et Aldinis et Duisb. ut in edd. vett. Grævius et Ernestius tacito omittunt. Quum alius structuræ enuntiationes interjectæ sint, nullus equidem credo, Ciceronem vocem *res* intellexisse. Itaque *possessiones* restitui. Unde Manut. habet « et in casu suppositas ». Pith. paullo ante « Improbi vero et av. » Gern.

28. *Ac pauperes.* Unus Manut. et tres Oxx. *atque paup.* tres Ald. *etiam paup.* quatuor Manut. et duo Oxx. *et paup.* un. Man. *aut p.* in uno deest *ac*. Gern.

29. *Existimandi.* Novem Ald. duo Oxx. Ven. 1487, et Ascens. *æstimandi.* Gern.

M. TULLII CICERONIS

EX PLATONE

TIMÆUS, SEU DE UNIVERSO

35.

NOVI EDITORIS PRÆFATIO.

Platonis Dialogum inscriptum Timæum, seu de Universo, integrum e græco in latinum sermonem verterat Cicero, ut videtur; sed ejus versionis maxima pars interiit, et quæ supersunt, in plerisque editionibus valde corrupta sunt; ita ut opus illud, jam per se obscurum et multis difficultatibus scatens (ut ipse Cicero fatetur, de Finib. II, 5; Acad. II, 39), in versione latina etiam obscurius fiat.

Jam plurima quidem menda expunxerant Christ. God. Schütz. et Nostras J. V. *Leclerc*, dum mutilatum hunc librum ederent; jam nonnullos obscuros locos notis et ipsius Platonis textu collato illustraverant; sed multa adhuc supererant quæ intelligi non poterant, nisi, quæ plurimæ in romani oratoris versione occurrunt, lacunæ implerentur, et totus liber continuo legi posset. Itaque in deperditorum locorum vicem eam inseruimus translationem, quæ optima doctissimorum virorum judicio habetur, Marsilii nempe Ficini; ita ut totum Dialogum in manibus haberet lector.

Nos minime latet, vel his omnibus adhibitis auxiliis, magnas adhuc superesse difficultates; sed illæ, quum ipsam materiam sequantur, et ex ista metaphysicorum somniorum et subtilitatum cum geometricis computationibus concretione, apud Pythagoreos Platonicosque tam frequenti, necessario oriantur; si quis sit qui has tenebras discutere velit, eum remittemus ad eos commentatores, qui doctrinam in

Timæo expositam illustrare susceperunt, in primis ad Proclum in opere speciali (Basil. 1534) et ad Chalcidium (tom. II Opp. s. Hippolyti, Hamburg. 1718), exspectantes donec illarum rerum peritissimus professor V. *Cousin* hunc librum in sua Platonis versione attigerit. Nobis satis erit, si rerum series et ipsorum verborum sensus intelligatur.

Hanc Timæi versionem a Cicerone post Academica scriptam fuisse, ex illis quæ versionis initio leguntur verbis, « Multa sunt a nobis in Academicis conscripta contra physicos », constat; sed quo certo anno, dubium est. Corradus eam differt usque ad annum 709; J. V. *Leclerc* eam in fine anni 706 et initio anni 707 editam fuisse conjicit, hoc solo fretus argumento quod ab an. 702, quo Noster, proconsul missus in Ciliciam, Ephesi cum P. Nigidio Figulo disputavit (ut Timæi initio ipse declarat), usque ad annos 706 vel 707, quibus, eversa republica, otio se abdidit, nullum sit momentum quo literis indulgere potuerit; sed etiamsi concedamus hunc librum ante annum 707 scriptum non fuisse, non inde sequitur eum serius scribi non potuisse; immo ex ipsius Ciceronis testimonio discimus hanc versionem post Academica compositam fuisse. Quum vero ipse J. V. *Leclerc* Academica ad an. 708 referat, nos Corradi opinione potius assentiendum esse censemus, et hoc opus circiter anno 709 editum fuisse pronuntiandum.

Si res ita sit, hæc est optima hujus libri sedes in nostra editione, in qua temporum ordinem, quantum innotescit, sequi instituimus.

M. TULLII CICERONIS
EX PLATONE
TIMÆUS, SEU DE UNIVERSO.

I. Multa sunt a nobis et in Academicis[1] conscripta contra physicos, et sæpe cum P. Nigidio[2] Carneadeo more et modo disputata. Fuit enim vir ille quum ceteris artibus, quæ quidem dignæ libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator et diligens earum rerum, quæ a natura involutæ videntur. Denique sic judico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina exstincta est quodam modo, quum aliquot sæcula in Italia Siciliaque viguisset[3], hunc exstitisse, qui illam renovaret. Qui quum me in Ciliciam proficiscentem Ephesi exspectavisset, Romam ex legatione ipse decedens; venissetque eodem Mitylenis mei salutandi et visendi causa Cratippus, peripateticorum omnium, quos quidem ego audiverim, meo judicio facile princeps: perlibenter et Nigidium vidi, et Cratippum

I. 1. *In Academicis.* Præsertim in lib. II, cap. 37 sqq.

2. *P. Nigidio.* Nigidius Figulus, unus e Ciceronis amicis, ad quem scribitur Epist. 13, lib. IV, ad Divers. prætor, aut tribunus ann. 694, præfectus in Asia ann. 702, Pompeii partes sequutus est. Conf. pro Sull. cap. 14; Epist. ad Attic. II, 2; VII, 24. Vetus scholiastes dicit illum Figuli nomen ex eo duxisse, quod e Græcia rediens, dixisset se in ea didicisse « Orbem ad celeritatem rotæ figuli torqueri ». Astrologiæ studebat, sortemque futuram Octavii vaticinatus est. Conf. Sueton. August. cap. 94; Dion. XLV. Multa scripsit de astronomia, mathematicis, physicis, medicis, etc. Vid. Lucan. Pharsal. I, 639; Serv. Æn. X, 175; Aul. Gell. IV, 9; XIII, 24; XIX, 14; Macrob. Saturn. III, 26; Var. Lectt. Rutgersii, III, 16, ubi nonnulla Nigidii fragmenta exstant; Lydus, qui in opere suo *de Prodigiis,* ejus fragmentum de tonitru in græcum vertit; *Dictionnaire de Bayle.* J. V. L.

3. *Viguisset.* Alii male, *viguissent.*

cognovi. Ac primum quidem tempus salutationibus, reliquum percunctatione consumpsimus[4].....

[SOCRATES. Unus, duo, tres : quartus autem, o amice Timæe, ubinam est ? ut, qui heri a me convivio accepti estis, hodie me vicissim accipiatis. TIMÆUS. Adversa valitudine laborat, o Socrates : non enim sponte ab hoc cœtu et disputatione abstinuisset. SOCRATES. Ergo tui, o Timæe, et istorum erit officii, quod quarti illius absentia deest, implere. TIMÆUS. Ita prorsus : quare nihil, quoad fieri poterit, prætermittemus : nam quum laute abs te hesterno epulo accepti fuerimus, nefas esset, si epulas tibi pro viribus similes libenter non redderemus. SOCRATES. Num recordamini, quæ vobis et quam multa tractanda proposui? TIMÆUS. Partim quidem tenemus memoria, partim vero tu, si exciderint, suggeres : immo vero, nisi molestum sit, breviter illa ab exordio repete, ut nobis iterum confirmentur. SOCRATES. Faciam equidem. Summa disputationis hesternæ erat respublica, qualis mihi et ex qualibus viris optima posse fieri videretur. TIMÆUS. Nobis certe omnibus valde probata sunt, o Socrates, quæ dixisti. SOCRATES. Principio agricolas ceterosque artifices a militibus separavimus. TIMÆUS. Certe. SOCRATES. Quum vero cuique, quod pro naturæ instinctu præcipue suum est, et singula tantum singulis artibus officia tribueremus; illis quoque, quos præ ceteris bella gerere oporteret, id unum dumtaxat, protegendæ scilicet civitatis munus, injunximus, et adversus externos hostes et adversus cives reipublicæ eversores : ita ut erga subjectos, tamquam natura amicos, mites sint; contra hostes vero in prælio ferocissimi. TIMÆUS. Ita prorsus. SOCRATES. Duplicem sane naturam in custodum animis esse debere tractavimus, et iracundam et philosophico ingenio præcipue accommodatam, ut recte in suos mansueti sint, in alienos vero feroces. TIMÆUS. Procul dubio. SOCRATES. Quid autem de educatione dicemus? nonne gymnicis exercitationibus et musica ceterisque decentibus disciplinis eos a nobis institutos fuisse? TI-

4. *Consumpsimus.* Hic multa deesse videntur. (Vide nos infra ad cap. II, not. 1.) Incipit Ciceronis versio his tantum Timæi verbis apud Platonem, § 27 fin. Timæi in edit. Imman. Bekkeri, Berol. 1817 (pag. 18 edit. Steph. tom. IX, pag. 301 ed. Bip.) Ἔστιν οὖν δὴ κατ' ἐμὴν δόξαν πρῶτον διαιρετέον τάδε· τί τὸ ὂν μὲν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, καὶ τί τὸ γιγνόμενον μὲν, ὂν δὲ οὐδέποτε; — Nobis autem scire non licet quomodo Cicero referens colloquium suum cum Nigidio et Cratippo, lectorem ad Platonis Timæum deduxerit.—In Platone Timæus philosophus Pythagoreus loquitur cum Socrate, Hermocrate et Critia.

mæus. Valde quidem. Socrates. Ita educatos homines neque aurum neque argentum, neque aliud quidquam proprium aut habere aut putare statuimus; sed tamquam adjutores publicosque ministros sola mercede contentos esse, tanta ab his, quos tuentur, exhibita, quanta moderate viventibus sufficere videatur: stipendio præterea publico in commune uti voluimus, et ad communem inter se victum impendere, ut ceteris posthabitis omnibus solius virtutis et custodiæ curam habeant. Timæus. Hæc quoque ita abs te dicta fuerunt. Socrates. Naturam præterea mulierum non aliter quam virorum effingi præcepimus; studiaque omnia, tam belli quam pacis, mulieribus cum viris esse communia. Timæus. Id quoque dictum. Socrates. An tenetis memoria, quæ de procreandis liberis diximus? forte vero ob rei ipsius novitatem firmiter tenuistis: communes quippe nuptias liberosque statuimus, ut nemo natos suos discernat, sed omnes ab omnibus consanguinei existimentur, dum æquales ferme natu fratres sororesque vicissim se judicant, majoribus vero patrum vel avorum reverentiam exhibent, erga minores autem tamquam filios et nepotes afficiuntur. Timæus. Hæc quoque memoratu facilia sunt. Socrates. Ut autem quam optimi ab ipso initio pro viribus gignerentur, magistratus utriusque sexus nuptiis præposuimus, qui clam sortibus quibusdam operam darent, ut pravi pravis, boni contra bonis mulieribus miscerentur, neque ulla ob hoc discordia oriretur, quum in congressu minus prospero quisque fortunam potius sit quam consilium principum culpaturus. Timæus. Recordamur. Socrates. Præterea sanximus bonorum fœtus in patria alendos esse, aliorum vero alios alio clam mittendos: adultos demum utrosque diligenter considerandos, ut, si qui inter relegatos bonæ indolis sint, in patriam revocentur; si qui vero inter domesticos contra videantur affecti, similiter relegentur. Timæus. Ita statutum est. Socrates. Num satis jam hesternam disputationem, quantum compendio licet, narravimus? an aliquid etiam a me prætermissum, o amice Timæe, recenseri desideras? Timæus. Nihil sane: hæc enim ferme sunt, quæ tractaveras. Socrates. Audite deinceps, quo pacto erga hanc, quam descripsimus, rempublicam sim affectus: comparatione plane vobis aperiam: quemadmodum si quis animalia eximiæ pulchritudinis intuitus, seu picta, seu viva quidem, sed torpentia, motus gestusque viventium et certamen aliquod eorum spectare desideret: sic ego nunc libenter aliquem narrantem audirem, quo pacto supra descripta civitas cum finitimis civitatibus decertaret, quidve tanta

ejus educatione disciplinaque dignum in bello vel pace, tam dicendo quam agendo, erga civitates singulas demonstraret. Equidem, o Critia et Hermocrates, mihi conscius sum, non posse me eam urbem virosque pro dignitate laudare: me quidem non posse nihil mirum; sed de veteribus quoque et hujus sæculi poetis idem existimo: non quo poeticum genus contemnam, sed quod evidens unicuique sit, imitationis studiosos ea facile et optime imitari, in quibus fuerint educati; aliena vero longeque ab eorum educatione remota operibus quidem difficile, verbis etiam difficilius posse, prout convenit, æmulari: sophistas utique et dicendi et aliarum ferme præclarissimarum artium peritos esse arbitror: sed quia multas quotidie civitates pererrant, nec proprias sedes ullas habent, vereor ne conjectura quidem assequi nequeant, quam multa et qualia viri philosophi atque civiles, tam bello quam pace, erga singulos verbis et operibus agant: sola igitur vestra professio superest, tum natura, tum disciplina philosophiæ et rerum gerendarum studio pollens. Timæus quidem iste ex Locris, quæ urbs in Italia justissime gubernatur, nobilitate et opibus præstantissimus, summis magistratibus et honoribus functus est, et ad summa totius philosophiæ fastigia, ut opinor, ascendit. Critiam quoque scimus hæc utraque consequutum. Hermocratis etiam naturam educationemque his omnibus, quæ diximus, tractandis esse accommodatam, quum multis testimoniis moneamur, dubitare non licet: quapropter rogantibus vobis heri de republica disputari, libentissime parui, quum cogitarem, quod deinde instituto operi superforet, a nemine commodius quam a vobis, modo velitis, posse tractari: quum enim civitatem ad bellum idoneam constitueritis, soli omnium vos, quæ eam decent, vicissim omnia tribuetis: quum vero in superioribus, quæ mihi injuncta fuerant, perfecissem: quæ modo retuli, vobis tractanda commisi, vos autem communi consensu imperatum munus mutuo mihi parandi nunc sermonum convivii recepistis: ego igitur adsum ad promissas epulas paratissimus. HERMOCRATES. Nos quoque omnes, o Socrates, ut pollicitus est modo Timæus, quod jubes, pro viribus exsequemur: præsertim quum nulla excusandi sit ratio, quo minus id facere debeamus: nam præterito die, quum, disputatione peracta, mox ad hospitium, quo apud Critiam suscepti sumus, rediremus, et inter eundum primo et domi rursus de his rebus verba fecimus: hic igitur nobis veterem narravit historiam: quam velim, o Critia, Socrati modo recenseas, ut, quum audiverit, judicet, numquid ad eam rem,

quam nos exsequi jussit, conducere videatur. CRITIAS. Faciundum est, si ita Timæo quoque videtur, tertio disputationis hujus participi. TIMÆUS. Videtur sane. CRITIAS. Audi, Socrates, miram quidem, sed plenam veritatis historiam, quam Solon septem sapientum sapientissimus recensebat: erat enim domesticus admodum amicusque Dropidis proavi nostri, quod in suis carminibus ipsemet sæpe testatur: avo autem nostro Critiæ, ut ipse nobis senex postea referebat, quandoque narravit res gestas hujus urbis memorabiles, diuturnitate temporis hominumque interitu obliteratas: unum vero præ ceteris facinus insigne recensuit, quod vobis nunc narrandum censeo, ut et tibi morem geramus, et Deam, cui hodierna pompa dicata est, hac narratione quasi quodam hymnorum cantu, ut par est, honoremus. SOCRATES. Recte loqueris: sed quid istud tandem est, quod Critias, non quasi verbis descriptum, sed quasi ab hac civitate quondam gestum, ex Solonis narratione vobis aperuit? CRITIAS. Referam priscam mihi puero traditam ab avo historiam: quum ageret Critias annos, ut ipse dicebat, circiter nonaginta, ego vero decem, celebrareturque solemnis ille dies, in quo ad cantum carminum pueri convocabantur, congregati sumus et nos una cum proximis notisque pueris, nobisque a parentibus carminum canendorum certamen est injunctum: ubi multorum poetarum carmina non pauca memoriter pronuntiata sunt, et Solonis versus a plurimis puerorum, utpote novitatem poematis admirantibus, decantati: tum contribulis quidam, seu quod ita judicaret, sive quod Critiæ blandiri vellet, videri sibi inquit quum in ceteris sapientissimum fuisse Solonem, tum in carminibus poetarum omnium generosissimum: his verbis, ut recte memini, valde lætatus est senex: atque ita ridens inquit: Si Solon, o Amynander, non tantum relaxandi animi gratia, sed dedita opera serioque, sicut alii, poesim esset sequutus, vel historiam, quam ab Ægypto reversus instituerat, absolvisset, a qua quidem seditionibus ceterisque civitatis fluctibus deturbatus medio in cursu destitit: nec Homero Hesiodoque, nec alio quoquam poetarum, ut opinor, inferior exstitisset. Ad hæc ille: Qua de re, o Critia, tractare Solon instituit? SOCRATES. De maximis, inquit, rebus ab hac civitate quondam gestis, quarum memoria apud nos temporis diuturnitate et interitu hominum exstincta est. Dic, quæsto, inquit, o Critia, quid illud opus, et quomodo actum, et a quibus habitum, tamquam verum Solon narrabat. CRITIAS. Est, inquit, Ægypti regio Delta, cujus e vertice scinduntur Nili fluenta: ejus campi Saitica pascua nominantur: in

quibus maxima civitas est, quam Saim vocant: unde Amasis fuit rex: urbis ejus fundatrix Dea fuit, quam Ægyptii Neithem, Græci Athenam nominant: ipsi porro homines Atheniensium amici sunt, eisque genere quodam conjunctos esse se prædicant: quo Solon profectum se honorifice acceptum fuisse referebat: et quum de vetustatis memoria ab illis sacerdotibus, qui in hac re ceterorum peritissimi erant, quæsisset, expertum se esse dicebat neque se ipsum, neque alium Græcorum quemquam cognitionem antiquitatis ullam habere: quandoque vero coram sacerdotibus, ut eos ad sua narranda provocaret, de antiquissimis illis Athenarum historiis verba fecisse, Phoroneo primo et Niobe, postque inundationem mundi de Pyrrha et Deucalione eorumque posteritate, et de temporibus, quibus singula contigerunt: tunc ex sacerdotibus quemdam grandem natu dixisse: O Solon, Solon, Græci pueri semper estis, nec quisquam e Græcia senex. Cur istud diceret, percontante Solone, respondisse sacerdotem: Quia juvenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia: quod ideo vobis contigit, quia multa et varia hominum exitia fuerunt eruntque: maxima quidem aut ignis conflagratione aut aquæ inundationibus provenire necesse est, minora vero aliis quibuslibet calamitatibus fieri: nam quod apud vos fertur, Phaethontem quondam Solis filium currus ascendisse paternos, nec patris aurigatione servata exussisse terrena, ipsumque flammis cælestibus conflagrasse, quamvis fabulosum videatur, verum quodammodo esse putandum est: fit enim longo temporum intervallo cælestis circuitus permutatio quædam, quam inflammationis vastitas necessario sequitur: tunc hi, qui edita et arida incolunt loca, magis pereunt quam mari fluviisque vicini: nobis porro Nilus quum in plerisque rebus salutaris est, tum hujusmodi a nobis arcet exitium: quando vero Dii aquarum colluvione terræ sordes diluunt, pastores ovium atque bubulci, qui juga montium habitant, periculum illud evadunt: vestræ autem civitates, in planitie sitæ, impetu fluminum ad maria rapiuntur: sed in hac nostra regione neque tunc neque alias umquam aqua in agros superne descendit; contra vero sursum e terræ visceribus scaturit: quamobrem antiquissimarum rerum apud nos monumenta servantur: proinde, ubicumque nec imbrium tempestas nimia nec incendium ingens contingit, licet alias pauciores, alias plures, semper tamen homines sunt: quæcumque vero a nostris, sive a vestris, sive aliis nationibus gesta sunt memeratu digna, modo ad aures nostrorum

pervenerint, nostris in templis descripta servantur: apud vos quidem et alias gentes res gestæ nuper literis monumentisque traduntur; sed certis temporum curriculis illuvies immissa cælitus omnia populatur: ideo, qui succedunt, et literis et Musis orbati sunt: quo fit, ut quasi juvenes iterum sitis et rudes, præteritarum rerum omnium prorsus ignari: nam et ea ipsa, quæ modo ex vestris historiis recensebas, a fabulis puerilibus, o Solon, parum distant, primo, quod unius tantum inundationis memineritis, quum multæ præcesserint: deinde quod genus majorum vestrorum in regione vestra clarissimum et optimum ignoretis, ex quo tu et Athenienses ceteri nati estis, exiguo semine quondam publicæ cladi superstite: quod propterea vos latuit, quia superstites illi eorumque posteri literarum usu multis seculis caruerunt: fuit enim ante exitialem illam terræ illuvionem, o Solon, Atheniensium civitas tam belli quam pacis officiis præstantissima; ejusque opera legesque omnibus, quorum memoria ad nos pervenit, excelluerunt. Tunc admiratum Solonem obnixe sacerdotes obsecravisse ait, ut omnia diligenter priscorum civium opera revelarent. Atque illi sic a sacerdote quodam fuisse responsum: Nulla hoc invidia prohibet, Solon: dicam equidem libenter, tui et civitatis vestræ gratia: maxime vero gratia Deæ, quæ et vestram illam et hanc nostram condidit, educavit, instituit; priorem vestram annis mille, ex Terra et Vulcano accipiens semina: posterioris autem hujus nostræ urbis res octo annorum millibus gestæ in sacris literis continentur: illorum ergo civium, qui in hoc novem millium annorum tempore ante nos fuerunt, instituta et præclara facinora breviter, Solon, in præsentia tibi perstringam: deinceps vero, quum plus dabitur otii, accepto historiarum libro latius exponemus. Ac primum leges illorum considera, quo pacto cum his nostris conveniant: multa enim hic similia illis reperies: principio, quod sacerdotes separati ab omni turba vitam agunt: deinde varia opificum genera ita inter se discreta sunt, ut suum quisque agat, promiscue vero nullus: similiter pastorum, venatorum, agricolarum inter se distincta sunt opera: milites quoque hic, ut nosti, ab aliis omnibus segregati, bellica dumtaxat tractare a lege jubentur: armatura etiam, ut clypeorum jaculorumque usus, apud utrosque persimilis: his primi nos in Asia usi sumus, et Dea, ut illis in locis, sic vobis primis hæc tradidit: prudentiæ quoque et modestiæ magna, sicut vides, nostris legibus ab initio cura fuit; divinationis insuper et medicinæ: et sanitas nobis per hæc divinitus procurata:

demum quæcumque ad hæc attinent disciplinæ, diligenter institutæ a lege reperiuntur. Hujusmodi institutione et ordine priorem vestram urbem Dea a primordiis exornavit, quum in urbe condenda eam regionem elegisset, quæ ob aeris temperiem prudentissima ingenia procrearet: utpote enim bellicosa et sapiens Dea regionem eligendam censuit talem, quæ esset sui similes homines editura : his itaque legibus, vel etiam honestioribus institutionibus formati veteres Athenienses, omni virtutum genere ceteris omnibus excelluerunt, ut decebat eos, qui Diis geniti eruditique essent : multa quidem et mirabilia vestræ civitatis opera in monumentis nostris leguntur, sed unum magnitudine et virtute præcipuum facinus : traditur enim vestra civitas restitisse olim innumeris hostium copiis, quæ ex Atlantico mari profectæ prope jam cunctam Europam Asiamque obsederant : tunc enim erat fretum illud navigabile, habens in ore et quasi vestibulo ejus insulam, quas Herculis columnas cognominatis: ferturque insula illa Libya simul et Asia major fuisse; per quam ad alias proximas insulas patebat aditus, atque ex insulis ad omnem continentem e conspectu jacentem, vero mari vicinam: sed intra os ipsum portus angusto sinu fuisse traditur: pelagus illud verum mare, terra quoque illa vere erat continens: in hac Atlantide insula maxima et admirabilis potentia exstitit regum, qui toti insulæ illi multisque aliis et maximæ terræ continentis parti, præterea et his, quæ penes nos[1] sunt, dominabantur: siquidem tertiæ mundi parti, quæ Libya dicitur, usque ad Ægyptum imperaverunt; Europæ vero usque ad Tyrrhenum mare : horum vis omnis una collecta nostram, o Solon, vestramque regionem, et quidquid intra columnas Herculis continebatur, invasit : tunc vestræ civitatis virtus in omnes gentes enituit : quæ quum omnes magnanimitate bellicisque artibus antecelleret, partim una cum aliis Græcis, partim sola, ceteris deserentibus, extrema discrimina subiit hostesque expugnavit, amicis servata vel reddita libertate : post hæc ingenti terræ motu jugique diei unius et noctis illuvione factum est, ut terra dehiscens vestros illos una omnes bellicosos homines absorberet, et Atlantis insula sub vasto gurgite mergeretur: quam ob causam innavigabile pelagus illud propter absorptæ insulæ limum relictum fuit. Hæc, o Socrates, eorum, quæ Critias major a Solone accepta narrabat, summa est : sed dum præterito die de republica civibusque suis dissereres, subiit mihi quædam ex recordatione admiratio, cogi-

1. *Nos:* In ed. Bekkeri *non*, typographico sphalmate.

tanti videlicet divina quadam sorte factum esse, ut simillima quædam haud ab re Solonis historiæ traderes : ob eam vero causam nihil tunc protuli, quoniam ex diuturna negligentia non satis reminiscebar : satius igitur ipse censui, ut, priusquam referre vobis inciperem, mecum ipse repeterem: ideo vero statim imperio tuo consensi, quia confidebam, ut in rebus hujusmodi maxime decet, aliquid me, quod propositæ rei congrueret, reperturum: ita heri, ut iste ait, post discessum protinus his, prout tunc recordabar, recensui : a nocturnis deinde vigiliis pæne omnia recuperavi: profecto, quæ in pueritia discimus, diutius firmiusque, ut fertur, meminisse solemus : atque haud scio, an quæ heri audivi, referre nunc omnia memoriter possim: quæ vero puer accepi, mirabor equidem, si quid eorum e memoria mihi exciderit: ea quippe cum voluptate et joco audiebam, quum et senex ille libenter me doceret, et ego ab illo sedulo sciscitarer : quapropter quasi quædam literarum inustæ indelebiliter notæ ea mihi omnia infixa memoriæ permanserunt: atque his etiam ante solis ortum ipsa narravi, ut una mecum essent ad hanc orationem paratiores. Verum ut ad id, quo hæc omnia spectant, me conferam, paratus sum, o Socrates, non modo summatim, sed sigillatim, sicut audivi, omnia enarrare: civitatem utique et cives, quos quasi per fabulam hesterna disputatione finxisti, rem veram esse ponemus: civitatem quidem illam Atheniensem hanc urbem esse; cives quoque, quos ipse excogitabas, nostros illos majores, a sacerdote narratos, fuisse censebimus: nempe omnino hæc congruent; neque ab re fuerit, si cives tuos revera priscos illos exstitisse dixerimus: quare communiter rem ipsam inter nos partientes, conabimur omnes muneri abs te nobis imposito pro viribus satisfacere : sed vide, o Socrates, numquid sermonem hunc probemus, an alium exigamus. Socrates. At enim quem, o Critia, sermonem magis quam istum probabimus, qui præsentibus Deæ sacris propter propinquitatem quamdam mirifice congruit? maximum vero illud est, non fictam a nobis fabulam, sed veram historiam recenseri: quonam igitur pacto et unde, hac spreta, disputationem aliam exordiemur? certe non licet: ideo bonis fortunæ auspiciis oportet jam tam vos disserere, quam me pro hesterna narratione hodie silentio vos audire. Critias. Considera, Socrates, an commode mutuum tibi convivium disposuerimus : visum nobis est, ut Timæus, tamquam in astronomia nostrorum omnium peritissimus, maximeque in rerum natura cognoscenda versatus, primus edis-

serat, ita ut a mundi generatione exordiens usque ad generis humani naturam deveniat, atque ego deinde, suscipiens homines a Timæo quidem genitos, a Critia vero ut plurimum institutos, secundum Solonis sermonem legemque in judicium vestrum adducam, civitatisque istius cives efficiam eos, qui prisci illi Athenienses fuerunt, quos jam exstinctos sacræ Ægyptiorum literæ in lucem e tenebris eruerunt, adeo ut de illis deinceps tamquam de veteribus Atheniensibus verba fiant. SOCRATES. Copiosam et splendidam disputationis mensam apparavisse mihi videris : tua ergo interest, o Timæe, invocatis secundum legem Diis, disputationem jam exordiri. TIMÆUS. Probe consulis, Socrates : nam quum omnes, qui mentis quoquo modo compotes sunt, in operis cujuslibet vel magni vel parvi principio invocare Deum soleant : quanto nos æquius est, de Universo, sive genitum sit, sive ingenitum, disputaturos, nisi forte desipimus, invocare divinam opem? Ergo Deos omnes Deasque precamur, in primis quidem, ut ea dicantur a nobis, quæ illis placeant : deinde, ut nobis ipsi constemus : quantum ad Deos attinet, sic a nobis oratum sit : sed quod ad nos spectat, poscendum est, ut et vos facile assequamini, et ego secundum mentis propositum rem ipsam, de qua agitur, transigam. Principio ita mihi distinguendum esse videtur :]

II. Quid est quod[1] semper sit, neque ullum habeat ortum, et quod gignatur, nec umquam sit? Quo-

II. 1. *Quid est quod*, etc. Quum hic tantummodo incipiat verum dialogi argumentum, fieri potest præcedentia Ciceronem in versione sua omisisse, tamquam a materie alienam digressionem. Aut si Cicero verterat, ea forsan librarius consulto omisit. Hæc ubi sint in Platonis Timæo, supra indicavimus, not. 4, cap. I. — *Quid est quod semper sit, neque nullum habeat ortum.* Alio loco Timæi, dicit Plato non bene dici de hoc æterno numine *fuit* aut *erat*, sed tantum *est*. Simil. in Exod. III, 14 : « Dicit Deus Mosi, *Sum qui sum : dices filiis Israel: Ille qui est, me misit ad vos* ». Divus Augustinus, quum hos locos conferret, exclamabat Platonem sacros Christianorum libros cognovisse. De Civ. Dei, VIII, 11. Pulchram hanc Platonis de Deo sententiam egregie explicavit Fenelo noster, *Exist. de Dieu*, II, « C'est retomber dans l'idée du temps et confondre tout, que de vouloir imaginer en Dieu rien qui ait rapport à une succession: en lui rien ne dure, parce que rien ne passe : rien n'a été : rien ne sera : tout est fixe. O Dieu, vous ne pouvez souffrir aucun passé et aucun avenir en vous. C'est une folie que de vouloir diviser votre éternité, qui est une permanence indivisible : c'est vouloir que le rivage s'enfuie, parce qu'en descendant le long d'un fleuve je m'éloigne toujours de ce rivage immobile ». Vide etiam *Malebranche*, *Recherche de la vérité*, IV, 11. J.V. L.

rum alterum intelligentia et ratione comprehenditur, quod unum semper, atque idem est : alterum, quod affert[2] opinionem per sensus, rationis expers; quod totum opinabile est, id gignitur, et interit, nec umquam esse vere potest. Omne autem quod gignitur, ex aliqua causa gigni necesse est; nullius enim rei, causa remota, reperiri origo potest. Quocirca si is, qui aliquod munus efficere molitur, eam speciem, quæ semper est eadem, intuebitur, atque eam sibi proponet exemplar, præclarum opus efficiat necesse est; sin autem illam, quæ gignitur, numquam illam, quam expetet, pulchritudinem consequetur. Omne igitur cælum[3], sive mundus, sive quovis alio vocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatus sit. De quo id primum consideremus, quod principio est in omni quæstione considerandum, semperne fuerit, nullo generatus ortu; an ortus sit, ab aliquo temporis principatu[4]. Ortus est, quandoquidem cernitur, et tangitur, et est undique corporatus. Omnia autem talia sensum movent; sensusque moventia quæ sunt, eadem in opinione considunt, quæ ortum habere, gignique dixi-

2. *Alterum, quod affert.* Legendum videtur : « alterum quod affert opinionem per sensus rationis expertes, totum inopinabile est, et gignitur, et interit, etc. » Jam Lambin. pro vulg. *expers* maluit *expertes*. Est enim apud Platonem μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου; quæ correctio J. V. L. placet, quamvis eam in textum non admittat.

3. *Omne igitur cælum.* Ex hoc patet vocem οὐρανὸς in Platone, et *cælum* in Cicerone, *universum* notare, quod multis quoque aliis locis probatur. Macrob. in Comm. Somn. Scipion. II, 11, expresse dicit : « mundus proprie cælum vocavit ». Vide Aristot. de Cælo, I, 9; Procl. in Tim. pag. 307; Chalcid. in Tim. p. 97. Quod notandum erat, quia plerique Platonis interpretes in hoc erraverunt, quod hujus vocis sensum in Platone minime intellexerint.

4. *An ortus sit, ab al. temp. principatu. Ortus est, quandoque.* Sic recte Lambinus. Nam apud Plat. est : σκεπτέον οὖν δὴ περὶ αὐτοῦ πρῶτον ... πότερον ἦν ἀεί, γενέσεως ἀρχὴν ἔχων οὐδεμίαν, ἢ γέγονεν, ἀπ' ἀρχῆς τινος ἀρξάμενος. Γέγονεν, etc. Vulgo « an ortus sit, an (repetita particula *an*) ab aliquo temp. principatu ortus est, quandoque ». Sch.

mus : nihil autem gigni posse sine causis. Atque illum quidem quasi parentem hujus universitatis invenire, difficile : et quum jam inveneris, indicare in vulgus, nefas [5]. Rursus igitur videndum, ille fabricator tanti operis utrum sit imitatus exemplar, idne, quod semper unum et idem, et sui simile, an id, quod generatum ortumque dicimus. Atqui si pulcher est hic mundus, si probus ejus artifex [6]; profecto speciem æternitatis imitari maluit : sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum exemplum est pro æterno sequutus. Non igitur dubium, quin æternitatem maluerit exsequi [7], quandoquidem neque mundo quidquam pulchrius, neque ejus ædificatore præstantius. Sic ergo generatus, ad id est effectus, quod ratione sapientiaque comprehenditur, atque immutabili [8] æternitate

5. *Parentem... indicare in vulgus, nefas.* In lib. de Nat. Deor. Velleius Epicureus ait, huic loco alludens, «qui in Timæo, patrem hujus mundi nominari neget posse», ubi singularem Ern. Sch. Kindervateri negligentiam notavimus, qui legunt *partem hujus mundi;* quum vel minimum accurate Platonem legentibus patere debuisset his verbis verti verba Platonis πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς, quæ præsenti in loco vertit Cicero, «parentem hujus universitatis». J. V. L.

6. *Artifex.* Hoc est verbum quo Cic. vertit illud vocabulum in Platonica philosophia celebre, δημιουργός. Th. *Gale* (in Iamblich. de Myst. V, 9, pag. 266) hoc vocabulum restitutum vellet in scholiis Lactantii ad quartum Statii librum, loco alterius voc. non minus ap. magicos celebrati, δημογοργὼν (quod quidem apud antiquos non reperitur); quum scholiastes se Pythagoræ, Platonis et Tagis sermonem usurpare declaret. Adde ab illo hoc numen definiri «ceterorum numinum ordinator». Hic est *Kneph* Ægyptius, de quo Euseb. Pr. Evang. III, 11; Plutarch. in Isid. Mosheim. in Cudworth. IV, 18 et 32; Brucker. Histor. philos. vol. I, pag. 293, 300, etc. J. V. L.

7. *Maluerit exsequi.* Vulgo *sequi.*

8. *Atque immutabili æternitate continetur.* Satis obscura sententia præclaram lucem accipit e verbis nostri *Malebranche*, *Recherche de la vérité,* III, 2, 5 : «Il est indubitable qu'il n'y a avait que Dieu seul avant que le monde fût créé, et qu'il n'a pu le produire sans connaissances et sans idées; que ces idées ne sont point différentes de lui-même; et qu'ainsi toutes les créatures, même les plus matérielles et les plus terrestres, sont en Dieu, quoique d'une manière toute spirituelle et que nous ne pouvons comprendre».

continetur. Ex quo efficitur, ut sit necesse, hunc, quem cernimus, mundum, simulacrum [æternum] esse alicujus æterni. Difficillimum autem est in omni conquisitione rationis, exordium[9]. De iis igitur, quæ diximus, hæc sit prima distinctio.

III. In omni oratione cum iis rebus, de quibus explicandum, videtur esse cognitio[1]. Itaque quum de re stabili et immutabili disputatur, oratio talis sit, qualis sit illa, quæ neque redargui, neque convinci potest[2]. Quum autem ingressa est imitata et efficta simulacra, bene agi putat[3], si similitudinem veri consequatur. Quantum enim ad id, quod ortum est, æternitas valet; tantum ad fidem veritas. Quocirca si forte, de deorum natura, ortuque mundi disserentes, minus id, quod[4] habemus animo, consequimur, ut tota dilucide et plane exornata oratio sibi constet, et ex omni parte secum ipsa consentiat : haud sane erit mirum, contentique esse debebitis, si probabilia dicentur. Æquum est enim meminisse, et me, qui disseram, hominem esse, et vos, qui judicetis : ut, si probabilia dicentur, nil ultra requiratis.

Quæramus igitur causam, quæ eum impulerit, qui hæc machinatus sit, ut originem rerum, et molitio-

9. *Difficillimum ..... exordium.* Plato : μέγιςον δὴ παντὸς ἄρξασθαι κατὰ φύσιν ἀρχήν. Ficinus vertit : « Rationem vero originis naturaliter explicare difficillimum est ». Sch.

III. 1. *In omni oratione ... cognitio.* Hæc lectio sine dubio corrupta est. Lambinus corrigebat : « omni rationi cum iis rebus de quibus explicandum est videtur esse cognatio ». P. Manut. ita : « in omni oratione cum iis rebus de quibus explicatur, videtur esse cognatio ». Græca Platonis hæc sunt : ὡς ἄρα τοὺς λόγους, ὧνπερ εἰσὶν ἐξηγηταὶ, τούτων καὶ ξυγγενεῖς ὄντας. Itaque malim : « omni orationi cum iis rebus, de quibus explicatur (*vel* quarum est explicatrix) videtur esse cognatio ». Sch. — Sic quoque censet et vertit J. V. L.

2. *Potest.* Ern. *possit.*

3. *Bene agi putat.* Lambin. *bene agi putet.*

4. *Minus id, quod habemus, animo consequimur.* Lambin. « minus id, quod avemus, omnino consequemur ». Fortasse verius : « minus id, quod habemus in animo, consequemur ». Sch.

nem novam quæreret. Probitate videlicet præstabat: probus autem invidet nemini. Itaque omnia sui similia[5] generavit. Hæc nimirum gignendi mundi causa justissima. Nam quum constituisset Deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiscere, quoad natura pateretur: quidquid erat, quod in cernendi sensum caderet, id sibi assumpsit[6], non tranquillum et quietum[7]; sed immoderate agitatum et fluctuans, idque ex inordinato in ordinem adduxit: hoc enim judicabat esse præstantius. Fas autem nec est, nec umquam fuit, quidquam nisi pulcherrimum facere eum, qui esset optimus. Quum rationem igitur[8] habuisset, reperiebat, nihil esse eorum, quæ natura cernerentur, non intelligens, intelligente, in toto genere, præstantius; intelligentiam autem ulli rei adjunctam esse sine animo, nefas esse. Quocirca intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore. Sic ratus est opus illud effectum esse pulcherrimum. Quam ob causam non est cunctandum profiteri, si modo investigari aliquid conjectura potest, hunc mundum, animal esse, idque intelligens, et divina providentia constitutum.

IV. Hoc posito; quod sequitur, videndum est, cujusnam animantium Deus in fingendo mundo similitudinem sequutus sit. Nullius profecto, eorum quidem, quæ sunt nobis nota animantia. Sunt enim omnia in

5. *S. similia*. Cic. perperam negligit ὅτι μάλιστα. J. V. L. — Cf. Genes. I, 4: « vidit Deus lucem quod esset bona »; et similia ibid. vv. 10, 12, 18, 31.

6. *Id sibi assumpsit*. Pronomen *sibi* delendum censuit Lambin. Apud Platonem est οὕτω πᾶν ὅσον ἦν ὁρατὸν παραλαβών. Sch.

7. *Non tranquillum et quietum*. Ex his magna oritur quæstio: an materia ante mundum exstiterit, an ipsa cum mundo a Deo formata fuerit? In hoc Timæi loco Plato dicere videtur ante mundum creatum materiam exstitisse. Sed, ex aliis Platonis locis (Sophist. pag. 185; Phileb. pag. 378 edit. Francof.) arbitror Platonem materiam a Deo formatam credidisse. Ceterum conf. Nat. Deor. III, 25, ibique notas. J. V. L.

8. *Quum rationem igitur habuisset.*

quædam genera partita, aut inchoata, nulla ex parte perfecta. Imperfecto autem, nec absoluto simile, pulchrum esse nihil potest. Cujus ergo omne animal quasi particula quædam est, sive in singulis, sive in diverso genere[1] cernatur, ejus similem mundum esse dicamus. Omnes igitur[2], qui animo cernuntur, et ratione intelliguntur animantes, complexu rationis et intelligentiæ, sicut homines, hoc mundo, et pecudes, et omnia, quæ sub adspectum cadunt, comprehenduntur. Quod enim pulcherrimum in rerum natura intelligi potest, et quod ex omni parte absolutissimum est, quum Deus similem mundum efficere vellet, animal unum[3], adspectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. Rectene igitur unum mundum dixerimus, an[4] sint plures, an innumerabiles, dictu verius et melius[5]. Unus profecto, siquidem factus est ad exemplum. Quod enim omnes ani-

Lambinus : « quum rationem igitur hanc habuisset ». — *Nihil esse.* Rectius *fore*, ut in Græcis.

IV. 1. *Sive in singulis, sive in diverso genere.* Lambin. « sive in universo genere ». Apud Platonem : οὗ δ' ἔστι τἆλλα ζῶα καθ' ἓν καὶ κατὰ γένη μόρια. Sch.

2. *Omnes igitur.* Gedike, in Cic. Hist. philos. antiquæ, hic, ut passim, græca magis perspicua putat. J. V. L.

3. *An. unum.* His alludit *Voltaire*, *Quest. sur l'Encycl. art. Platon* : « Je ne reprocherai point à Platon d'avoir dit, dans son *Timée*, que le monde est un animal; car il entend sans doute que les éléments en mouvement animent le monde, et il n'entend pas par animal un chien et un homme qui marchent, qui sentent, qui mangent, etc. Il faut toujours expliquer un auteur dans le sens le plus favorable; et ce n'est que lorsqu'on accuse les gens d'hérésie, ou quand on dénonce leurs livres, qu'il est de droit d'en interpréter malignement toutes les paroles et de les empoisonner ».

4. *Quod enim ... absolutissimum est, quum Deus similem mundum efficere vellet.* Verissime Lambin. « ei quum Deus s. m. e. v. » In græco est : τῷ γὰρ τῶν νοουμένων καλλίστῳ καὶ κατὰ πάντα τελέῳ μάλιςʼ αὐτὸν θεὸς ὁμοιῶσαι βουληθείς. Sch.— Certe si *ei* non addas cum Lambino, subintelligendum est, ut sententia auctoris pateat.

5. *Rectene ... verius et melius.* Hæc ita corrigenda sunt, ut opinor : « Rectene igitur unum mundum dixerimus, an plures esse et innumerabiles dictum sit verius et melius? » Plato enim his verbis utitur : Πότερον οὖν ὀρθῶς ἕνα οὐρανὸν προσειρήκαμεν, ἢ

mantes eos, qui ratione intelliguntur, complectitur, id non potest esse cum altero. Rursus enim alius animans, qui[6] eum contineat, sit necesse est, cujus partes sint animantes superiores, cælumque hoc, simulacrum illius ultimi sit, non proximi. Quorum ne quid accideret, atque ut hic mundus esset animanti absoluto simillimus, hoc ipso, quod solus atque unus esset, idcirco singularem Deus hunc mundum, atque unigenam procreavit. Corporeum autem, et adspectabile, itemque tractabile omne necesse est esse, quod natum est. Nihil porro, igni vacuum, videri potest; nec vero tangi, quod careat solido; solidum autem nihil, quod terræ sit expers. Quamobrem mundum efficere moliens Deus, terram primum, ignemque jungebat. Omnia autem duo ad cohærendum, tertium aliquid requirunt, et quasi nodum vinculumque desiderant. Sed vinculorum id est aptissimum atque pulcherrimum, quod ex se, atque de his[7], quæ adstringit, quam maxime unum efficit. Id optime assequitur, quæ græce ἀναλογία, latine (audendum est enim, quoniam hæc primum a nobis novantur) comparatio, proportiove dici potest.

V. Quando enim trium vel numerorum, vel figurarum, vel quorumcumque generum, contingit, ut quod medium sit, uti primum[1] proportione, ita id

πολλοὺς καὶ ἀπείρους λέγειν ἦν ὀρθότερον. Scн. — J. V. *Leclerc* putat corrigendum *an esse plures.*

6. *Qui eum contin.* Leg. *eos.* Græc. ἐκείνῳ, et post, οὗ μέρος ἂν ἤτην ἐκείνῳ. — Nobis clarior Ciceronis loco videtur h. l. Ficini versio, quæ habet: « alioquin aliud animal, quod hæc dico contineat, esse oporteret, cujus duo hæc partes sint: nec illorum, sed tertii hujus, mundus hic simulacrum rectius diceretur ».

7. *Quod ex se atque de his.* Lamb. « quod ex se atque ex his, quæ adstringit », quod J. V. L. probat.

V. 1. *Ut quod medium sit, uti primum.* Lambin. « ut veluti ei quod medium sit primum ». Scн. — Simplicius corrigendum *ut ei primum* arbitratur J. V. L. et illam lect. vertit.

postremo comparetur, vicissimque ut extremum cum medio, sic medium cum primo conferatur : id quod medium est, tum primum fit, tum postremum; postrema vero, et prima media fiunt; ita necessitas cogit, ut eadem sint ea, quæ dijuncta fuerunt[2]; eadem autem quum facta sint, efficitur, ut omnia sint unum. Quod si universitatis corpus planum et æquabile explicaretur, neque in eo quidquam esset requisitum : unum interjectum medium, et se ipsum, et ea, quibus esset interpositum, colligaret. Sed quum soliditas mundo quæreretur; solida autem omnia uno medio numquam, duobus semper copulentur : ita contigit, ut inter ignem et terram, aquam Deus, animamque poneret, eaque inter se compararet, et proportione conjungeret, ut quemadmodum ignis animæ, sic anima aquæ; quodque anima aquæ, id aqua terræ proportione redderet. Qua ex conjunctione cælum ita aptum est, ut sub adspectum et tactum cadat. Itaque et ob eam causam, et ab iis rebus, numero quatuor, mundi est corpus effectum, ea constructum proportione, qua dixi : ex quo ipse se concordi quadam amicitia et caritate complectitur; atque ita apte cohæret, ut dissolvi nullo modo queat, nisi ab eodem, a quo est colligatus. Earum autem quatuor rerum, quas supra dixi, sic in omni mundo omnes partes collocatæ sunt, ut nulla pars hujusce generis excederet extra, atque in hoc universo inessent genera illa universa. Id ob eas causas, primum ut mundus animans possit ex perfectis partibus esse perfectus; deinde ut unus esset, nulla parte, unde alter gigneretur, relicta; postremo ne quis morbus eum possit[3], aut sene-

2. *Dijuncta fuerunt.* Lambin. *dijuncta fuerant.*

3. *Primum ut mundus animans possit... postremo ne quis morbus eum*

ctus affligere. Omnis enim coagmentatio corporis, vel calore, vel frigore, vel aliqua impulsione vehementi labefactatur et frangitur, et ad morbos senectutemque compellitur. Hanc igitur habuit rationem effector mundi molitorque Deus, ut unum opus totum atque perfectum ex omnibus totis atque perfectis absolveretur, quod omni morbo seniove careret.

VI. Formam autem et maxime sibi cognatam, et decoram dedit. A quo enim animante omnes reliquos contineri vellet animantes, hunc ea forma figuravit, qua una omnes reliquæ formæ concluduntur : et globosus est fabricatus; quod σφαιροειδὲς[1] Græci vocant; cujus omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur; idque ita tornavit, ut nihil effici possit rotundius, nihil ut asperitatis haberet, nihil offensionis, nihil inclusum angulis[2], nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum; omnesque partes simillimæ omnium, quoad ejus præstabat judicio dissimilitudini similitudo. Omni autem totam figuram mundi lævitate circumdedit : nec enim oculis egebat[3], quia nihil extra,

possit. Recte Lambinus utroque loco *posset.* Pro *affligere* in MS, teste Gronovio, est *attingere,* et infra pro *senio careret,* legitur *senio vacaret.* SCH.

VI. 1. Σφαιροειδὲς *Græci vocant.* Vide Aristotel. de Cælo, II, 8; Cic. de Nat. Deor. I, 10, II, 18. *Bernardin de Saint-Pierre, dixième Étude,* ait : « Le cercle est la plus belle de toutes les formes élémentaires, comme le rouge est la plus belle de toutes les couleurs primordiales. Je ne dirai point, comme quelques philosophes anciens, que cette figure est la plus belle parce qu'elle est celle des astres, ce qui au fond ne serait pas une si mauvaise raison ; mais, à n'employer que le témoignage de nos sens, elle est la plus douce à la vue et au toucher; elle est la plus susceptible de mouvement; enfin, ce qui n'est pas une petite autorité dans les vérités naturelles, elle est regardée comme la plus aimable au goût de tous les peuples ». J. V. L.

2. *Nihil inclusum angulis.* Melius Lambin. « nihil incisum angulis », ut est de Nat. Deorum, II, cap. 18. Sed omnia ista « nihil ut asperitatis haberet..... nihil lacunosum », interpolata videntur ex lib. II de Natura Deor. supra laudato; neque eorum ullum est apud Platonem vestigium.

3. *Nec enim oculis egebat.* Si ocu-

quod cerni posset, relictum erat; nec auribus, quia ne quod audiretur quidem; neque erant anima circumfusa extrema mundi, ut respirationem requireret; nec vero desiderabat aut alimenta corporis, aut detractionem confecti et consumpti cibi; neque enim ulla decessio fieri poterat, neque accessio: neque vero erat unde. Ita se ipse consumptione et senio alebat sui, quum ipse per se, et a se et pateretur, et faceret omnia. Sic enim ratus est ille, qui ista junxit et condidit, ipsum se contentum esse mundum, neque egere altero. Itaque nec ei manus affixit, quia nec capiendum quidquam erat, nec repellendum; nec pedes, nec alia membra, quibus ingressus corpore sustineret[4]. Motum enim dedit cælo eum, qui figuræ ejus sit aptissimus, qui unus ex septem motibus[5] mentem atque intelligentiam cohiberet maxime. Itaque una conversione atque eadem ipse circum se torquetur et vertitur. Sex autem reliquos motus ab eo separavit; itaque eum ab omni erratione liberavit. Ad hanc igitur conversionem, quæ pedibus et gradu non egeret, ingrediendi membra non dedit. Hæc Deus is, qui erat, de aliquando deo futuro cogitans, lævem eum effecit et undique æquabilem, et a medio ad summum parem et perfectum atque absolutum ex absolutis atque per-

los, vel aures habuisset, non fuisset omnino lævis; nam hæc organa corporis lævitatem rumpent.

4. *Quibus ingressus corpore sustineret.* VV. DD. corrigunt « quibus ingressus corpus sustineret »; cui assentiunt Schütz. et J. V. L. Alii habent *ingressum.*

5. *Qui unus ex septem motibus mentem atque intelligentiam cohiberet maxime.* Lambinus corrigit, « qui u. e. s. m. menti atque intelligentiæ conveniret maxime », quam corr. inutilem J. V. L. arbitratur. — Septem motus de quibus agitur hi sunt: dextrorsum, sinistrorsum, ante, retro, sursum, deorsum, et in se ipsum. Vid. Procl. de motu, II, 17. Ipse noster, in alio Timæi loco (cap. 13 in Cic. versione), sex tantummodo motus memorat, τὰς ἓξ ἁπάσας κινήσεις. Sed hoc in altero loco agit de motibus homini concessis, quos inter non est motus in se ipsum. J. V. L.

fectis. Animum autem ut in eo medio collocavit, ita per totum tetendit; deinde eum circumdedit[6] corpore, et vestivit extrinsecus; cæloque solivago, et volubili, et in orbem incitato complexus est, quod secum ipsum propter virtutem facile esse posset, non desideraret alterum, satis sibi ipsum notum et familiare. Sic Deus ille æternus hunc perfecte beatum deum procreavit. Sed animum haud ita, ut modo loquuti sumus, tum denique, quum corpus ei effecisset, inchoavit[7]; neque enim esset rectum, minori parere majorem: sed nos multa inconsiderate ac temere dicimus.

VII. Deus autem et ortu, et virtute antiquiorem genuit animum, eumque ut dominum, atque imperantem, obedienti præfecit corpori; idque molitus tali quodam est modo. Ex materia, quæ individua est, et quæ semper unius modi, suique similis, et ex ea, quæ corporibus[1] dividua gignitur, tertium materiæ genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset ejusdem naturæ, et quod alterius; idque interjecit inter individuum, atque id, quod dividuum esset in

6. *Deinde eum circumdedit corpore.* J. V. L. malit *circumdedit corpori.* Ficinus vertit « atque ea (anima) corpus ipsum, etiam extrinsecus circumtexit ». Interpres gallicus, « au dehors même, il lui fit envelopper le corps du monde ». In Platone est καὶ ἔτι ἔξωθεν τὸ σῶμα αὐτῇ περιεκάλυψε ταύτῃ.—J.V. L. observat ex hoc forsan Platonis loco ortam esse novorum Platonicorum sententiam, qui animam mundi non ἐγκόσμιον, materiæ inhærentem, sed ὑπερκόσμιον, supramundanam, omnino cælestem, et ceteris duobus hypostasibus consubstantialem, ὁμοούσιον, statuebant. Mosheim, in Cudworth. Syst. intell. t. I, p. 680), eos accusat, quod hac ratione tentaverint christianam Trinitatem imitari.

7. *Sed animum haud ita ... inchoavit.* Intell. Sed erravimus, quum creationem animæ post materiæ formationem statuimus; nam statuendum est animam ante formatum corpus creatam fuisse; neque enim esset rectum, si minor ætate majorem ætate regeret.

VII. 1. *Et ex ea quæ corporibus dividua gignitur.* Lambin. dedit « et ex ea quæ in corporibus dividua gignitur ».

corpore[2]. Ea quum tria sumpsisset, unam in speciem temperavit; naturamque illam, quam alterius diximus, vel cum eadem conjunxit[3], fugientem, et ejus copulationis alienam. Permiscens cum materia, quum ex tribus effecisset unum, id ipsum in ea, quæ decuit, membra partitus est: jam partes singulas ex eodem, et ex altero, et ex materia temperavit. Fuit autem talis illa partitio[4]. Unam principio partem detraxit ex toto; secundam autem primæ partis duplam; deinde tertiam, quæ esset secundæ sesquialtera, primæ tripla; deinde quartam, quæ secundæ dupla esset; quintam inde, quæ tertiæ tripla; tum sextam octuplam primæ; postremo septimam, quæ septem et viginti partibus antecederet primæ. Deinde instituit dupla et tripla intervalla explere, partes rursus ex toto desecans;

2. *Quod dividuum esset in corpore.* Fuere qui h. l. Platonicam Trinitatem deprehendere voluerint: hoc tantum Plato dicit, mundi animam medium tenere inter superiorem et individuam universi partem, et partem inferiorem et dividuam, atque ex his duobus partibus formatam esse animam mundi. Prima pars fere semper in Timæo appellatur ταυτὸ καὶ ὅμοιον (le même), et altera, θάτερον (l'autre). *Le Batteux*, in animadversionibus in Timæum Locrensem, satis lucide explicat has voces: « *Le Même* signifie un principe de mouvement ordonné à une fin, et qui tend à unir les substances par une forme régulière; *l'Autre* signifie le principe de mouvement désordonné, contraire à celui de Dieu; principe qui agit au hasard, et qui tend à désunir et décomposer: l'un est Dieu; l'autre la matière ». Vide etiam *Le Batteux*, *Histoire des causes premières*, p. 275.

3. *Vel c. ead. conjunxit.* P. Man. recte censuit legendum esse « vi cum ea conjunxit » ex græco τὴν θατέρου φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς ταυτὸ συναρμόττων βίᾳ.—Idem paullo post verba « permiscens cum materia a superioribus » distinguenda et sic rescribenda esse vidit: « copulationis alienam. Permiscens autem cum materia.... » ut est apud Platonem: Μιγνὺς δὲ μετὰ τῆς οὐσίας. Sch.

4. *Fuit autem talis hæc partitio.* J. V. L. fatetur se h. l. non magis Platonem intelligere quam Theonem Smyrnensem, Iamblichum, Proclum, et Ciceronem ipsum, qui, quamquam quid valeant Platonis numeri e Somnio Scipionis intellexisse videri possit, tamen in Epist. ad Att. VII, 13, de re obscura dicit hyperbolice *numero Platonis obscurius.* Ficinus, ut lucem h. l. afferat, fingit triangulum, unitatemque collocat in uno angulorum, et in aliis angulis numeros sequentes 2. 3. 4. 8. 9. 27. in altera parte ponens numeros pares, in altera

quas intervallis ita locabat, ut in singulis essent bina media (vix enim audeo dicere medietates, quas Græci μεσότητας appellant : sed quasi ita dixerim, intelligatur; erit enim planius). Earum alteram, eadem parte præstantem extremis, eademque superatam ; alteram pari numero præstantem extremis, parique numero superatam. Sesquialteris autem intervallis, et sesquitertiis, et sesquioctavis sumptis ex his colligationibus in primis intervallis, sesquioctavo intervallo sesquitertia omnia explebat, quum particulam singulorum relinqueret. Ejus autem particulæ[5] intervallo habebat numerus ad numerum eamdem proportionem comparationemque in extremis, quam habent CCLVI cum CCXLIII; atque ita permixtum illud, ex quo hæc secuit, jam omne consumpserat. Hanc igitur omnem conjunctionem, duplicem in longitudinem diffidit; mediæque accommodans mediam, quasi decussavit; deinde in orbem torsit, ut et ipsæ secum, et inter se, ex commissura, quæ e regione esset, jungerentur; eoque motu, cujus orbis semper in eodem erat, eodemque modo ciebatur, undique est eas circumplexus. Atque ita quum alterum esset exteriorem, alterum

impares, ex quibus procedunt hæ geometricæ progressiones, duplices et triplices, 1. 2. 4. 8. et 1. 3. 9. 27. Ea est progressio primorum numerorum, quæ est progressio planetarum inter sese. Eodem modo Ficinus explicat proportiones, seu medios proportionales, qui intervallum occupant, inter duos extremos positum : sed illius supputationes longiores sunt, quam ut hic explicari possint. Vid. L. *Le Roy*, fol. 31 sqq. in versione Timæi, ubi explicationes Ficini gallice vertere conatus est. Vide quoque, si libet, in *Mémoires de l'Académie des Inscriptions* notas quibus *Burette* illustravit opus de Musica Plutarcho tributum. J. V. L. — Nos vero non possumus, quin confiteamur hæc somnia non tanti valere, ut quidquid ad illa explicanda conemur.

5. *Ejus autem particulæ intervallo.* Recte Victor. et Junta addunt *relicto*, quod fecit Ficinus, et probat J.V. L. Atque Gronovius in MS X additum vidit *adrelicto*. Et apud Platon. est : τῆς τοῦ μορίου ταύτης διαστάσεως λειφθείσης. SCH.

interiorem amplexus orbem[6]: illum ejusdem naturæ; hunc, alterius nominavit[7]; eamque, quæ erat ejusdem, detorsit a latere in dextram partem; hanc autem citimam[8], a media linea direxit ad lævam: sed principatum dedit superiori[9], quam solam[10] individuam reliquit. Interiorem autem quum in sex partes divisisset, septem orbes dispares duplo et triplo intervallo moveri jussit, contrariis inter se cursibus. Eorum autem trium fecit pares celeritates; sed quatuor, et inter se dispares, et dissimiles trium reliquorum[11].

VIII. Animum igitur quum ille procreator mundi Deus ex sua mente et divinitate genuisset, tum denique omne, quod erat concretum atque corporeum, substernebat animo, interiusque faciebat; atque ita medio medium accommodans copulabat. Sic animus a medio profectus, extremitatem cæli a suprema regione rotundo ambitu circumjecit, seseque ipse versans, divinæ, sempiternæ, sapientisque vitæ induxit

6. *Atque ita quum alterum esset exteriorem amplexus orbem.* Vulgo legitur « Atqui ita quum alterum esset exteriorem amplexus orbem : illum ejusdem naturæ, etc. » P. Man. quem in versione gallica J. V. *Leclerc* sequutus est, correxit : « atque ita quum alterum esset exteriorem, alterum interiorem amplexus orbem ». Lambinus vero : « atque ita quum alter esset exterior, alterum interiorem amplexus orbem ». Plato : καὶ τὸν μὲν ἔξω, τὸν δ' ἐντὸς ἐποιεῖτο τὸν κύκλον.

7. *Quidem... alterius.* Vide supr. not. 2 hujus cap.

8. *Eamque, quæ erat ejusdem... ...hanc autem citimam.* P. Manut. emendabat : « eumque qui erat ejusdem detorsit a latere in dextram partem, hunc autem alterius », omisso verbo *citimam*, quod aberat in codice Maffæi. Lambinus autem : « eumque qui erat ejusdem detorsit a latere in dextram partem hunc autem citimum ». Apud Platonem est ἐποιεῖτο τῶν κύκλων. Τὴν μὲν οὖν ἔξω φορὰν ἐπεφήμισεν εἶναι τῆς ταυτοῦ φύσεως, τὴν δ' ἐντὸς τῆς θατέρου. Vulgata igitur defendi posset, si legeretur « eamque conversionem (φορὰν) quæ erat ejusdem, etc. » Sch.

9. *Principatum dedit superiori.* Lambin. correxit « principatum dedit exteriori ».

10. *Quam solam individuam.* Lambin. « quem solum individuum ».

11. *Et dissim. trium reliquorum.* Lambin. « et dissimiles trium reliquorum cum ratione tamen ». Plato :

exordium. Et corpus quidem cæli spectabile[1] effectum est, animus autem oculorum effugit obtutum. Est autem animus ex omnibus, rationis, contentionisque (ἁρμονίη græce) sempiternarum rerum, et sub intelligentiam cadentium, compos et particeps[2]; quo nihil ab optimo et præstantissimo genitore melius procreatum: quippe qui ex eadem vinctus, alteraque natura, adjuncta materia, temperatione trium partium, proportione compacta, se ipse conversans, quum materiam mutabilem arripuisset, et quum rursus individuam atque simplicem, per quam omnis movetur[3], discernitque, quid sit ejusdem generis, et alterius, et cetera dijudicat, quid cuique rei sit maxime aptum, quid quoque loco, aut modo, aut tempore contingat; quæque distinctio sit inter ea, quæ gignantur, et ea, quæ sint semper eadem. Ratio autem vera, quæ versatur in iis, quæ sunt semper eadem, et in iis, quæ mutantur, quum in eodem, et in altero movetur ipsa per se sine voce, et sine ullo sono, quum eamdem

ἀλλήλοις καὶ τοῖς τρισὶν ἀνομοίως, ἐν λόγῳ δὲ φερομένους. Sch.

VIII. 1. *Spectabile.* Lambinus dat *adspectabile.*

2. *Est autem animus . . . . . compos et particeps.* P. Manutius comparatis Platonis verbis sic emendabat: « Est autem animus ex omnibus rationis concentionisque (ἁρμονίη græce) compos et particeps; quo nihil ab optimo et præstantissimo sempiternarum rerum et sub intelligentiam cadentium ab optimo et præstantissimo genitore melius procreatum ». Quam Manutii conjecturam J. V. L. satis probat: sed idem declarat ceteras ejus in hoc loco conjecturas minus a se probari. Lambinus ita: « Est autem animus ex omnibus, rationis, concentionisque (ἁρμονίας græce) sempiternarum rerum et sub intelligentiam cadentium compos et particeps, quo nihil eorum quæ procreata sunt ab optimo et præstantissimo genitore melius procreatum ». Sch.

3. *Quippe qui ex eadem vinctus . . . per quam omnis movetur.* P. Manutius h. l. e græcis verbis ita correxit: « quippe qui ex eadem junctus, alteraque natura, adjuncta materia, temperatione trium partium, proportione compactus, se ipse conservans, quum materiam mutabilem arripuit, et quum rursus individuam ac simplicem, in se omnis movetur ».—Ceterum hæc omnia valde corrupta videntur.

partem attingit, qua sensus cieri potest; orbis[4] illius generis alterius immutatus et rectus omnia animo mentique denuntiat: tum opiniones adsensionesque firmæ[5] veræque gignuntur. Quum autem in illis rebus vertitur, quæ manentes semper eædem, non sensu, sed intelligentia continentur; tum intelligentia scientiaque necessario efficitur[6].

[Hæc quisquis in alio quam in anima fieri dixerit, a vero penitus aberrabit. Quum igitur hoc a se factum sempiternorum deorum simulacrum moveri et vivere pater ille, qui genuit, animadverteret, delectatus est opere, et hac ductus lætitia opus suum multo etiam magis primo illi exemplari simile reddere cogitavit: itaque quemadmodum illud sempiternum animal est, ita universum hoc pro viribus tale facere statuit: illius quidem animalis æterna natura est: quod genito operi congruere omnino non potest: idcirco imaginem ævi mobilem effingere decrevit: ac dum cælum exornaret, fecit æternitatis in unitate manentis æternam quamdam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus: dies porro et noctes, et menses, et annos, qui ante cælum non erant, tunc nascente mundo nasci jussit: quæ omnia temporis partes sunt: atqui erat et erit, quæ nati temporis species sunt, non recte æternæ substantiæ assignamus: dicimus enim de illa, est, erat et erit: sed illi re vera solum esse competit: fuisse vero et fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus: motus enim quidam duo illa sunt: æterna autem substantia quum eadem semper et immobilis perseveret, neque senior se ipsa fit umquam neque junior, neque fuit hactenus, neque erit in posterum, neque recipit eorum quidquam, quibus res corpo-

4. *Quum eamdem partem attingit ... orbis.* Lambinus: « quumque eam partem attingit, qua sensus cieri potest, et orbis ». P. Manutius corrigit « orbisque illius generis alterius » ex græco vertens, καὶ ὁ τοῦ θατέρου κύκλος. Sch.

5. *Opiniones assensionesque firmæ.* Gothofredus c. aliis « ascensionesque firmæ ». Victorius cum Junta edidit « assensionesque ». In MS erat nota, quam vix assequebar, nisi si fuit « opiniones firmæ » neglecta media voce. Certe Chalcidius reddidit: « cunctæ animæ rectæ opiniones et dignæ credulitate nascuntur », non geminato substantivo. Gron.

6. *Necessario efficitur.* Lambinus « necessario efficitur atque absolvitur ». Sch.

reæ mobilesque ex ipsa generationis conditione subjiciuntur: nempe hæc omnia temporis imitantis ævum seque numero revolventis species sunt: sæpe etiam dicimus, quod factum est, esse factum: quod fit, in generatione esse: quod fiet, esse faciendum: et quod non est, non esse: quorum nihil recte et exacta ratione dicimus: sed exquisitam de iis discussionem præsens disputatio non requirit: tempus vero una cum cælo factum est, ut una orta una etiam dissolvantur, si qua his dissolutio umquam contigerit: et ad exemplar æternæ naturæ ideo factum est, ut mundus hic illi præstantiori, quoad potest, simillimus sit: ille enim mundus, hujus exemplar, omne per ævum est: hic vero perpetuo per omne tempus fuit fitque solus et erit.]

IX. Ratione [1] igitur et mente divina, ad originem temporis, curriculum inventum est solis et lunæ [2];

[et aliæ quinque stellæ, quæ vocantur erraticæ, factæ sunt, quo temporis numerus distinguatur atque observetur.]

Corpora autem eorum singulorum quum effecisset Deus, ea ad eas conversiones collocavit, quas alterius circuitus conficiebat, quæ sunt septem, ut et illa septem: ita vim suam natura convertit, ut terram lunæ cursus proxime ambiret, eique supra terram proxima solis circumvectio esset. Lucifer deinde, et sancta Mercurii stella cursum habent solis celeritati parem, sed vim quamdam contrariam; eaque conversione, quam inter se habent Lucifer, Mercurius, Sol, alii alios vincunt, vicissimque vincuntur. Reliquorum siderum quæ causa collocandi fuerit, quæque eorum

IX. 1. *Ratione ..... et lunæ*, ex Nonio, III, 55. Dat quoque Priscian. pag. 1220, quasi e Ciceronis Timæo, *defenstrix*. J. V. L. — *Rat. et mente divina*. Vertit Cic. præclara Platonis verba λόγου καὶ διανοίας θεοῦ, κ. τ. λ. *Mourgues, Plan théologique du Pythagorisme*, hæc verba gallice verti vult « le Verbe et la pensée divine », nixus auctoritate Philonis, Eusebii et Theodoreti: magis ad literam vertitur, « le Verbe et l'esprit de Dieu ». Vide nostras notas ad locum Platonis inscriptum *les deux Mondes*, in nostris *Pensées de Platon*. J. V. L.

2. *Solis et lunæ*. Ibi desunt quædam quæ ex Ficini versione supplevimus, in quibus « et aliæ quinque stellæ » notant; Mercurium, Venerem, Martem, Jovem, et Saturnum.

sit collocatio, in sermonem alium differendum est, ne in eo, quod attingendum fuit[3], quam in eo, cujus causa id attigimus, longior ponatur oratio. Quando igitur unumquodque[4] eorum siderum cursum decorum est adeptum, e quibus erat motus temporis consignandus; colligatisque corporibus[5] vinculis animalibus, tum animantia orta sunt; eaque imperio parere didicerunt : tunc ex alterius naturæ motione transversa, in ejusdem naturæ motum incurrentia, in eoque hærentia atque impedita, quum alia majorem lustrarent orbem, alia minorem, tardiusque majorem, celeriusque minorem, motu vero unius ejusdemque naturæ: quæ velocissime movebantur, ea celeritate vinci a tardioribus, et, quum superabant, superari videbantur. Omnis enim orbis eorum quasi facilitatis in-

Hæc sunt Platonis verba : Ἐξ οὖν λόγου καὶ διανοίας Θεοῦ τοιαύτης πρὸς χρόνου γένεσιν, ἵνα γεννηθῇ χρόνος, Ἥλιος, καὶ Σελήνη, καὶ πέντε ἄλλα ἄςρα, ἐπίκλην ἔχοντα πλανητὰ, εἰς διορισμὸν καὶ φυλακὴν ἀριθμῶν χρόνου γέγονε· σώματα δὲ, κ. τ. λ.

3. *Quod attingendum fuit.* Scilic. quod tantum obiter est tractandum. Veretur ne nimis in his moretur, quia non licet humano ingenio de his rebus quidquam certi nuntiare : nempe ut egregie dicit *Pascal :* « Nous avons beau enfler nos conceptions ; nous n'enfantons que des atomes au prix de la réalité des choses. C'est une sphère infinie, dont le centre est partout, la circonférence nulle part. Enfin c'est un des plus grands caractères sensibles de la toute-puissance de Dieu, que notre imagination se perde dans cette pensée ».

4. *Quando igitur unumquodque.* Hoc totum si cum græco conferas, intelliges ad hunc fere modum esse restituendum : « Quando igitur unumquodque eorum siderum cursum decorum est adeptum, quibus erat motus temporis consignandus : colligataque corpora vinculis animalibus animantia orta sunt, tum imperio parere didicerunt ». P. MANUT. — Apud Platonem scilicet sic legitur : Ἐπειδὴ δὲ οὖν εἰς τὴν ἑαυτῷ πρέπουσαν ἕκαςον ἀφίκετο φοράν, τῶν ὅσα ἔδει ξυναπεργάζεσθαι χρόνον, δεσμοῖς τε ἐμψύχοις σώματα δεθέντα ζῶα ἐγεννήθη, τό τε προσταχθὲν ἔμαθε, quæ Chalcidius his verbis expressit : « Igitur singulis universisque apto et decenti sibi motu locatis, videlicet iis, quæ consequens erat tempore provenire nexibusque vitalibus, ubi constricta corpora facta sunt animalia, imperatumque didicerunt ». SCH.

5. *Colligatisque corporibus.* Lambinus, « colligataque corpora vinculis animalibus, animantia orta sunt ».

flexione vertebatur[6]: quam bifariam contrarie simul procedentia efficiebant, ut quod esset[7] tardissimum, id proximum fieret celerrimo.

Atque ut esset mensura quædam evidens, quæ in istis octo cursibus celeritates tarditatesque declararet: Deus ipse solem, quasi lumen, accendit ad secundum supra terram ambitum, ut quam maxime cælum omnibus colluceret, animantesque, quibus jus esset doceri, ab ejusdem motu, et ab eo, quod simile[8] esset, numerorum naturam vimque cognoscerent. Nox igitur, et dies ad hunc modum, et ob has generata causas, unum circuitum orbis efficit sapientissimum atque optimum; mensis autem, quando luna, lustrato suo cursu, solem consequuta est; annus, ubi sol suum totum confecit et peragravit orbem. Ceterorum autem siderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neque nomen appellant[9], neque inter se numero commetiuntur. Itaque nesciunt, hos siderum errores, id ipsum esse, quod rite dicitur tempus, multitudine infinita, varietate admirabili præditos. Attamen illud perspici et intelligi potest, absoluto

6. *Omnis enim orbis eorum quasi facilitatis inflexione vertebatur.* Lambinus: « omnes enim orbes eorum quasi helicis inflexione vertebantur ». Recte. Idemque Victorio placuerat. Chalcidius: « omnes quippe circulos eorum uniformis inerrabilisque illa conversio vertens in spiram, etc. » Mars. Ficinus: « Omnes quidem eorum circulos superna illa vertigo varia circuitione revolvens, etc. » Plato ipse sic: πάντας γὰρ τοὺς κύκλους αὐτῶν στρέφουσα ἑλίκη. J. V. L. pronuntiat vocem *facilitatis*, multaque alia sibi hoc in capite corrupta videri.

7. *Quod esset tardissimum*, etc. Platonis sententia clarius exprimitur in Tusc. I, 25: « Archimedes effecit idem, quod ille, qui in Timæo mundum ædificavit, Platonis Deus, ut tarditate et celeritate dissimillimos motus una regeret conversio ».

8. *Ab ejusdem motu, et ab eo, quod simile esset.* Lambinus conjecit, « ab ejusdem motu et ejus, quod simile esset », quo J. V. L. dicit melius verti Platonis verba, παρὰ τῆς ταὐτοῦ καὶ ὁμοίου περιφορᾶς.

9. *Neque nomen appellant.* Lambinus mavult « neque nomine appellant ». Scн.

perfectoque numero temporis, absolutum perfectumque annum tunc compleri denique, quum se octo ambitus, confectis suis cursibus, ad idem caput retulerunt[10], quumque eos permensus est idem et semper sui similis orbis.

X. Has igitur ob causas nata astra sunt, quæ per cælum penetrantia, solstitiali se et brumali revocatione converterent : ut hoc omne animal, quod videmus, esset illi animali, quod sentimus[1], ad æternitatis imitationem simillimum. Et cetera quidem usque ad temporis ortum impressa[2] ab illis, quæ imitabatur, effinxerat : sed quia nondum omne animal in mundo intus incluserat, ex ea parte deficiebat ad propositum exemplar imaginis similitudo. Quot igitur, et quales animalium formas mens, in speciem rerum intuens, poterat cernere, totidem, et tales in hoc mundo secum cogitavit effingere. Erant autem animantium genera quatuor : quorum unum divinum, atque cæleste; alterum pennigerum, et aerium : tertium, aquatile; terrestre, quartum. Divinæ animationis maxime speciem faciebat ex igne, ita ut splendidissimus esset, et adspectu pulcherrimus; quumque similem universitatis naturæ[3] efficere vellet, ad volubilitatem rotundavit, comiteque eum sapientia[4] quam optimæ mentis

10. *Perfectum annum... compleri denique, quum... ad idem caput retulerunt.* De magno anno Platonico vide Ciceron. lib. II de Natura Deorum, cap. 20.

X. 1. *Illi animali, quod sentimus.* Lamb. conjecit, « illi animali, quod intelligimus ». Recte; Plato enim ait : ἵνα τόδ' ὡς ὁμοιότατον ᾖ τῷ τελεωτάτῳ καὶ νοητῷ ζώῳ. Et Chalcidius consentit, qui vertit : « ut quam simillimum esset hoc omne perfecto illi quod mente perspicitur, animali ». Sch.

2. *Et cetera quidem ... impressa.* Lambinus probabiliter conjecit *expressa.* Sch. — Vide quæ ad cap. 8 ex Ficini versione supplevimus.

3. *Quumque similem universitatis naturæ.* P. Manutius malebat « universitatis figuræ ». Sch.

4. *Comiteque eum sapientia.* Recte Lambinus, « comitemque eum sapientiæ ». Sch.

effecit [5], circumque cælum æqualiter distribuit, ut hunc hac varietate distinctum bene Græci κόσμον, nos lucentem mundum nominaremus. Dedit autem divinis duo genera motus : unum, quod semper esset in eodem æque, et idem in omnibus, atque uno modo celeraret; alterum, quod in anticam partem a conversione ejusdem et similis pelleretur. Quinque autem reliquis motibus [6] orbem eum esse voluit expertem, immobilem, et stantem. Ex quo genere ea sunt sidera, quæ infixa cælo non moventur loco, quæ sunt animantia, eaque divina; ob eamque causam suis sedibus inhærent, et perpetuo manent. Quæ autem vaga et mutabili ratione labuntur, ita generata sunt, ut supra diximus. Jam vero terram [7], altricem nostram, quæ trajecto axe

5. *Quam optimæ mentis effecit.* Ea Platonis opinio, quæ mentem tribuit sideribus, a Tatiano et Origene adoptata fuit, sed damnata ab Ecclesia, in Synod. V, anath. 6.

6. *Reliquis motibus.* Vide supra, cap. 6, et ibi notam 5.

7. *Jam vero terram ....; qui intra cælum gignerentur.* Græca verba recitemus, ut quomodo latina sint restituenda videamus : Γῆν δὲ, τροφὸν μὲν ἡμετέραν, εἱλουμένην δὲ περὶ τὸν διὰ παντὸς πόλον τεταμένον, φύλακα καὶ δημιουργὸν νυκτός τε καὶ ἡμέρας, ἐμηχανήσατο πρώτην καὶ πρεσβυτάτην σωμάτων, ὅσα ἐντὸς οὐρανοῦ γέγονε. (Hæc postrema verba in variis editionibus multum variant.) Ex quibus apparet latinam orationem ita esse corrigendam : « Jam vero terram, altricem nostram, quæ trajecto axe sustinetur, diei noctisque effectricem, eamdemque custodem, primam et antiquissimam corporum voluit esse eorum quæ intra cælum gignerentur ». Maffæi liber nonnihil hanc emendationem adjuvat : nam pro *eorum qui* habet *eorumque*, quum vera lectio sit *eorum quæ*. P. Man. — Cicero ipse declaravit quam obscura esset hæc Platonis sententia, qui postquam Acad. II, 39, opinionem Hicetæ, qui terram sese movere putabat, memoravit, addit : « Atque hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrantur, sed paullo obscurius ». Nempe videtur Cicero in versione voluisse conservare obscuritatem græcæ sententiæ, quam supra retulimus. Proclus in Commentario suo, pag. 281, legit ἰλλομένην, et Bekker. εἱλλομένην. Aristoteles, Plutarchus, et Diogenes Laertius arbitrati sunt Platonem h. l. illam de terræ motu opinionem admisisse, quam docuerat Ecphantus, et postea Heraclitus, Aristarchus et Seleucus tuiti sunt; quamquam huic opinioni idem Plato in ceteris suis operibus adversetur. Vide Arist. Metaph. I, 6; Diog. Laert. III, 6; Aul. Gell. III, 17; Athen. XI, 15;

sustinetur, diei noctisque effectricem, eamdemque custodem, antiquissimam deorum[8] voluit esse eorum, qui intra cælum gignerentur. Flexiones autem deorum, et inter ipsos deos concursiones, quæque in orbibus eorum conversiones antecessionesque eveniant, quumque inter se pæne contingant, eos, qui prope copulentur contraria regione, et pone quos, aut ante labantur, quibusque temporibus a nostro adspectu oblitescant; rursusque emersi terrorem incutiant rationis expertibus[9], si verbis explicare conemur, nullo posito sub oculis simulacro, earum rerum frustra suscipiatur labor.

XI. Sed hæc satis sint dicta nobis; quæ de deorum, qui cernuntur, quique orti sunt, natura præfati sumus, habeant hunc terminum. Reliquorum autem, quos Græci δαίμονας appellant, nostri (opinor) Lares[1],

Euseb. Præp. Evang. X, 3. Sed contra sentit Proclus, qui putat h. l. Platonis terram fingi immobilem, περὶ τὸν ἄξονα τοῦ παντὸς συνέχεται καὶ συσφίγγεται, et longius refellit eos qui hunc Timæi locum eodem, quo Aristoteles, sensu intelligunt. Sic etiam apud antiquos de h. l. sensu dubitabatur. Ernest. jure dicit, ut nobis videtur, vocem *axim* continere motus indicationem, quia axis is est ideo, ut quid circa eum volvatur. Nos in versione gallica (Qui par son mouvement de rotation autour de l'axe du monde, produit incessamment les jours et les nuits) sequuti sumus interpretationem Aristotelis, qui sane non ausus fuisset hanc sententiam magistro suo tribuere, si eam magistri sui fuisse pro certo non habuisset. J. V. L.

8. *Antiquissimam deorum*. Ex hoc patet Ciceronem in græco legisse θεῶν, pro qua lectione pugnant Alcinous, Chalcidius, Proclus, et recentior Bekk. Ceteræ edd. præbent σωμάτων; quam lectionum variationem explicat Mosheim in notis ad Systema intellectuale Angli *Cudworth*, IV, 14.

9. *Rursusque emersi terrorem incutiant rat. exp.* Sic P. Manut. et Lamb. Alii vulgo *errorem*. Gallicus interpres utramque lectionem in versionem suam intulit, « les terreurs, les prophéties que leur retour inspire à la science humaine ». Agitur hic et de solis lunæque defectu, et de longis stellarum peregrinationibus, quæ interdiu sese ostendebant, et postquam oculos effugerant, non nisi post multos annos iterum in cælo apparebant. Ægyptiis terrorem incutiebat stella quædam quam appellabant *Ach*, quæ quum cælo se ostendebat, populis perniciem et regibus letum nuntiabat.

XI. 1. *Lares*. Eodem verbo utitur

si modo hoc recte conversum videri potest, et[2] nosse, et enuntiare ortum eorum, majus est, quam ut profiteri scribere nos audeamus. Credendum nimirum est[3] veteribus et priscis[4], ut aiunt, viris, qui se progeniem deorum esse dicebant. Itaque eorum vocabula nobis prodiderunt. Nosse autem generatores suos optime poterant; ac difficile factu est, a diis ortis fidem non habere: quamquam nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio confirmatur; sed quia de suis rebus[5] notis videntur loqui, veteri legi morique parendum est. Sic igitur, ut ab his est traditum, horum deorum ortus habeatur, atque dicatur, ut Oceanum Salaciamque[6] Cæli satu, Terræque conceptu generatos editosque memoremus; ex his Phorcyn, Saturnum, et Opem; deinceps Jovem atque Junonem, reliquos, quos fratres inter se, agnatosque usurpare atque appellare[7] videmus, et eorum, ut utamur veteri verbo, prosapiam.

Quando igitur omnes, et qui moventur, palamque ostenduntur, et qui eatenus nobis declarantur, qua

Varro, ut græcum δαίμονες latine reddat. Vide Div. August. de Civ. Dei, VII, 6. Si plura velis de Laribus et Dæmonibus, adi Lipsium, Physiol. Stoic. lib. I, Dissertt. 18, 19, 20.

2. Lego, *et nosse, et nuntiare ort. eorum majus est.* Lambinus corrigit: « et nosse et enuntiare ortum, majus est ». Sch.

3. *Credendum nimirum est.* Hæc est ironia Socratica. Fuere qui hæc serio dici arbitrati sint, ut Velleius de Nat. Deorum, I, 12. Theodoretus prima et tertia oratione, atque ideo Platonem, ut parum sibi constantem arguerint. In eumdem errorem incidit Proclus in Tim. pag. 287. Sed recte sensit ironiam Eusebius, Præp. Evang. II, 7; XIII, 1.

4. *Nimirum est veteribus et priscis.* Lambinus dedit « nimirum est veteribus et cascis ». Sch.

5. *Sed quia de suis rebus notis.* Lambin. « sed quia de suis rebus ac sibi notis ». Sch.

6. *Sic igitur ut... Oceanum Salaciamque.* Chalcidius: « Sit igitur nostra quoque credulitas comes asseverationi priscorum virorum, quod Terræ Cælique filii sint Oceanus et Tethys ». Sch.

7. *Usurpare atque appellare.* P. Manut. et Lamb. « usurpari atque appellari ». Sch.

ipsi volunt, creati sunt; tum ad deos is Deus, qui omnia genuit, fatur[8]:

«Hæc vos, qui deorum satu orti estis[9], attendite. Quorum operum ego parens effectorque sum [quæ per me facta], non sunt dissoluta[10], me invito: quamquam omne colligatum solvi potest; sed haudquaquam boni est, ratione vinctum velle dissolvere. Sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse, et indissolubiles non potestis: neutiquam tamen dissolvemini[11], nec vos ulla mortis fata periment, nec

8. *Deus, qui omnia genuit, fatur.* Similiter: «Deus stetit in synagoga Deorum», Psalm. LXXXI, 1; et «Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes». Ibid. vs. 6. J. V. L.

9. *Hæc vos, qui deorum satu orti estis.* In græco est θεοὶ θεῶν; quod vertit J. V. L. *dieux des dieux*, nempe quia homines sunt quasi dii inferiores; negatque se voluisse Cic. versionem sequi, nec se probare *Dacier* et *Hardouin*, qui vertunt *enfants des dieux* declarat. Vid. *Bossuet*, *serm. sur l'Ascension*, et *Or. fun. de Le Tellier*, in Psalm. XLVI, 10; LXXXI, 6, et Div. Joannem Evang. X, 34; Mosheim in Cudworth. IV, 14. Hæc Platonis opinio, qua fingit numen supremum in formandi hominis partem vocavisse deos inferiores, viguit apud Ægyptios et Pythagoricos. Vide Philon. de mundi opificio. Eamdem *Malebranche* refellit, *Recherche de la vérité*, lib. III, part. 2, cap. 8. Eam *Bossuet* indignatur, *Discours sur l'Histoire universelle*, II, 13. Eam *Voltaire* ridet, *Quest. sur l'Encyclop.* voc. *Bien, tout est bien*: «Basilide, après les Platoniciens, prétendit, dès le premier siècle de l'Église, que Dieu avait donné notre monde à faire à ses derniers anges, et que ceux-ci n'étant pas habiles, firent les choses telles que nous les voyons..... L'ange qui présidait à l'atelier est damné, disait un autre, pour avoir si mal fait son ouvrage». — Totam hanc percelebrem orationem sæpe memoraverunt docti tum veteres tum recentiores, inter quos D. Justinus, ad Græc. cap. 20; Augustin. de Civit. Dei, X, cap. 51. Eam totam vertit *Deslandes*, *Histoire de la Philosophie*, IV, 20, 7. J. V. L.

10. *Non sunt dissoluta.* Recte Lamb. «non sunt dissolubilia». Apud Platonem est ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα ἄλυτα. Chalcidius «opera mea me tamen ita volente indissolubilia». P. Manutius corrigebat: «hæc sunt indissolubilia me invito». Sch.

11. *Et indissol. non potestis: neut. t. dissolv.* Vid. Timæus Locr. I, 10; Senec. Epist. 58; Arnob. II, et Divus Ambrosius de fide, lib. III: «Nec et Angelus immortalis est naturaliter, cujus immortalitas est in voluntate Creatoris». *Malebranche*, *Rech. de la vérité*, IV, 1: «Dieu aime les êtres créés, et c'est même son amour qui les conserve: car tous les êtres ne subsistent que parce que Dieu les aime». J. V. L.

fraus valentior[12], quam consilium meum; quod majus est vinculum[13] ad perpetuitatem vestram, quam illa, quibus estis tum, quum gignebamini, colligati. Quid sentiam igitur, cognoscite. Tria nobis genera reliqua sunt, eaque mortalia; quibus prætermissis, cæli absolutio perfecta non erit. Omnia enim genera animalium complexu non tenebit[14]; teneat autem oportebit, ut eodem ne quid absit. Quæ a me ipso effecta sint, quod deorum vitam possit adæquare[15]. Ut igitur mortali generentur conditione, vos suscipite, ut illa gignatis, imiteminique vim meam, qua in vestro ortu me usum esse meministis : in quibus qui tales creantur[16], ut deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, divini generis appellentur, teneantque omnium animantium principatum, vobisque jure et lege volentes pareant[17] : quorum vobis initium satusque traditur

12. *Nec fraus valentior.* Sine dubio legendum: « nec fors valentior ». Sch.

13. *Quod majus est vinc. ad perp. v.* Similiter *Fénélon, Max. des Saints,* X, p. 85 : « Les promesses sur la vie éternelle sont purement gratuites. La grâce ne nous est jamais due; autrement elle ne serait plus grâce. Dieu ne nous doit jamais en rigueur ni la persévérance à la mort, ni la vie éternelle après la mort corporelle. Il ne doit pas même à notre âme de la faire exister après cette vie. Il pourrait la laisser retomber dans son néant comme de son propre poids; autrement il ne serait pas libre sur la durée de sa créature, et elle deviendrait un être nécessaire. Mais quoique Dieu ne nous doive jamais rien en rigueur, il a voulu nous donner des droits fondés sur ses promesses ».

14. *Complexu non tenebit.* Legendum videtur « complexu suo non tenebit ». In græco est τὰ γὰρ ἅπαντα ἐν αὐτῷ γένη ζώων οὐχ ἕξει. Chalcidius « intra conseptum suum ». Sch.

15. *Teneat autem oportebit . . . possit adæquare.* Hæc verba sic emendat P. Manutius : « Teneat autem oportebit, ut ex eo ne quid absit, sed quæ a me ipso effecta sint, deorum vitam possint adæquare ». Quam correctionem probat J. V. L. Lambinus vero sic : « Teneat autem oportet, ut ab eo ne quid absit, quæ si a me ipso effecta, vitamque consequuta sint, deorum vitam possint adæquare ».

16. *In quibus qui tales creantur.* Lamb. « in quibus qui tales creabuntur ». Sch. — Hæc correctio lucem dat sententiæ, quæ notat : In quibus (scil. inter hæc animalia quæ fingetis) creabitis aliqua animalia talia, etc.

17. *Vobisque jure et lege vol. par.* Lambin. correx. « uobisque et juri ac legi pareant ». Sch.

a me[18]; vos ad id, quod erit immortale, partem attexitote mortalem. Ita orientur animantes, quos et vivos alatis, et consumptos sinu recipiatis. »

XII. Hæc ille dixit. Deinde ad temperationem superiorem revertit, in qua omnem animum universæ naturæ temperans permiscebat, superiorisque permixtionis reliquias fundens æquabat, eodem modo ferme, nisi quod non ita incorrupta, ut ea, quæ semper idem, sed ab iis secundum[1] sumebat, atque tertium[2]. Toto igitur omnino constituto, sideribus parem numerum distribuit animorum, et singulos adjunxit ad singula, atque ita quasi in currum universitatis imposuit[3], commonstravitque leges fatales ac necessarias; et ostendit, primum ortum unum fore omnibus, eumque moderatum atque constantem, nec ab ullo imminutum; satis autem, et quasi sparsis animis, fore, uti certis temporum intervallis oriretur animal, quod esset ad cultum deorum aptissimum. Sed quum duplex esset natura generis humani, sic se res habe-

18. *Quor. vobis in. sat. trad. a me.* Ovid. Metam. I, 76 : « Sanctius his animal, mentisque capacius altæ Deerat adhuc, et quod dominari in cetera posset. Natus homo est : sive hunc divino semine fecit Ille opifex rerum, mundi melioris origo... Pronaque quum spectent animalia cetera terram, Os homini sublime dedit, cælumque tueri Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus ».

XII. 1. *Ut ea, quæ semper idem, sed ab iis secundum.* Schütz. « sed a diis ». P. Manut. « ut ea, quæ semper idem, sed a diis secundas sumebat, atque tertias ». Lambinus: « ut ea, quæ semper idém, sed ab iis secunda sumebat, atque tertia ».

2. *Sed... sumebat, a. tertium.* Nobis facilior intellectu videtur tota hæc sententia in Ficini versione, quæ talis est : « Hæc fatus, in eodem rursus cratere, in quo mundi totius animam permiscens temperaverat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit, modo quodam ferme eodem; non tamen perfectas similiter, sed et secundo et tertio gradu a primis deficientes ». J. V. L. parum exacte ad verbum, sed bene ad sensum: « Mais l'essence créatrice n'était plus entière; elle était deux ou trois fois moins divine ».

3. *Atque ita quasi in currum universitatis imposuit.* Græca sunt : ἐμβιβάσας ὡς εἰς ὄχημα · sed videtur legisse εἰς ὄχημα τοῦ παντὸς, τὴν φύσιν ἔδειξε. Ficinus vertit : « Eisque

bant, ut præstantius genus esset eorum, qui essent futuri viri. Quum autem animis corpora cum necessitate insevisset, quumque ad corpora [necessitate] tum accessio fieret, tum abscessio : necesse erat, sensum exsistere unum communemque omnium, vehementiore motu excitato, conjunctoque naturæ[4] : deinde voluptate et molestia[5] mixtum amorem; post iram, et metum, et reliquos motus animi, comites superiorum, et his etiam contrarios dissidentes[6] : quos qui ratione rexerit, juste vixerit; qui autem his se dediderit, injuste. Atque ille, qui recte et honeste curriculum vivendi a natura datum confecerit, ad illud astrum, quocum aptus fuerit[7], revertetur; qui autem immoderate et intemperate vixerit, eum secundus ortus in figuram muliebrem transferet[8]. Et, si ne tum quidem finem vitiorum faciet, gravius etiam jactabitur, et in suis moribus simillimas figuras pecudum

tamquam vehiculo impositis monstravit universi naturam ». Vide de hac imagine, quam alias Plato usurpavit, Origen. de Princip. I, 1; contra Cels. II, 60. J. V. L.

4. *Quum autem animis corpora cum necessitate insevisset, quumque... conjunctoque naturæ*. P. Manutius comparato Platonis loco, et adjuvantibus partim MSS, sic corrigendum censuit : « Quum autem animos corporibus necessitate insevisset, quumque ad corpora tum accessio fieret, tum abscessio : primo necesse fuit, sensum exsistere unum communemque omnium, vehementiore motu excitatum conjunctumque naturæ ». Plato: ὁπότε δὲ σώμασιν ἐμφυτευθεῖεν ἐξ ἀνάγκης καὶ τὸ μὲν προσίοι, τὸ δ' ἀπίοι τοῦ σώματος αὐτῶν, πρῶτον μὲν αἴσθησιν ἀναγκαῖον εἴη μίαν πᾶσιν ἐκεῖ παθημάτων (al. ἐκ βιαίων παθ.) ξύμφυτον γίγνεσθαι. Sch.

5. *Volupt. et molestia mixt. a.* Catull. LXVIII, 17 : « non est dea nescia nostri, Quæ dulcem curis miscet amaritiem ».

6. *Contrarios dissidentes*. Lambin. « contrarie dissidentes ».

7. *Quocum aptus fuerit*. Sic optime vertit Cic. ἄστρου ξυννόμου. Qua versione Lambinus contentus esse debuisset, nec nobis intrudere (in cap. 13 Introd. Alcinoi, ubi hæc Platonis verba vertit) glossam hanc ridiculam : In astra societate quadam pabuli sibi conjuncta. J. V. L.

8. *In figuram m. transferet*. J. V. L. addit in versione gallica : « tous après mille ans pourront choisir le genre de vie dont ils voudront hériter, et la condition même des ani-

et ferarum transferetur[9] : neque malorum terminum prius adspiciet, quam illam sequi cœperit conversionem, quam habebat in se ipse, ejusdem et unius, simul innatam et insitam : quod tum eveniet, quum illa, quæ ex igne, aere, aqua, atque terra, turbulenta et rationis expertia insederint, denique ratione depulerit, et ad primam atque optimam affectionem animi pervenerit.

XIII. Quæ quum ita designasset, seseque, si quid postea fraudis, aut vitii evenisset, extra omnem culpam causamque posuisset : alios in terra, alios in luna[1], alios in reliquas mundi partes, quæ sunt ad spatiorum temporis significationem notæ constitutæ, spargens quasi serebat. Post autem sationem eam diis, ut ita dicam, junioribus permisit, ut corpora mortalia effingerent, quantumque esset reliquum ex humano animo, quod deberet accedere, id omne, et quæ sequentia essent, perpolirent et absolverent; deinde ut huic animanti principes se, ducesque præberent, vitamque ejus pulcherrime regerent et gubernarent : nisi quatenus ipse bene factus sua culpa sibi aliquid

maux leur sera permise ». Hæc, inquit, sententia, quam Cicero non vertit, abest etiam a Chalcidio et aliquibus MSS et edd. vett. Nec apparet in versione Ficini. Hanc omisit recentior editor Bekker. Hujus sensum reperies in lib. X de Rep. unde forsan desumpta est, et huic loco intrusa. Chalcidius, in Tim. c. 16, omnia quæ sequuntur per metaphoram et sensu figurato dici a Platone arbitratur : sed nihil est in textu, quo talis explicatio niti possit. In Timæo Plato, Pythagoreas disciplinas sequutus, ingenio suo indulsit, neque vel maxime mirabilia et fabulosa quæ suæ menti occurrerent exprimere dubitavit. J.V. L.

9. *Et in suis mor. sim. fug. p. et f. transf.* Vid. Timæus Locr. VI, 12; Origen. de Princip. lib. II; Alcinous, cap. 16; Plotin. Ennead. III, 4, 2; Claudian. in Rufinum, II, vs. 482.

XIII. 1. *Alios in terra, alios in luna.* Recte Lambin. « alios in solem, alios in lunam ». Apud Platonem est : τοὺς μὲν εἰς ἥλιον, τοὺς δ' εἰς σελήνην. Sch. — Vertit J.V. L. secundum Ciceronis textum, quamquam existimat melius scribendum esse « alios in terram, alios in lunam ». Notandum est Ciceronem in Platone legisse τοὺς μὲν εἰς γῆν, ut legitur etiam in

miseriæ quæreret[2]. Atque is quidem, qui cuncta composuit, constanter in suo manebat[3] statu : qui autem erant ab eo creati, quum parentis ordinem cognovissent, hunc sequebantur. Itaque quum accepissent immortale principium mortalis animantis, imitantes genitorem et effectorem sui, particulas ignis, et terræ, et aquæ, et aeris a mundo, quas rursus redderent, mutuabantur, easque inter se copulabant, haud iisdem vinculis, quibus ipsi erant colligati, sed talibus, quæ cerni non possent propter parvitatem, crebris quasi cuneolis injectis, unum efficiebant ex omnibus corpus;

Plut. Quæst. Plat. VII; in Proclo, in Tim. pag. 332, in Chalcidio, et in versione Ficini. His sane motus auctoritatibus edidit nuper Bekker. τοὺς μὲν εἰς γῆν, τοὺς δ' εἰς σελήνην. Forsan altera lectio εἰς ἥλιον ab iis introducta est, qui putabant sequentia verba, εἰς τὰ ἄλλα ὅσα ὄργανα χρόνου, notare quamdam terræ mobilitatem : et quum ii interpretes negarent vel terram moveri, vel Platonem in Timæo terram ut mobilem repræsentavisse, maluerunt textum corrumpere, quam verba pati quibus opiniones suæ refellebantur. Sed nimirum ii errabant : nam vel quum terra immobilis putetur, nihilominus, ut Plutarchus observat, dici potest instrumentum notandi temporis : et certe Proclus, qui terram a Platone mobilem dici negat, eamdem ac Cic. lect. sequutus est.

2. *Nisi quatenus ipse bene factus sua culpa sibi aliquid mis. quæreret.* Lambini et Mich. Bruti opera ex veteribus libris sic editum : « nisi quatenus ipse beneficiis sua culpa sibi aliquid miseriæ quæreret ». Lambin. *beneficiis* ut glossema delendum putabat. Nec defuit, qui tentaret « beneficii sui culpa ». Repone me auctore : « quatenus ipse beneficio suo sibi aliquid miseriæ quæreret ». Nimirum verbis *beneficio suo* adscripta fuit ad oram explanatio : « id est, culpa sua » ; unde hoc glossema in textum irrepsit. *Beneficium* enim interdum usitatum fuit pro *opera et culpa*. Sic Ulpian. l. ex damno, XL D. damn. inf. « consequens est, inquit, detrimentum hoc quod beneficio ejus contingit ». Andr. Schott. Nodor. Ciceronian. III, 9. At P. Manutius malebat : « nisi si ipse sua culpa sibi aliquid miseriæ quæreret ». Apud Platonem igitur : ὅτι μὴ κακῶν αὐτὸ ἑαυτῷ γίγνοιτο αἴτιον. Sch.

3. *Constanter in suo man. statu.* Egregie vertit Cic. Platonis verba : ἔμενεν ἐν τῷ ἑαυτοῦ κατὰ τρόπον ἤθει. *Barthélemy*, in *Voyage d'Anacharsis*, cap. 59, Platonem sequi debuisset, nec dicere, « l'immuable rentre dans son repos ». Sic enim Tertulliano assensus est, qui contra Hermogenem capite ult. scribit : « Noli ita Deo adulari, ut velis illum solo visu substantias protulisse ; enixus viribus totum hoc condidit. Major est gloria ejus, si laboravit ». In Platonis

itemque in eo influente atque effluente animo divino ambitus illigabant[4]. Itaque illi in flumen[5] immersi, neque tenebant, neque tenebantur; sed vi magna tum ferebant, tum ferebantur. Ita totum animal movebatur illud quidem, sed immoderate, et fortuitu, ut sex motibus veheretur. Nam et ante, et pone, ad lævam, et ad dextram, et sursum, et deorsum, modo huc, modo illuc, sex oras regionesque versus errans procedebat[6].

[Quum vero plurimus inundaret fluctus atque deflueret, unde animal nutriretur, multo etiam major a passionibus extrinsecus illatis turba sequebatur, quum corpus aliquod ignis exterioris incurrisset offensionem, vel a terræ soliditate, aut aquæ humore, aut aeris flatu læsum esset: porro ab iis omnibus per corpus motus usque ad animam transeunt, qui propterea et initio et nunc sensus cognominati sunt: hi quidem ab initio continue multos et maximos motus cient, rivo illo jugiter fluente, atque his fluctibus vehementer animæ circuitus quatiunt: et circuitum quidem illum ejusdem similisque naturæ in ipso cursu prorsus impediunt; alterius vero circuitum distrahunt, usque adeo, ut dupla illa et tripla utrimque disposita intervalla tria, medietatesque et colligationes, sesquitertia, sesquialtera, sesquioctava ratione interjectas, quæ dissolvi a nullo, nisi ab eo, qui conjunxit, possunt, omni revolutionis genere torqueant, omnesque anfractus et varietates orbium, quot-

textu nulla est motus significatio, quod præclare probat Proclus; et Tertullianus hac in re non fideliter interpretatus est Genesin II, vers. 2, qui quidem Tertull. non magna inter philosophos fide dignus est, quum sibi Deum ipsum corporalem repræsentet. Quem vide adversus Prax. cap. 7. J. V. L.

4. *Animo divino ambitus illigab.* Chalcidius pro eo scribit: « itaque apparatæ materiæ circuitus immortalis animæ circumligabant irriguo fluidoque corpori ». Ipse Plato: τὰς τῆς ἀθανάτου ψυχῆς περιόδους ἐνέδουν εἰς ἐπίῤῥυτον σῶμα, καὶ ἀπόῤῥυτον. Unde Gatakerus ad Antoninum, lib. X, suspicatur, vel aliam scripturam sequutum fuisse Tullium, vel (quod magis autumat) apud hunc vitiata esse verba; legendumque « animi divini ». Vere ad Platonem, sed potuit Tullius dativo pro genitivo usus fuisse ut mox in Arateis: « Huic non una modo caput ornans stella relucet »; pro *hujus*. Gron.

5. *Illi in flumen immersi.* Lambin. volebat, « illi in flumen ingens immersi ». Sch.

6. *Procedebat.* Quæ desunt, ex Ficini versione supplemus, ut servari possit sententiarum consecutio.

cumque contingere queunt, inducant: ita ut ambitus ipsi, vix sibi invicem connexi, ferantur quidem, sed sine ratione ferantur, tum contra, tum ex obliquo, tum resupina quadam dispositione: ceu si quis caput pro pedibus humi figat, pedes vero pro capite tollat in altum: tunc arbitror tam ejus, qui sic affectus est, quam eorum, qui spectant, dexteræ partes sinistræ, et contra sinistræ dexteræ sibi invicem esse videntur: itaque quum hoc ipsum ceterave hujusmodi animi quoque ambitus maxime patiuntur, si tunc in extrinsecum aliquid ejusdem ipsius vel alterius generis inciderint, falso, quid idem alicui sit quidve alterum ab aliquo, judicant: ideoque mendaces tunc dementesque sunt, nec ullus princeps et dux in eis tunc est circuitus: quumque extra positi sensus pulsaverint animam vehementius, totamque eam possederint, tunc illi, subjugati quidem et servientes, dominari videntur: quas ob res ab initio anima, quum mortalis corporis vinclis includitur, amens efficitur: at postquam nutritionis et augmenti rivus leniusque minusque fluit, animæque circuitus tranquilliore motu iter suum peragunt, processuque temporis sedatiores fiunt, et in figuram naturæ suæ congruam restituuntur: tunc singulorum circulorum directæ conversiones ejusdem et alterius naturam probe discernunt, hominemque sic institutum prudentem efficiunt: quod si quis educationi rectæque nutritioni disciplinam quoque et eruditionem convenientem adjunxerit, morbo gravissimo devitato sanus et integer prorsus evadet: sin autem neglexerit, claudum vitæ iter ingressus, tamquam mancus et omnino inutilis rursus ad inferos decidit: sed hæc quidem post ortum contingunt: nunc vero de prima hominis compositione exactius disserendum, ac probabili ratione monstrandum, qua causa et providentia Deorum singula membra corporis ad singula animæ officia sint accommodata. Principio Dii figuram capitis ad rotunditatem mundi finxere, in eoque duos illos animæ divinos circuitus statuerunt: est autem caput membrum corporis divinissimum reliquorumque membrorum princeps: cui totum corpus connexum Dii subesse et parere jusserunt: excogitaverunt enim motuum omnium, quotcumque esse queant, compos id fore: quum vero inæqualis et aspera ac partim quidem acclivis, partim declivis terra sit, si humi caput serperet perque terræ superficiem volveretur, hos anfractus sine offensione transire non posset: quod sane malum ut vitaretur, procerum hunc habitum corporis ad faciliorem progressum Dii pro vehiculo capiti subjecerunt: corpori præterea quatuor in longum porrecta et flexibilia

membra annexuerunt, quibus facile divina providentia moveretur, apprehenderet videlicet objecta quæque, staret et sisteret perque omnia graderetur, caput superne substruens divinissimi sacratissimique habitaculum : hanc igitur ob causam nobis crura manusque dedere : anteriores autem partes posterioribus præstantiores et ad imperandum aptiores arbitrati, in anteriorem quoque partem moveri nos ut plurimum voluerunt : oportebat porro anteriora discreta et dissimilia esse : quapropter primum globo capitis faciem adjecere, facieique instrumenta, quæ adminicularentur omni animæ providentiæ, assignaverunt, decreveruntque naturale hominis imperium in hac parte anteriori priorique consistere : sed ex omnibus faciei partibus primi luciferi oculorum orbes coruscant, hac de causa dati : ignis certe illius, qui non urit quidem, sed illuminando suaviter diem invehit mundo, participes oculorum orbes Dii fecerunt : intimum siquidem nostri corporis ignem, hujus ignis germanum sincerumque, per oculos emanare voluerunt, in quibus lenis congestusque ubique ignis hujusmodi sit, sed per eorum dumtaxat solidiorem angustamque medietatem ignis purior evolet, crassior vero cohibeatur : itaque quum diurnum lumen applicat se visus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia atque commixta, quo oculorum acies diriguntur, ibi in unius jam domestici corporis cohærent speciem, ubicumque videlicet tam intimi quam externi luminis fit concursus : totum igitur hoc propter similitudinem passionem eamdem sortitum, quum quid aliud tangit, vel ipsum ab alia tangitur, motum hujusmodi ad corpus omne perque id ad animam usque diffundens, sensum efficit, qui visus vocatur : at postquam in noctem discesserit cognatus ignis, visionis radius evanescit : nam in aerem sibi dissimilem erumpens permutatur atque exstinguitur, quum nullam habeat cum proximo aere, utpote ignis splendore carente, naturæ communionem : idcirco videre desinit, somnumque inducit : etenim salubre palpebrarum tegmen Dii oculis machinati sunt, quibus obductis vis illa ignis intimi conniventia tegminis coercetur, compressaque interiores motus perfundit et mulcet : quibus relaxatis atque mollitis quies oritur : si profundus ob multam quietem motuum nos occupat sopor, exigua sequuntur insomnia : sin vehementiores aliqui motus quasi vigiliarum reliquiæ relicti sint, quales quidem et qualibus ex locis haustæ reliquiæ sunt, talia somniorum simulacra nascuntur, eorumque nobis expergefactis restat memoria.]

XIV. Jam vero earum imaginum, quæ finguntur et redduntur in speculis, eorumque, quæ splendida et lævia sunt, rationem perspicere, haud difficile est. Nam ex ignis utriusque externi atque interni communione inter ipsos, quum unus per singulas partes effectus, et multis modis concors et aptus redditus, in lævore consedit [sed si in splendore consedit][1] : tum vel eadem species, vel interdum immutata redditur; omniaque hujusmodi necessario in speculo referuntur, quum ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os offusus, in re lævi et splendida, se confudit et contulit[2]. Dextra autem videntur, quæ læva sunt, quia contrariis partibus oculorum contrarias partes attingunt, præter morem usitatum adjectionis et commissuræ. Respondent autem dextra dextris, læva lævis, conversione luminum, quum ea inter se [non] cohærescunt. Id fit, quum speculorum lævitas hinc illincque altitudinem assumpsit, et ita dextra detrusit in lævam partem oculorum, lævaque in dextram. Supina etiam ora cernuntur depulsione luminum; quæ convertens inferiora reddit, quæ sunt superiora. Atque hæc omnia ex eo genere sunt, quæ rerum adjuvant causas : quibus utitur ministeriis Deus, quum optimi speciem, quoad fieri potest, efficit. Sed existimant plerique, non hæc adjuvantia causarum[3], sed has ipsas esse omnium causas, quæ vim habeant fri-

XIV. 1. *Sed si in splendore consedit.* Lambin. conj. « sed si in lævore consedit ». Sch. — Nihil deest in his omnibus; quædam contra abundare manifestum est; ita ut nonnullæ voces sint excludendæ. J. V. L.

2. *Quum ignis oculorum cum eo igne ... se confudit et contulit.* Nonnihil deest. Nam in Platone sic : Τοῦ περὶ τὸ πρόσωπον πυρὸς, τῷ περὶ τὴν ὄψιν πυρὶ, περὶ τὸ λεῖον καὶ λαμπρὸν ξυμπαγεῖ γιγνομένῳ. P. Man.

3. *Non hæc adjuvantia causarum.* Lego « non hæc adjumenta causarum » et ex Maffæi libro, et ex Platonis verbo; quod enim ille dixit ξυναίτια, recte vertit Cicero « adjumenta causarum ». P. Man.

goris et caloris, concretionis et liquoris, careant autem omni intelligentia atque ratione, quæ, nisi in animo, nulla alia in natura reperiantur. Animus autem sensum omnem effugit oculorum. At ignis, et aqua, et terra, et aer, corpora sunt, eaque cernuntur. Illum autem, qui intelligentiæ sapientiæque se amatorem profitetur, necesse est, intelligentis sapientisque naturæ primas causas conquirere; deinde secundas causas rerum earum, quæ necessario movent alias, quum ipsæ ab aliis moventur. Quocirca nobis sic cerno esse faciendum, ut de utroque nos quidem dicamus genere causarum, separatim autem de iis, quæ cum intelligentia sunt efficientes pulcherrimarum rerum, atque optimarum; et de iis, quæ vacantes prudentia, inconstantia perturbataque efficiunt. Ac de oculorum quidem causis, ut haberent eam vim, quam nunc habent, satis ferme esse dictum puto. Maxima autem eorum utilitas donata humano generi deorum munere deinceps explicetur. Rerum enim optimarum cognitiones nobis oculi attulerunt. Nam hæc, quæ est habita de Universitate oratio a nobis, haud umquam esset inventa, si neque sidera, neque sol, neque cælum sub oculorum adspectum cadere potuissent. Nunc vero dies noctesque oculis cognitæ, tum mensium annorumque conversiones ad numerum machinatæ sunt, et spatium temporis demensæ sunt, et ad quæstionem totius naturæ impulerunt: quibus ex rebus philosophiam adepti sumus; quo bono nullum optabilius, nullum præstantius, neque datum est mortalium generi deorum concessu atque munere, neque dabitur[4].

4. *Neque datum est mort. generi deor. conc. atque munere, neque dabitur.* Hanc sententiam Cicero in Acad. I, 20, transtulit. Vide etiam Epist. ad Div. XV, 4, ad Catonem, et Tusc. I, 26 : « Philosophia vero, omnium

[Hoc igitur maximum oculorum beneficium esse dico : minora alia prætereo, quibus, qui a philosophia alieni sunt, orbati si querantur, frustra querentur : nobis vero asserendum est ob hanc potissimum rationem Deum oculos genuisse, ut mentis circuitus, qui in cælo peraguntur, intuiti in usum redigamus nostræ mentis, cogitationisque nostræ discursiones illis cognatas, sed perturbatas quodammodo ad illorum temperiem revocemus : et quum illos agnoverimus, et recta ratione secundum naturam præditi singulorum ordinem perceperimus, conversiones Dei, quæ sine ullo errore aguntur, imitemur, atque ad earum exemplum discursiones nostræ cogitationis vagas et erraticas componamus. Vocem quoque auditumque ejusdem rei gratia Deos dedisse nobis existimo : nam ad hæc ipsa sermo pertinet, plurimumque conducit; omnisque musicæ vocis usus harmoniæ gratia est tributus : atqui et harmonia, quæ motiones habet animæ nostræ discursionibus congruas atque cognatas, homini prudenter Musis utenti non ad voluptatem rationis expertem, ut nunc videtur, est utilis : sed a Musis ideo data est, ut per eam dissonantem circuitum animæ componamus et ad concentum sibi congruum redigamus : rhythmus quoque ad hoc videtur esse tributus, ut habitum in nobis immoderatum gratiaque carentem aptissime temperemus.

Hactenus opera mentis, paucis exceptis, tractavimus : oportet autem de his quoque, quæ necessitas invehit, dicere : mundi enim hujus generatio ex necessitatis mentisque cœtu mixta est : nam quum mens necessitati dominaretur, propterea quod persuadendo eam ad optimos ut plurimum rerum eventus induceret, ipsaque hac ratione cedens sapienti persuasioni pareret, mundi hujus exordia constiterunt : oportet igitur eum, qui mundi constitutionem vere narraturus erit, erraticæ quoque causæ speciem pro naturæ ipsius instinctu miscere : quod ita commode fiet, si horum ipsorum convenienti principio sumpto, sic de

mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donum, ut ego, inventum deorum? » —Ex his colligere potes hanc esse, quantum intelligi potest, cosmogoniam Platonis : Deo volente gignuntur anima mundi, tempus, terra, planetæ, stellæ fixæ, genii, et denique homines, quem genii ex immortali anima a Deo ipso suppeditata finxerunt. Sed si nos *Voltaire, Quest. sur l'Encycl. art. Platon*, interroget, « Le Dieu de Platon est-il dans la matière, en est-il séparé? O vous qui avez lu Platon attentivement, c'est-à-dire sept ou huit songe-creux cachés dans quelques galetas de l'Europe, si jamais ces questions viennent jusqu'à vous, je vous supplie d'y répondre » : talis solvendæ quæstionis curam aliis relinquemus. J. V. L.

his, quemadmodum de superioribus, ab ipsa rursus origine disseramus: naturam ergo et passiones ignis, aquæ, aeris atque terræ, generationem cæli præcedentes, consideremus: nullus profecto ad hoc usque tempus eorum generationem ostendit: sed quasi notum sit, quid sit ignis et reliqua, sic de illis verba facimus, eaque mundi primordia constituimus, quum nec syllabarum quidem, nedum elementorum, vicem tenere apud homines mentis quoquo modo compotes debeant: nos vero in præsenti nihil de principio universorum, sive principiis, sive quomodocumque aliter id appelletur, dicendum putamus: cui quidem disputationi nihil aliud impedimento est, nisi quod difficile sit præsenti disputandi modo, quæ de his videntur, exprimere: neque igitur vos id exspectabitis, neque ego mihi persuadebo recte me tantum opus aggredi posse: quod autem ab initio dixi, verisimilitudinis vim servabimus, studebimusque in rationibus verisimilibus circa hæc assignandis nulli cedere: atque ita singula et universa a principio exponemus: deum igitur etiam nunc, disputationis servatorem, in primis oremus, ut nos ex admirabili et insolita expositione ad verisimilem doctrinam traducat: atque ita instituti disputationem exordiamur.

Sed hanc de universo disputationem ab ampliori divisione, quam supra, ducamus: tunc enim duas in species facta divisio est; nunc tertium genus addendum: duo enim in superioribus sufficiebant, unum quidem exemplaris loco, semper idem solaque intelligentia comprehendendum: alterum simulacrum ab hoc exemplari deductum, generationi oculisque subjectum: quum vero duo hæc sufficere putaremus, tertium non adjunximus: nunc autem cogere nos ratio videtur, ut difficilem et obscuram speciem declarare conemur: quam igitur vim, quamve naturam habere putandum? hanc utique, generationis horum omnium receptaculum et quasi nutricem esse: quod quamvis vere dicatur, paullo tamen apertius est dicendum: arduum id quidem, eo maxime, quod ad hujus rei demonstrationem dubitare prius necesse est, et inquirere de igni et reliquis, quæ elementa vocantur, quid istorum aquam potius quam ignem, aut aerem potius quam terram, aut certum aliquid unum magis quam cuncta vocare oporteat: difficile sane certum aliquid et firmum de istis asserere: quonam igitur pacto, et qua ratione? et quid probabile in hujusmodi inquisitione dicemus? principio id corpus, quod modo aquam nominavimus, quando in solidam concrescit materiam, lapis et terra fieri videtur: quando vero liquescit et diffluit, spiritus atque aer: item aer exustus ignis efficitur: ignis

exstinctus et corpulentior factus aerem creat: rursus crassior factus aer in nebulas nubesque concrescit : his etiam magis compressis pluviæ defluunt: ex aqua rursus terra lapidesque gignuntur: atque ita videmus hæc omnia circuitu quodam sibi invicem vices fomentaque generationis vicissim tribuere: quæ quum numquam eadem appareant permanere, quisnam sine rubore redargutionisque suspicione poterit istorum aliquid unum potius quam aliud certe et firmiter appellare? nemo certe : quare tutissimus in his hic erit loquendi modus: hoc, quod semper alias aliter formatum videtur, et plerumque juxta ignis effigiem, non est utique ignis hoc aliquid, sed tale, id est, igneum quiddam; nec aqua hoc aliquid, sed tale quid, id est, aqueum; nec aliud quidquam, velut ullam habens stabilitatem: denique nec pronominibus quidem ullis hæc signanda sunt, quibus in rei cujuslibet demonstratione, quum hoc vel istud dicimus, uti solemus: fugiunt enim, nec exspectant vel eam demonstrationem, quæ hoc et hujus et huic designat, vel appellationem, quæ de his tamquam de exsistentibus et stabilibus habeatur: igitur hujusmodi omnia neque hoc neque istud, sed tale potius aut tale propter similitudinem aliquam appellare debemus: et ignem quidem ubique tale, ac de ceteris, quæ gignuntur, eodem pacto: at vero illud, in quo fieri singula hæc videntur ac deinde dissolvi, solum iis pronominibus, quibus hoc vel istud signamus, appellandum puto: quale vero quodammodo, calidum scilicet vel album, vel aliquid tale contrariorum, vel ex contrariis, illud minime appellandum : sed apertius, quod volumus, exponamus : si quis enim cunctas figuras, ex una eademque auri materia fictas, continue in alias et alias reformet, deque una quadam illarum præsens aliquis, quid sit, quærat, vere admodum et tutissime respondere possumus aurum illud esse: triangulum vero esse aut aliam figuram earum, quæ impressæ in eo sunt et continuo permutantur, quasi revera sint, non licet dicere: sola quippe illa responsione, tamquam tutissima, contenti esse debemus: eadem de illa natura, quæ cuncta recipit corpora, ratio est: idem semper esse dicenda est, siquidem ex propria potentia recedit numquam : suscipit enim semper omnia; nec ullam umquam iis similem ullo pacto sibi formam contrahit: omnis sane naturæ fictioni subjecta est: agitataque ab ingredientibus et figurata quodammodo, alias aliter se habere videtur: quæ vero ingrediuntur et exeunt, vere ac semper exsistentium rerum simulacra sunt, miro et vix explicabili modo ab ipsis rebus, quæ vere sunt, figurata, quemadmo-

dum deinceps narrabimus: tria in præsenti genera sumenda sunt; unum, quod gignitur: aliud, in quo gignitur: aliud, a quo similitudinem trahit, quod nascitur: idcirco comparare hæc ita decet: quod recipit, matri: unde recipit, patri: naturam istorum mediam proli: sed ita intelligendum est, quod quum esse debeat effigies rerum omni formarum varietate distincta, numquam illud ipsum formationis hujus gremium bene erit præparatum, nisi informe sit, et suapte natura omnibus formis, quas recepturum est, careat: nam si erit alicujus eorum, quæ in se recipit, simile, quum contrariam ejus, cujus simile est, naturam aut aliam prorsus suscipiet, nequaquam ejus similitudinem et effigiem exprimet, quum præ se tulerit suam, quo fit, ut nullam sibi propriam habeat speciem, quod est omnia genera suscepturum: ut qui unguenta suaviter redolentia confecturi sunt, humidam materiam, quam certo condire odore volunt, ita præparant, ut odorem nullum proprium habeat; et qui materiis mollibus impressionique cedentibus figuras imprimere aliquas volunt, nullam omnino priorem in eis figuram apparere patiuntur, sed exactissima quadam lævigatione eas poliunt: ita illud, quod in omnibus passim æternorum omnium simulacris recte figurandum est, his omnibus formis natura sua carere necesse est: quamobrem universi, quod et genitum est et sensibus omnibus manifestum, matrem ipsam receptaculumque, neque terram, neque aerem, neque ignem, neque aquam esse dicamus, neque rursus ex his aliquid constitutum aut aliqua, ex quibus proprie hæc ipsa subsistunt; sed invisibilem potius speciem quamdam et informem sinum omnium capacem, qui modo quodam ambiguo et vix explicabili divinæ et intelligibilis naturæ fit particeps: ipse quidem comprehendi per se nullo pacto potest: sed quantum ex supra dictis naturam ejus attingere licet, sic utique recte possumus dicere; ignem quidem partem ejus ignitam videri: humefactam vero partem aquam: terram quoque aeremque similiter, quatenus ipsorum simulacra suscipit: sed de his ita distinguentes ratione considerare debemus: sitne ignis aliquis seorsum a materia ipse permanens in se ipso, et cetera, quæ sæpe dicimus per se ipsa manere? an hæc sola sunt, quæ corporis sensu percipimus, et talem in se continent veritatem; nec ullo pacto præter hæc ulla sunt uspiam, sed frustra intelligibilem uniuscujusque speciem aliquam ponere solemus, nec aliud hæc sunt quam verba: quod quidem neque ita vel aliter se habere, temere et sine examinatione asserendum, neque ad præsentem disputationem natura sua prolixam alia quoque prolixa et

ad rem minime pertinens addenda videtur: ea vero circumscriptio, quæ brevibus magna comprehendat, admodum opportuna videbitur: ita igitur ipse meam hac de re sententiam feram: si intellectus et vera opinio duo genera sunt, necesse est hujusmodi species esse, quæ per se ipsæ sint, et intelligentia potius quam sensibus comprehendantur: sin autem, ut quibusdam videtur, vera opinio ab intellectu nihilo differt, omnia, quæ corporis sensus attingit, certe habenda sunt: sed opinor duo esse dicenda, quia seorsum sunt facta et dissimilia sunt: quippe quorum alterum doctrina nobis insinuat, alterum persuasio: et illud quidem semper cum ratione vera, hoc autem sine ratione: illud nulla persuasione mutabile, hoc contra huic mutationi subjectum: veræ quidem opinionis vir quilibet particeps: intelligentiæ vero Dii quidem omnes, homines vero pauci admodum participes sunt: quæ quum ita se habeant, fateri oportet esse speciem, quæ semper eadem sit, sine ortu atque interitu: quæ nec in se accipiat quidquam aliud aliunde, nec ipsa procedat ad aliud quidquam; sensuque corporis nullo percipiatur: atque hoc est, quod ad solam intelligentiam pertinet, ejusque intentionis est proprium: sed est aliquid post hoc, quod cum ipso non ratione, sed nomine convenit, ejusque similitudinem gerit, genitum, sensibus manifestum, quod fertur et sustentatur ab alio semper, et in aliquo loco gignitur, rursusque inde recidit, opinione per sensus comprehendendum: tertium genus locus est, qui interit quidem numquam, sed omnibus, quæ gignuntur, sedem exhibet: hic sine tangentis sensu tangitur, adulterina quadam ratione vix opinabilis: denique quum ad hunc animo respicimus, somniamus quodammodo, necessariumque putamus, ut, quidquid est, in aliquo sit loco positum regionemque obtineat aliquam; et quod neque in terra, neque in cælo sit, minime esse credimus: atque has omnes et similes passiones a pervigili vereque exsistente natura, ipsi hujusmodi somniis occupati, secernere non valemus: ideoque nec discernere id etiam possumus, quod imagini quidem, postquam id ipsum, in quo facta est, non ipsius est, sed ea semper alterius fertur simulacrum, non injuria convenit, ut in alio quodam sit, atque ita quodammodo essentiæ fiat particeps, aliter vero esse nullo modo possit: ei autem, quod vere est, vera hæc et exquisita ratio suffragatur, docens quod, dum res ita se habet, ut hoc quidem aliud sit et illud aliud, neutrum in neutro umquam factum unum simul idem et duo fient: hæc tandem meæ mentis summatim sententia sit, esse et ante cæli ortum ratione triplici

fuisse tria hæc, exsistens, locum et generationem: generationis vero nutricem, ignitam et humefactam, terræ item et aeris formas suscipientem, passionesque horum pedissequas perpetientem, omniformem aspectu videri: verum quia nec similibus, neque ad pondus exæquatis viribus referta est, nulla ex parte æquilibrem esse, sed inæqualiter undique vergentem declinantemque ab illis quidem, quæ diximus, agitari, rursusque ipsam commotam eadem agitare: quo pulsu concita in diversa raptari atque discerni, perinde ut quæ in frumenti purgatione pistoriis instrumentis jactata atque excussa discerni videmus, atque alio solida graviaque, alio rara et levia ferri. Sic illa tunc quatuor genera ab ipso eorum receptaculo, instrumenti illius pistorii instar, tumultuante et discernente commota, dissimillima quæque a dissimillimis longe separabantur, simillima vero rursus coibant: atque idcirco etiam ante mundi exornationem sedibus divisa erant: sed neque his ratio inerat neque modus: at vero ubi cuncta redigi ad modum placuit, Deus ignem primo ac terram, aeremque et aquam, quæ quidem elementorum præferebant vestigia, sed ita erant affecta, ut par est illa, a quibus Deus abest, distinctis figuris, speciebus et numeris exornavit: ea vero apud nos sententia semper rata indubiaque præ ceteris habeatur, quod Deus illa, quum talia non essent, quam pulcherrime optimeque fieri poterat, ordinavit: nunc jam dispositionem genituramque ipsorum sigillatim demonstrari convenit, novo quidem et inusitato demonstrationis genere, sed vobis, qui omnes eruditionis ingenuæ vias peragravistis, plano atque perspicuo.

Principio, quod ignis et terra, aqua et aer corpora sint, nemo utique dubitabit: omnis autem corporis species profunditatem habet: profunditatem vero planis constare necessarium est: rectitudo porro planæ basis ex triangulis constituitur: atque trianguli omnes ex duobus initium habent, habentibus utrisque rectum angulum unum, acutos duos: quorum alter utrimque anguli recti partem obtinet, æqualibus distincti lateribus; sed in altero inæqualibus inæqualia distribuuntur: igitur per rationes probabiles necessitati conjunctas incedentes, ignis ceterorumque corporum hujusmodi ponamus exordium: superiora vero his horum principia Deo nota sunt atque ei, qui Dei sit amicus: videamus igitur, qua potissimum ratione quatuor corpora pulcherrima fiant: dissimilia quidem inter se, sed quæ in se invicem dissolvantur, et ex se invicem generentur: si id comprehenderimus, veritatem ipsam de generatione ignis terræque et eorum, quæ competenti ratione ser-

vata horum media fiunt, tenebimus : tunc enim nemini concedemus, dicenti alicubi esse oculis patentia pulchriora his corpora, quorum quodlibet secundum unum sit genus : conandum igitur quatuor corporum genera pulchritudine præcellentia constituere : atque ita asserere horum nos naturam sufficienter comprehendisse : e duobus quidem triangulis isosceles, id est, qui cruribus constat æqualibus, unicam habet naturam : qui vero altera parte est oblongior, infinitas : ergo, si recte exordiri volumus, infinitorum quoque pulcherrimum præeligere nos oportet : ac si quis pulchriorem a se electum ad horum constitutionem afferre voluerit, ejus, non tamquam adversarii, sed tamquam amici, sit sententia potior : unum itaque, reliquis posthabitis, triangulorum multorum pulcherrimum ponimus, a quo æquilater triangulus ex tertio constitit : ratio vero, cur ita sit, prolixior esset : at eum, qui diligenti discussione ita esse comperiet, dulce manet victoriæ præmium. Propositi sane nobis sint duo e multis trianguli, ex quibus ignis ceterorumque corpora composita sunt : horum unus isosceles sit, æqualibus cruribus constans triangulus : alter vero sit ille, qui longius latus semper breviore latere potentia triplo majus habet : verum, quod securi nimium in superioribus diximus, nunc magis est distinguendum : videbantur quidem nobis, neque id quidem satis recte, omnia quatuor genera ex se invicem generari : profecto quatuor genera ex triangulis, quos elegimus, generantur : tria quidem ex uno, inæqualia habente latera : quartum vero unicum ex triangulo isoscele componitur : non igitur possunt omnia ita in se invicem resolvi et commutari, ut ex multis parvis pauca ingentia, vel converso, efficiantur : tria certe possunt : quum enim ex uno hæc facta sint omnia, quando majora solvuntur, multa exigua ex eisdem constituuntur, parvas congruasque sibi figuras adepta : rursus, quando multa per triangulos disperguntur amplificata, unum unius molis faciunt numerum, magnamque aliam speciem unam perficiunt : hæc utique de mutua ipsorum generatione dicta sint hactenus : reliquum est, ut, qualis quæque eorum facta sit species, et ex quibus concurrentibus numeris coacervata, dicamus : erit utique prima species, quæ ex paucissimis composita fuerit, elementum ejus, quod latus oblongius breviori latere duplo majus habet : quum vero bini hujusmodi secundum diametrum componantur, terque id fiat, et diametri lateraque breviora in idem quasi centrum ducantur, unus triangulus æquilater ex triangulis numero sex conficitur : trianguli autem æquilateres quatuor

compositi secundum ternos planos angulos, unum solidum faciunt angulum, qui angulum planorum omnium obtusissimum deinceps ortu subsequitur: atqui triangulis hujusmodi quatuor natis, prima solida species totius circumferentis distributiva in partes æquales ac similes oritur : secunda vero ex eisdem quidem triangulis, sed secundum æquilateres triangulos octo constitutis, unum facientibus solidum angulum ex planis quatuor, factisque sex hujusmodi corpus secundum absolvitur: at tertium ex elementis bis sexaginta copulatis et angulis solidis duodecim, quorum quilibet quinque planis triangulis æquilateribus continetur, habens viginti æquilateres bases, nascitur: jam igitur elementum alterum sic hactenus ista genuerit : verum isosceles triangulus quarti generavit naturam, secundum quatuor constitutus, et ad centrum rectos congregans angulos, unumque quadrangulum æquilaterem faciens: sex vero hujusmodi copulati angulos octo solidos, quorum quilibet per tres planos rectos coaptatus est, effecerunt : corporisque ita constituti figura cubica facta est, sex planos quadrangulos æquilateres bases adepta : est et quinta quædam compositio, qua Deus ad universi constitutionem est usus, eaque descripsit et figuravit, quæ contemplatus aliquis non absurde dubitaverit, utrum infinitos esse mundos an finitos existimandum sit: infinitos quidem dicere illius putabit esse proprium, qui nullam rerum cognitione dignarum peritiam habeat: sed utrum unus mundus an quinque revera nati sint, inquirere minus utique putabit absurdum : ratio quidem nostra unum ipsum verisimili probatione asserit esse natum: alius vero quis, ad alia respiciens, aliter opinabitur: sed hæc dimittenda sunt: et jam genera quatuor a nobis paullo ante digesta, in ignem, terram, aquam aeremque distribuamus, terræ cubicam speciem assignemus : nam omnium quatuor maxime immobilis terra est, et corporalium omnium compacta maxime: tale vero illud præcipue factum esse necessarium est, quod firmissimas tutissimasque possidet bases: in triangulis porro a principio positis, qui æquilateres sunt, firmiorem tutioremque quam inæquilateres basem possident: et quod ex utroque compositum est planum æquilatere æquilateri quadrangulum, certe triangulo, tam quoad totum quam quoad partes, stabilius necessario provenit : quamobrem si convenientem probabilemque sequi rationem velimus, terræ id tribuamus: aquæ deinde, quod tribus reliquis est immobilius: igni, quod mobilissimum : aeri medium: et corpus quidem minimum igni, aquæ maximum, aeri medium : acutissimum quo-

que igni, secundum ab hoc aeri, aquæ tertium : ex his omnibus quod bases paucissimas habet, velocissimum esse necessarium est: est enim ad penetrandum promptissimum, quippe quum prorsus sit omnium acutissimum: levissimum quoque, quum ex paucissimis partibus eisdem constet: quod secundum est, secundo loco habeat hæc oportet: tertio tertium : igitur secundum rectam probabilemque rationem pyramidis species solida elementum semenque sit ignis : secundam vero generatione speciem aeri, aquæ tertiam tribuamus : de his omnibus adeo parvis ita putandum est, quod, si singula dumtaxat singulorum generum capiantur, nullum eorum propter parvitatem cerni a nobis poterit: sin multa invicem congregentur, eorum moles magnitudinesque cernentur: quin etiam hæc omnia a Deo tanta ubique, quoad multitudines, motus atque potentias, proportione exacte absoluta connexaque sunt, quantam necessitatis natura libens et persuasa capere poterat.

Ex omnibus sane, quorum genera supra narravimus, ita merito se res habere videtur: terra quum in ignem inciderit, ejus acumine dissoluta fertur, resoluta in ignem, aut aerem, aut aquam, quousque partes ipsius congressæ iterum sibique invicem copulatæ terram reficiant: non enim in aliam umquam speciem transmigraret: aqua præterea ab igne vel aere divisa in partes, unum, partibus suis reconciliatis, ignis corpus, aeris duo facit: portiones vero aeris ex una dissoluta parte duo ignis corpora faciunt : rursus quando ignis ab aere, vel aqua, vel terra aliqua occupatur, et ipse quidem paucus in multis movetur, atque in agitatis pugnat jactatusque distrahitur, duo corpora ignis in speciem aeris unam concrescunt: deinde superato aere atque disperso, ex totis duobus atque dimidio una aquæ tota species coalescit: denique sic ea rursus consideremus: quotiens ab igne comprehensum aliorum genus aliquod angulorum laterumque ipsius acumine scinditur, tum demum discerpi desinit, quum in ignis naturam transierit: simile enim idemque genus quodlibet a simili eodemque minime patitur : quousque vero in aliud permutatur, imbecilliusque cum potentiore luctatur, dissolvi non desinit: rursus quando minora a multis majoribus circumventa sunt, et pauca lacerata exstinguuntur, quum in vincentis ideam constitui velint, cessant exstingui, fitque ex igni aer, ex aere aqua : quod si in hæc transitus fuerit, et aliorum aliquod genus impugnet, non cessant agitata dissolvi, priusquam aut omnino, quum dissolubilia sint, depulsa ad cognatum refugiant : aut expugnata in unum quiddam ex multis supe-

ranti simile tandem evadant, familiariterque cum victore permaneant : enimvero per has passiones sedes vicissim cuncta commutant : generis namque cujuslibet multitudines per locum proprium distinguuntur, ob sedis ipsius agitationem : quæ vero dissimilia invicem facta sunt, propter fluctum concussionemque ad locum eorum, quibus similia evasere, feruntur.

Corpora igitur immixta ac prima ex causis hujusmodi fabricata sunt : quod autem in eorum speciebus alia quoque innata sunt genera, causa est elementi utriusque constitutio, quæ non solum ab initio unum cum magnitudine triangulum peperit, sed etiam majora et minora, tot quidem numero, quot in speciebus sunt genera : quapropter mixta hæc in se ipsis atque invicem infinitam habent varietatem : cujus peritos esse eos oportet, qui de natura sunt rationem probabilem reddituri.

Igitur nisi quis, quo pacto et cum quibus una motus et constitutio fiat, certe comprehenderit, multa disputationi, quæ manet a tergo, impedimento futura videntur : de his partim quidem dictum est, partim vero restat dicendum : in ipsa leni plenaque natura motus esse numquam solet : nam agitandum absque agitaturo vel agitaturum absque agitando difficile est, immo impossibile, reperiri : motus autem horum omnium minime est : hæc vero lenia planaque esse numquam possunt : sic itaque statum quidem in planitie lenitateque, motum vero in contraria semper natura ponemus : inæqualitas porro naturæ hujus est causa, quæ leni planoque contraria est : inæqualitatis vero generationem jam tractavimus ; sed quonam modo singula secundum genera non divisa moveri invicem ferrique desinunt, nequaquam exposuimus : id ergo deinceps sic explanabimus : universæ naturæ circuitus quum circulari ambitu suo genera complexus sit, et secum ipso congredi studeat, constringit omnia; locumque vacuum relinqui nusquam patitur : quocirca ignis per omnia maxime penetravit, deinde aer, utpote qui ipsi tenuitate est proximus; et alia simili ratione deinceps, quæ enim ex maximis partibus sunt composita, vacuitatem quoque in sua constitutione maximam reliquere : minima contra minimam : coarctationis autem ipsius angustia, parva in magnorum contrudit inania : quare quum parva magnis insinuata sint, et ipsa quidem parva quæ magna sunt discernant, majore vero minora coerceant, omnia sursum deorsumve in sua loca feruntur : nam quodlibet mutata magnitudine sedem mutat : sic utique et has ob causas naturæ lenitati contrariæ semper generatio conservata, horum motum et in præsenti et in futuro perpetuum exhibet.

Post hæc sciendum est multa esse ignis genera: flammam videlicet, et quod ab ea est accensum; quod urit quidem, lumen vero nullum oculis affert: quodve exstincta flamma intra illa, quæ accensa fuerant, remanet: similiter aeris genus aliud purissimum agilissimumque, quem ætherem nuncupant; aliud turbulentissimum, caligine nubibusque obscurum: aliasque species sine nomine esse putandum est, propter ipsam triangulorum inæqualitatem. Aquæ genera duo sunt præcipua: unum humidum, alterum fusile: humidum quidem, quia generibus aquæ parvis et inæqualibus constat, facile a se ipso et ab alio propter inæqualitatis conditionem et figuræ speciem moveri solet: quod autem ex grandioribus æqualibusque et lenibus est compositum, stabilius illo, et grave propter lenem æqualitatem compactum est, sed propter ignis penetrantis dissolventisque impetum æqualitate amissa motus fit particeps: factumque agile mobileque, a proximo aere pulsum extensumque per terram, duo quædam patitur: nam et liquescit et in terram decidit: primum illud molis purgatio, hoc fluxus cognominatur: rursus igne hinc evolante, quippe quum non fiat in vacuum exitus, proximus aer pulsus mobilem adhuc molem humidam in ignis sedes impellit, ipsique ipsam commiscet: moles denique compulsa, iterumque lenem æqualitatem adepta, quum ignis inæqualitatis artifex jam abierit, in idem secum coacervatur: atque ignis abscessum frigefactionem, copulam vero congressumque, igni abeunte factum, conglutinationem gelidamque rigiditatem vocamus: ex his vero quas aquas fusiles appellavimus, quod ex tenuissimis lenissimisque fit densissimum, uniforme, splendidum flavumque, pretiosissima res est, aurum florescens per petram compactum est: auri autem ramus, propter densitatem durissimus et nigro præterea colore suffusus, adamas appellatur: sed quod auro proximas habet partes, pluresque una species continet, auro quoque densius, et terrenæ partis paucæ tenuisque particeps, adeo ut asperius duriusque sit, verum ex eo, quod intervalla intrinsecus habet magna, levius est, hoc genus nitentium concretarumque aquarum unum est, atque æs nominatur: at quando terrena pars huic immixta propter vetustatem a ceteris partibus ejus secernitur, ad extremamque emissa superficiem per se ipsa aspectui patet, rubigo jam nascitur: cetera generis ejusdem verisimilibus rationibus assequi haudquaquam laboriosum est: quod si quis remittendi studii gratia, rationibus eorum, quæ semper sunt, intermissis, consideraverit verisimiles de generatione

probationes, atque ejusmodi consideratione sine pœnitentiæ accessione delectetur, moderatum in vita prudentemque ludum consequetur: his utique nunc ita concessis, deinceps, quæ de eisdem probabilia videbuntur, ita percurrenda videntur. Igni sæpe miscetur aquæ pars tenuis atque humida fluidaque, sic ideo nominata, quia lubrica terra circumfluit: mollis quoque ob eam causam, quia ejus bases minus firmæ stabilesque quam terræ, facile cedunt atque labuntur: hæc quando ab igni destituta, ab aere quoque deseritur, fit lenior, et alienis expressis cogitur in se ipsam: atque ita compacta, si supra terram id contigerit, grando fit; si in terra, glacies: quæ quidem tunc fiunt, quum riget cohærescitque maxime gelu: quum vero minus congelatur, si supra terram accidit, nix, sin in terra ex rore crassior facta, pruina: verum quando plurimæ aquæ species invicem commiscentur, universum illud genus, a terra per arbores stillans, liquor humorque vocatur: liquores vero singuli, propter mixtiones dissimilitudinem nacti, multa quidem alia sine nomine faciunt genera: sed quatuor igneæ species evidentes et perspicuæ maxime sortitæ sunt nomina: quod enim animam simul cum corpore calefacit, vinum dicitur: quod vero lene est, discernitque visum, ideoque aspectu splendidum atque nitens et pingue nobis apparet, uncta et olearia species est, pix, gummi et oleum, ceteraque id genus: at quod oris angustos meatus ad penetralia usque naturæ perfundit, hac vi dulcedinem adhibens, mel communiter nuncupatur: denique quod carnem dissolvit uritque, et spumeum est, ex omnibus secretum liquoribus, succus vocatur.

Terræ vero species per aquam emergens hoc modo fit lapis: congelata enim aqua, quando in commixtione deficit, in aeris speciem transit: hic aer suum in locum recurrit: vacuum autem ipsorum nihil: proximum ergo aerem pulsat: iste si gravis sit, pulsus circumfususque terrenæ moli vehementer illidit, seque ipsum in eas sedes, unde novus ascenderat aer, conducit: terra denique, ab aere indissolubiliter cum aqua coacta, lapides concreat: pulchriores quidem illos, qui perspicuo ex æqualibus planisque partibus emicant: deformiores vero, qui contra: ubi vero ignis acumine humor omnis resolvitur, corpusque illo aridius redditur, ea restat species, quæ solida vocatur fusilisque tellus: quandoque etiam humore relicto, terraque fusili per ignem facta, ac deinde accedente gelu, niger fit lapis: quando vero id ipsum similiter ex commixtione multo privatur humore, sed tenuioribus terræ partibus constat, salsumque est, et semiglaciale fit, perque aquam

emergit, partim quidem olei terræque purgatorium genus nitrum dicitur; partim vero quotidiano victui commodissimum legitime, sal Deo amicum corpus. At enim communia ex utrisque, aqua quidem non solubilia, igni vero propter tale aliquid ita conglutinantur : ipsas terræ moles ignis et aer non liquefacit : quum enim duo hæc tenuissima sint et vacuitatibus terræ minutiora, ita per capacissimos ejus meatus sine ulla violentia permanant, ut neque eam dissolvant neque liquefaciant : aquæ vero partes, quia majores sunt, violento fluxu liquefaciunt : terram itaque male compactam sic sola aqua vi solvit, compactam vero dumtaxat ignis : nihil enim præter ignem hanc penetrat : aquæ rursus concretionem, violentissimam quidem solus ignis, debiliorem vero utraque, et ignis et aer, diffundunt : aer, inquam, per vacua, ignis etiam per triangulos : aerem vero vi constrictum nihil nisi per elementum solvit : sine vi cohærentem solus resolvit ignis : corpora ex aqua terraque ita composita : ut aqua terræ inania vi coarctata obstruat, sic prorsus se habent, ut aqua exterior influere per ea non possit, ideoque minime liquefaciat : sed ignis, aquæ meatus penetrans, quemadmodum et aqua terræ inania, atque ita aquam afficiens, ut ignis aerem, communi corpori liquefactionis causam præbeat : hæc vero partim aquæ minus habent quam terræ, quemadmodum vitri genus, et lapides illi, qui fusiles appellantur : partim contra plus aquæ, qualia sunt omnia, quæ conglutinata sunt cereaque evadunt et vapores emittunt.

Hactenus eas species, quæ figuris, communionibus commutationibusque invicem variantur, pæne jam demonstravimus : quas vero ob causas passiones earum nascantur, deinceps demonstrare conabimur : principio sensum his, quæ dicta sunt, adesse semper oportet : carnis vero et eorum, quæ ad carnem attinent, generationem, animæ quoque quantum mortale est, nondum declaravimus : sunt enim hæc a passionibus, quæcumque cum sensu sunt, minime separata, et illæ sine his exponi sufficienter non possunt; simul vero expleri ferme nequeunt : primo igitur alia ponenda sunt, deinde, quæ sequuntur, expedienda : ut ergo deinceps in disputando genera passiones ipsæ sequantur, prima nobis exstent, quæ ad corpus et animam pertinent. In primis, qua ratione ignis calidus dicitur, videamus : quod ita demum perspiciemus, si discretionem divisionemque, ab eo in nostro corpore factam, consideremus : quod enim acumen quoddam ea passio est, ferme est omnibus manifestum : tenuitatem vero

angulorum laterumque subtilitatem, parvitatem particularum, motus velocitatem, quibus omnibus vehemens et penetrans est, velociterque, quod occurrit, dividit semper et dissipat, considerare debemus, figuræ ipsius generationem memoria repetentes: ea quippe, non alia natura, corpora nostra dividens, et in partes exiguas partiens, merito passionem illam, quæ legitime calor nominatur, inducit: contraria vero huic passio, licet cuique manifesta, sua tamen explanatione non careat: humidæ namque partes corporum, partibus nostris humidis grandiores, quum in corpus influunt nostrum, minores quidem partes extrudunt, sed in earum sedes sese insinuare non possunt: humorem autem nostrum coagulant, atque ex inæquali et agitato immobilem propter æqualitatem coagulumque faciunt, inque angustum cogunt: quod autem præter naturam coactum est, secundum naturam renititur seque revocat in contrarium: in hac reluctatione quassationeque tremor rigorque consistit: omnisque hujusmodi passio frigus, quodve eam infert, frigidum nominatur. Durum autem dicimus illud, cui caro nostra cedit: molle, quod carni: resque ipsas invicem et duras et molles eadem ratione vocamus: cedit autem, quidquid parvo nititur: quod vero ex triangularibus basibus firmamentisque est, utpote plano vehementer innixum, renititur maxime atque resistit: quodve summopere densum est, contra venientia vehementer repercutit. Grave præterea et leve cum ea natura simul, quæ sursum deorsumve dicitur, commodissime declarabitur: sed illud dictu absurdum est, esse duo quædam natura loca, a se invicem longo intervallo distincta, et unum quidem deorsum vocari, ad quem locum ea deferantur omnia, quæcumque molem quamdam corporis habent; alterum vero sursum, ad quem vi omnia moveantur: quum enim cælum omne rotundum sit, quæcumque a medio æque distantia extrema facta sunt, similiter esse oportet extrema: medium quoque æqualibus lineis ab extremis undique distans, e regione æque omnia respicit: quoniam igitur ita mundus dispositus est, si quis dictorum quidquam sursum esse dixerit, vel deorsum, non injuria errare videbitur: medius enim locus in ipso neque sursum, neque deorsum dici debet, sed medius: quod rursus undique circuit, neque medium est, neque partem in se habet aliam ab alia differentem, quoad ipsum medium, et omnino quidquid sit e regione locatum: ei vero, quod sui ipsius simillimum est, contraria nomina jure nullus attribuet: si quid enim solidum æquilibratumque in universi medio sit, ad nullam extremorum

partem propter perfectam ipsorum similitudinem declinabit: at si quis circa illud obambulet, sæpe sibimet plantis stabit oppositis, eamdemque illius partem tum sursum, tum deorsum vocabit: itaque universum, quemadmodum paullo ante diximus, quum sit rotundum, locum habere superiorem aut inferiorem vir prudens minime affirmabit: sed unde nominata sunt ista, et in quibus ea intuiti, ex illis ad mundum totum transtulimus, hujusmodi quædam in primis ponentes investigemus: si quis in ea mundi regione, quam ut plurimum sortitus est ignis et ad quam undique fertur, insideat, vimque aliquam nanciscatur, per quam ignis partes arripiat libretque, aut ubi in stateræ lancibus collocavit, ut deorsum in dissimilem detorqueat aerem: constat plane minorem ignis portionem majori facilius coactum iri: ubi enim duo simul uno robore suspenduntur, minus quidem magis, majus autem minus inferenti vim cedit: et unum quidem grave deorsumque ferri dicitur, alterum vero sursum ac leve: idem nobis terram habitantibus accidit: nam terræ innixi perque eam gradientes terrena genera invicem separamus atque distinguimus, et sæpe terram in dissimilem aerem jacimus violenter præterque naturam, sæpe partes utrasque, cognatæ naturæ participes, hic portio minor facilius quam major, ad dissimilem locum jacta, prius violentiæ cedit: eamque levem cognominamus, et locum, ad quem compellimus, sursum: contrariam his affectionem grave quiddam atque deorsum: hæc utique differre invicem necessarium est, propterea quod generum multitudines locum aliis contrarium obtinent: quod enim in alio loco leve est, levi, quod in loco est contrario: et grave similiter, gravi: et ei, quod deorsum dicitur, id quod deorsum: eique, quod sursum, id quod dicitur sursum: omnia enim hæc transversa invicem et contraria ac penitus differentia esse fierique reperientur: unum tamen id de his omnibus cogitandum, quod via gressioque singulorum, ad simile atque cognatum ferens, grave facit id, quod fertur: locum vero, in quem tale quid fertur, deorsum: quæ aliter se habent, aliter afficit: harum igitur passionum hujusmodi quædam dictæ sint causæ. Lævis item et asperæ passionis causam quilibet intuitus aperire aliis poterit: durities enim hanc inæqualitati permixta, illam vero æqualitas exhibet densitati.

Sed earum passionum, quæ circa totum corpus communiter accidunt, ea restat maxima, quæ voluptatis dolorisque est causa in his, quæ diximus: similiter quæcumque per corporis partes

sensibus patent, doloresque et voluptates cient : ita igitur omnis tam sensibilis quam insensibilis passionis causas capiamus, inprimis memoria repetentes, quod de ea natura, quæ facile movetur, deque ea, quæ movetur difficile, supra distinximus : hoc enim pacto ea persequi debemus omnia, quæ comprehendere cupimus : quando in id, quod facile moveri solet, aliqua vel brevis incidit passio, partes ejus quælibet sequentibus partibus undique passionem ipsam transfundunt, quousque ad prudentiæ sedem perveniatur, ubi per hos quasi nuntios potentia illius, quod passionem intulit, noscitur : quod vero contra est affectum et immobile quodammodo permanet, circularem illam transfusionem non habet, et ipsum quidem patitur solum, proxima vero minime movet : quapropter quum partes aliæ aliis passionem primam non impertiant, totumque animal hinc minime agitetur, sensus expers id, quod patitur, exstat : id profecto circa ossa capillosque et reliquas partes, quæ terrenæ ut plurimum in nobis sunt, accidit : visus vero et auditus instrumenta aliter omnino efficiunt, quia illis ignis aerisque vis maxima inest : quod præterea ad voluptatem attinet et dolorem, ita consideretur : passio violenter præterque naturam abunde simulque nobis illata molesta fit : rursus quæ in naturam abunde simulque revertitur, dulcis : quæ contra fit, contra : passio vero magna cum facilitate illata sentitur quidem maxime, voluptatis autem et doloris minime particeps est : hujusmodi sunt, quæ ex aspectu proveniunt, cui quidem corpus nostrum cognatum fieri in die supra narravimus : huic adustiones sectionesve, et quæcumque passiones hujusmodi, dolorem non inferunt; nec etiam, quando in suam speciem fit restitutio, voluptatem : sensus tamen vehementes clarissimique ipsi competunt, quatenus aliquid patitur, incurritque in aliquid et attingit : violentia siquidem hujus discretioni concretionive nulla penitus inest. Corpora vero ex partibus grandioribus constituta et vix agenti cedentia, quando motiones illatas in totum corpus trajiciunt, voluptates doloresque continent : quando videlicet e suo statu moventur, dolores; quando redeunt, voluptates : quæcumque paullatim abscessus evacuationesque sui perpetiuntur, repletiones vero simul atque abunde, quum evacuationis quidem sensum habeant nullum, repletionis autem habeant, mortali animæ ipsius potentiæ dolores nullos, voluptates vero maximas afferunt : quod ex suavium odorum perceptione cognoscitur : at quæ e sua natura simul et abunde pelluntur, paullatim vero vix in eam restituuntur, contra quam

superiora affici solent: hoc plane in secandis urendisque membris apparet.

Jam communes toti corpori passiones, easque inferentium cognomenta tractavimus: nunc igitur eas, quæ certis nostri corporis partibus accidunt, et unde proveniunt, quibusve causis inferuntur, pro viribus exponamus: principio, quæ supra, quando de humoribus agebamus, reliquimus, quum linguæ passiones sint, si quo modo possumus, declaremus: videntur autem hæc, quemadmodum et alia multa, discretionibus quibusdam et concretionibus fieri, ac præterea lævitate asperitateque magis quam cetera uti: tenduntur a lingua venæ ad cordis sedem, saporum nuntiæ: in quas si qua ita inciderint, ut humidam carnis mollitiem penetrantia, terrestri sua natura modice liquefacta, venas ipsas contrahant arefaciantque, sapores hujusmodi pariunt: videlicet, si asperiora sunt, acerbos acresque; sin aspera minus, austeros et ponticos: quæ et illas purgant, et, si qua linguæ inhærescunt, abluunt: si ultra modum id faciant, naturæque ipsius nonnihil liquefaciant, qualis est in nitro potentia, amara omnia nominantur: sin autem vim nitro temperatiorem habent leniusque abstergunt, salsa, sine amaritudinis asperitate, magisque amica nobis apparent: quæ autem applicata oris caliditati, ab eoque mollita et fervefacta ipsum vicissim fervefaciunt, suaque levitate sursum ad sensus capitis elevantur, suoque attactu singula dividunt propter hujusmodi vires, acuta vocantur: quandoque vero hæc eadem, ex putredine attenuata, angustas venas ingrediuntur, coguntque partes interiores, tam terrenas quam quodammodo aereas, jactatas invicem commisceri, permixtasque circumlabi alias, et alias ingredi, ingressuque suo penetratas concavas tensasque efficere: ubi concavus et ampullosus humor aeri circumfunditur, isque humor alias terreus quoquo modo est, alias purus, fitque ex aqua concava vasculum aeris humidum atque clarum: sed quod ex pura nascitur aqua, perlucet undique, ampullaque vocatur; quod autem ex lutulento magis humore, simul agitato quidem elatoque et circumtenso, conficitur, ebullitio, bulla fermentumque dicitur: harum omnium passionum causa acida qualitas appellatur: his omnibus, quæ de his dicta sunt, contraria passio a contraria causa proficiscitur: quando vero ingredientium qualitas humida est linguæ qualitati naturaliter concors et consentanea, ac lenit mollitque eam, contractamque demulcet asperitatem, et quæ in nobis præter naturam contracta vel sparsa fuerunt, relaxat vel colligit, ac sum-

matim naturalem singulis restituit habitum, suave hujusmodi omne amicumque est omnibus, violentarum quoque passionum medicina atque remedium, dulceque vocatur.

Circa narium vim species non sunt: semigenia enim odorum natura: speciei vero nulli competit odorem ullum habere: sed nostræ circa hæc venæ ad terræ et aquæ genera angustiores sunt, ad ignis vero aerisque genera latiores: quocirca nemo umquam istorum aliquem sensit odorem: sed in madefactione quorumdam, vel liquefactione, vel evaporatione gignuntur odores: quum enim in aerem aqua vel aer in aquam transit, in medio istorum odores fiunt, omnisque odor aut fumus est, aut caligo: sed horum quod ex aere mutatur in aquam, caligo; quod vero ex aqua in aerem, fumus: hinc fit, ut aqua odores tenuiores sint, aere crassiores: quod maxime perspicuum fit, quando, certa quadam re naribus occurrente, aliquis in se ipsum vehementer spiritum retrahit: tunc sane nullus simul influit odor, spiritus autem ab odore nudus solus sequitur: duæ igitur hæ in his varietates absque nomine sunt, nec ex pluribus, nec ex simplicibus speciebus: sed duo ibi nomina tantum manifesta sunt, suave scilicet et molestum: hoc quidem disturbat violatque omnem eam capacitatem, quæ a summo capitis vertice ad umbilicum protenditur: illud vero eamdem mulcet, et amico quodam ingressu naturalem ejus servat habitum.

Tertiam præterea vim sentiendi, auditum videlicet, ita considerare debemus, ut, quibus ex causis passiones ejus proveniant, exponamus: omnino igitur vocem ponamus pulsationem quamdam ab aere per aures cerebrumque et sanguinem usque ad animam penetrantem: natam quoque ex ea motionem, incipientem a capite et in sedem jecoris desinentem, auditum vocemus: motio quidem velox acuta provenit, tarda gravis: una æqualis atque lævis, contraria vero aspera: magna, quæ multa: parva, quæ pauca: harum vocum concordiam consonantiasque in sequentibus declarabimus.

Sequitur quartum sentiendi genus exponendum, quod varietatem in se plurimam continet: et quæ sub eo sunt omnia, colores vocantur: est autem color veluti flammula quædam fulgorque a singulis corporibus emanans, partes habens visui ad sentiendum accommodatas: causas vero, ex quibus visus gignitur, supra tractavimus: nunc de coloribus potissimum hoc pacto probabilia dicenda videntur: quæ ab aliis delata partibus in aspectum cadunt, partim minora, partim majora, partim visus ipsius partibus æqualia sunt: æqualia quidem sentiri non possunt, quæ diaphana, id est, utrimque perspicua, nomi-

nantur: minora vero aut majora partim discernere, partim contrahere visum dicimus, instar eorum quæ caliditate vel frigiditate carnem, aut eorum quæ acrimonia, vel acumine, caliditateve linguam contrahunt vel discernunt: atque ea, quæ visum sic afficiunt, alba nigrave vocamus: quæ quidem passiones eorum sunt, quæ modo narrabam, et illorum quidem germana eademque quodammodo, sed in genere alio, diversa tamen propter has causas esse videntur: sic utique appellanda sunt ista: quod visum disgregat, album; nigrum vero, quod congregat: motionem profecto acutiorem alteriusque generis ignis, incidentem dispergentemque visum usque ad oculos, orbesque ipsos oculorum meatusque vi diverberantem liquefacientemque, ignem esse dicimus ex opposito obviantem, cujus occursu lacryma, corpus ex igni et aqua mixtum, effunditur: et uno quidem igne velut e coruscatione quadam exsiliente, altero vero penetrante et ab humore exstincto, varii creantur ex hujusmodi mixtione colores: atque ipsam passionem fulgorem coruscationemque vocamus; quodve id facit, splendidum atque coruscum: horum medium ignis genus ad oculorum humorem perveniens, illique se miscens, minime quidem coruscum, sed ex ipsa ignei radii ad humorem admixtione, sanguineum creante colorem, rubeum nominamus: splendidum albumque rubeo mixtum flavum procreat: quo autem mensuræ modo singula singulis misceantur, etiamsi quis noverit, narrare prudentis non est: præsertim quum neque necessariam, neque verisimilem de his rationem afferre ullo modo possit: rubeum cum albo nigroque purpureum generat: paullo obscurior moreus luteolusque fit color, quando his invicem conflatis adustisque magis est adjuncta nigredo: fulvum flavi fuscique temperatione producitur: fuscum vero albi et nigri confusione: pallorem albi flavique copula generat: splendidum albo adjunctum plurimaque offusum nigredine cæruleum efficit: cæruleum cum albo glaucum creat: fulvi nigrique temperie color viridis nascitur: cetera ferme ex his omnia manifesta fiunt: si quis enim superiores mixtiones imitatus reliquos colores exsequitur, probabilibus rationibus disputabit: at si quis horum discussionem probationemque opere ipso aggredietur, quid inter humanam divinamque naturam intersit, ignorare videbitur: nempe Deus multa in unum colligere rursusque unum in multa producere sufficiens est: scit enim simul ac potest: homo autem nullus, qui alterutrum valeat, aut est nunc, aut umquam erit.

Hæc sane omnia, ita tunc naturaliter affecta, ex necessitate ille

pulcherrimi optimique operis fabricator in his, quæ gignebantur, assumebat, quando Deum se ipso sufficientem et perfectissimum generabat, utens quidem causis ad hæc ministris; quod autem bene se habebat, ipse in singulis agens: duas enim causarum species distinguere decet, unam quidem necessariam, alteram vero divinam: ac divinam in omnibus quærere, ut beatam vitam, quoad naturæ nostræ possibile est, adipiscamur: necessariam quoque causam illorum gratia perscrutari: cogitare enim oportet, absque his illa, in quibus studium ponimus, non posse intelligi, vel comprehendi, vel quomodocumque aliter percipi.

Quoniam vero nobis in præsentia veluti fabris materia subjacet, causarum videlicet genera, vicem ferme jam præparatæ materiæ obtinentia, ex quibus est sequens disputatio contexenda, rursus ad principium breviter redeamus, citoque illuc regrediamur, unde hucusque processimus, atque ita demum finem apicemque disputationi, qualem superiora exigunt, imponamus: quemadmodum ab initio diximus, quum hæc ordine carerent, singulis Deus, et ad sese et ad alia invicem, eatenus modum rationemque proportionis indidit, quatenus suscipere singula poterant: tunc profecto nihil erat ordinis, nisi forte casu aliquo, particeps; nec quidquam tunc aqua vel ignis, vel aliud aliquid eorum, quæ modo apud nos nominantur, jure vocandum erat: verum hæc primum omnia exornavit, deinde ex iis hoc universum constituit, animal unum, animalia in se omnia mortalia et immortalia continens: et divinorum quidem ipse est auctor, mortalium vero generationem natis suis tradidit absolvendam: illi igitur, suum imitati parentem, principiumque animæ immortale suscipientes, animam ipsam mortali corpore clauserunt, totumque corpus animæ quasi vehiculum subdidere, atque in eo aliam animæ speciem mortalem fabricaverunt, quæ gravibus necessariisque perturbationibus afficeretur: quarum prima foret voluptas, esca maxima mali; dolor deinde, fuga impedimentumque bonorum, audacia præterea metusque, consultores amentes: accederet et implacabilis iracundia, spes etiam blanda conciliatrixque, cum irrationali sensu amoreque omnium invasore: illi ergo, ista miscentes, necessario mortale genus composuerunt. Ceterum, ne divinum ulla mortalium contagione, nisi quantum summa necessitas cogeret, pollueretur, seorsum ab illo in alia corporis sede mortale collocaverunt, atque a pectore caput cervice et collo interjecto separavere: in pectore igitur et thorace mortale genus animæ posuerunt: quumque id naturaliter

partim melius, partim deterius esset, deposuerunt rursus thoracis capacitatem, discernentes sedem tamquam virorum alteram, alteram feminarum: cartilaginem enim quamdam, nomine diaphragma, quod etiam phrenas vocant, inter hæc mediam interjecerunt: partem igitur animæ fortitudinis iracundiæque participem contentiosamque capiti propinquiorem fecere, inter diaphragma cervicemque mediam: ut hæc obediens rationi una cum ipsa cupiditatum genus vi illata coerceat, si quando rationis, in arce capitis habitantis, jussa cupiditas respuat. Cor vero, venarum originem fontemque sanguinis per omne corpus impetu quodam manantis, in stipatorum regione suspendere voluerunt, ut, quando iræ vis exardescit, ratione nuntiante numquid extrinsecus injuste fiat vel intrinsecus aliqua concupiscentia turbet, tunc celeriter per angustos quoslibet meatus, omne quod in corpore sensus est particeps, jussa minasque persentiat, atque ita obediat obsequaturque omnino, toleretque in iis omnibus præstantissimi illius imperium. Quum vero cognoscerent cor rerum terribilium objectu trepidaturum et ira sæpius flagraturum, idque opus omne per ignem fore, æstus hujusmodi temperandi gratia pulmonum tegmen cordi adhibuerunt, molle primum atque exsangue, deinde cavis intrinsecus fistulis spongiæ instar distinctum, ut, spiritu potuque hausto, cordis ardorem hujusmodi respiratione et refrigerio tepefaciat: quam ob causam arterias, tamquam aquæductus, per pulmonum substantiam derivarunt, eamque cordi, quasi mollem saltum, circumdedere, ut, quando nimia fervet ira, inde ad faciliorem obedientiam temperatum deferveat, sedatoque tumultu rationi facilius cum ira ministrare et obsequi valeat. Postremo eam animæ partem, quæ esculenta et poculenta cupit, et reliqua omnino, quibus corpus indiget, concupiscit, mediæ regioni inter diaphragma et umbilicum applicavere: ubi quoddam quasi præsepe ad totius corporis alimoniam exstare volebant, et ibidem illam vim animæ, tamquam agreste animal, alligaverunt: hic sane illam corpus suum alere necessarium est, si quidem mortale quandoque futurum est genus: ut ergo ad præsepe semper illa pascatur, habitetque procul a consultore, ideoque illum clamore et strepitu suo minime turbet, sed permittat præcipuum nostri ducem tranquillo in otio communi omnium utilitati consulere, regionem idcirco inferiorem ipsi habitandam Dii dedisse videntur. Quoniam vero videbat Deus partem illam animæ talem fore, ut rationem non exaudiret, et si quo sensu pulsaretur, nullo modo rationibus obtemperaret, sed simulacris

visisque nocte dieque maxime raperetur: idcirco naturam jecoris procreavit, et in ejus habitationem disposuit, densam, inquam, naturam, lævem, claram, dulcem et amaritudinis non expertem; ut cogitationum ex mente descendens potentia in ipso jecore, velut in speculo figuras suscipiente aspectuique simulacra reddente, quandoque recepta terreat ipsum, quandocumque cognata amaritudinis parte usa minasque intendens et toti repente suffusa jecori felleos terribilesque colores ostendat; contrahens præterea ipsum rugosum et asperum totum reddat, ac fibras ejus, bilem ejusque ventriculum et venas, quæ portæ vocantur, sic afficiat, ut partim ex habitu recto deflectens atque contorquens, partim obstruens et concludens, dolores detrimentaque præbeat: ac rursus quando mansuetudinis ex mente inspiratio contraria visa effingit, amaritudinem quidem sedans ex eo, quod adversam sibi naturam neque ciere, neque attingere velit; dulcedine vero illi ingenita utens, et omnia recta, lævia, libera in ipso digerens: tunc sane pacatam mansuetamque partem animæ in jecore habitantem facit, adeo ut etiam in somno moderate affecta sit, vaticinioque utatur, quando rationis prudentiæque est expers: qui enim nos composuerunt paterni illius mandati memores, quo mortale genus præceperat quam optimum pro viribus fieri, ita deteriorem nostri partem instituerunt, ut ipsa quoque veritatis foret quodammodo particeps, siquidem in ea expleri vaticinium statuerunt: quod autem dementiæ humanæ Deus divinandi vim dederit, illud argumento esse nobis potest, quod nemo, dum sanæ mentis est, divinum et verum vaticinium ullum assequitur; sed quum vel somno prudentiæ vis præpedita est, vel oppressa morbo, vel divino aliquo raptu e suo statu dimota, fieri divinatio solet: prudentis vero dumtaxat officium est, quæ a fatidico furenteque ingenio dormiendo vel vigilando pronuntiata sunt, intelligere: et quæcumque visa illuxerint, ratiocinatione ita discernere, ut qua quidque ratione, et cui futurum aliquid vel præteritum præsensve bonum vel malum portendere videatur, explanet: illius autem, qui mansit manetque adhuc in furore, non est officium, quæ viderit aut protulerit, judicare: scitum profecto priscum id dictum: agere sua seque ipsum cognoscere solius prudentiæ est opus: hinc lex jubet divinis vaticiniis judices præesse prophetas, quos vates quidam nominant, ignorantes prorsus eos oraculorum visorumque, quæ obscuris velaminibus involvuntur, interpretes esse, non vates: quare qui vaticinia judicant, non vates illi quidem, sed prophetæ, id est,

vaticiniorum interpretes pronuntiatoresque, vocandi. Atque jecoris quidem natura ob hanc causam talis facta est et in ea sede, qua diximus, collocata, divinationis scilicet gratia : ac etiam vivente unoquoque talium signa clariora exprimi solent : vita vero privato cæcitas accidit, nec evidens quidquam fit vaticinii signum : proximum huic ad sinistram locatum est hujus gratia membrum, ut purum hoc semper clarumque reddat, et instar speculi nitens atque perspicuum, ad imaginesque exprimendas accommodatum : quapropter, quando propter corporis morbum sordibus jecur abundat, lienis raritas id purgans eas combibit, quum membrum hoc concavum sit et exsangue : unde purgamentis impletum excrescit tumetque sanie; ac rursus, quum mundatum corpus est, restrictum in se ipsum considet.

Quid igitur anima mortale, quid divinum habeat, et ubi, et quibuscum, et quare hæc inter se disjuncta sint, diximus : at quod revera ita sit, ut diximus, ita demum assereremus, si divinum confirmaret oraculum : quod vero verisimile sit ita esse, et nunc et deinceps diligentius etiam investigando asseverare non dubitamus : atque in præsentia ita sit nobis assertum : quod autem hæc sequitur, similiter est tractandum : reliquum est enim, qua ratione cætera corporis membra digesta sunt, enarrare : itaque hac potissimum ratione constare hæc decet.

Cognoscebant illi profecto nostri generis fabricatores nos ad cibum potumque intemperatos fore, ac propter ingluviem plus quam modus aut necessitas postularit, ex his sumpturos : igitur ne subitus propter morbos interitus proveniret, atque ita imperfectum mox genus mortale desineret, inferiorem ventrem fabricaverunt ad esculentorum poculentorumve superabundantiam capiendam : eum præterea spiris intestinorum circumplicavere, ne subito alimenta nobis assumpta defluerent, ac rursus novi alimenti confestim necessitas immineret : ob illam enim inexplebilem perpetuamque voraginem genus nostrum philosophiæ musicæque et moderationis omnis expers relictum fuisset, illi parti, quæ in nobis divinissima est, minime obsequutum.

Ossium vero et carnis ceterorumque hujusmodi ita est natura composita : his nempe omnibus medullæ generatio initium præbuit : vincula enim vitæ illius, quam anima corpori juncta ducit, applicata medullæ, ex eaque per omne diducta, vinciunt fulciuntque corporis nostri compaginem : ipsa vero medulla est ex aliis generata : sunt quidem trianguli primi quidam et indeflexi læves-

que, ad ignis, aeris, aquæ, terræ exactissimam generationem accommodatissimi : e quorum generibus singulis Deus secernens singulos, et invicem contemperatos permiscens, totius generationis mortalium sementem fomitemque constituit, dum medullæ ex his substantiam procrearet : postea vero serens in ea animarum genera alligavit : figuras præterea, quotcumque et qualescumque ex singulis speciebus adesse medullæ oportuit, tot penitus atque tales statim in prima illa distributione distinxit : et illam quidem medullæ partem, in quam, velut agrum quemdam, divinum semen jaciendum erat, globosam et undique teretem finxit : atque encephalum, id est, cerebrum, idcirco voluit nominari, quia, unoquoque animali denique absoluto, vasculum cerebri capax cephalum, id est, caput, vocandum erat : quod autem reliquas mortalesque animæ vires comprehensurum erat, rotundis simul oblongisque figuris ornavit, totumque medullam voluit nominari : atque ex iis, quasi quibusdam ancoris, jaciens totius animæ vincula, circa illas jam universum nostrum corpus absolvit, ossiumque textura extrinsecus eas fulcivit : os vero ipsum ita composuit : terram atterens puram lævemque miscuit madefecitque medulla : id postea in ignem jecit : deinde in aquam mersit, rursus in ignem, iterum et in aquam : atque ita sæpe transferens in utrumque, tale reddidit, ut a neutro liquefieri posset : hoc igitur usus sphæra ossea, quasi torno facta, cerebrum circumsepsit, huic angustos reliquit meatus, et circa cervicis simul dorsique medullam ex ipso rotulas vertiginesque effingens, quasi cardines subdidit, ita ut a capite per totum protenderit : sic utique semen omne servavit, dum lapideo ambitu circumvallavit : articulos insuper addidit, alterius ipsius natura usus in ipsis, tamquam media quadam exsistente potentia, motus flexionisque gratia : arbitratus vero ossium naturam aridiorem rigidioremque quam oporteat fore, et, quum ignita evaserit atque etiam frigefacta, illisuram corrupturamque cito semen internum, nervorum carnisque genus effinxit, ut nervis quidem membra reliqua vincientibus, intensis remissisque circa cardines ipsos, corpus omnem ad flexionem tensionemve promptum et agile redderet : caro vero tegmen foret adversus frigus atque calorem, et, quemadmodum externa corporis fulcimenta solent, ad casus varios munimentum ; præsertim quia talis erat futura, ut molliter leniterque corporibus cederet : cui calidum idcirco humorem indidit, ut æstate quidem roscida madidaque extrinsecus toti corpori domesticum præbeat refrigerium, hieme vero

rursus proprio igni exteriorem glaciem moderate repellat: hæc quum fictor ille nostri corporis cogitaret, mixtione quadam ex aqua, igne et terra contemperata, et acuto illis salsoque fermento adhibito, succi plenam ac mollem carnem conflavit: naturam vero nervorum ex osse et carne non fermentata, unam ex utrisque potentia mediam temperavit, flavoque infecit colore: hinc fit, ut carne quidem tensior et aridior, ossibus autem agilior molliorque sit nervorum substantia: his Deus medullam simul et ossa devinxit, et hæc omnia carnibus cooperuit: quæ igitur ossa animata maxime erant, paucissimis carnibus adoperuit: quæ vero minime, contra plurimis atque crassissimis: juncturis insuper ossium, præterquam ubi necessitatis ratio aliter postulabat, paucas carnes adjecit, ne flexionibus impedimento forent, tardaque ad motum corpora facerent, neve sua quadam solida crassitudine obtusiorique mole sensuum aciem hebetarent, memoriam impedirent, ingenii acumen obtunderent: quamobrem inguinum, tibiarum, iliorum, brachiorum, lacertorum ossa, et cetera omnia, quæ articulis carent, quæve intus latentia ossa propter animæ paucitatem in medulla prudentia vacua sunt, multis sunt carnibus adoperta: paucioribus vero, quæ prudentiam habent: nisi forte carnosa quædam moles proprie ad sensum aliquem aptata sit, qualis est lingua: in ceteris est, ut diximus: natura enim, ex necessitate genita atque nutrita, nullo modo os compactum carnemque multam simul et acutum sensum admittit: maxime namque omnium ea capitis compositio habuisset, si una concurrere potuissent: genusque hominum pingue, nervosum robustumque habens caput vitam duplam ac etiam multo diuturniorem, validiorem, placidiorem, quam nos, possedisset: ceterum nostris illis fabricatoribus, de nostro genere consultantibus, utrum diuturnius quidem, sed deterius, an brevioris quidem vitæ, sed melioris efficerent, visum fuit vitam brevem melioremque diuturnæ et deteriori esse omnino anteponendam: itaque caput osse raro texere, sed carnibus nervisque, quia flexiones non erat habiturum, non fulciverunt: his omnibus de causis caput membris omnibus acutius ad sentiendum prudentiusque, sed imbecillius est constitutum: nervos autem ob hanc rationem atque hoc pacto Deus extremæ parti capitis circumponens, spinæ dorsi eos quadam similitudine circumplicavit, summasque illis maxillas sub vultu devinxit: reliquos per omnia membra disseminavit, articulum connectens articulo. Nostri præterea illi exornatores oris naturam dentibus, lingua, labiis, ita ut nunc videmus,

necessariorum simul et optimorum gratia ornaverunt: nam ingressum quidem necessariorum, egressum vero optimorum gratia excogitavere: nempe necessarium est, quidquid ad alimoniam in corpus admittitur; verborum autem effluxio, ministra prudentiæ, effluxionum omnium optima est atque pulcherrima. Caput præterea nudo osse relinqui, omni alio tegmine destitutum, non poterat propter caloris frigorisque excessum: neque rursus carnium pondere prægravatum, sensus expers obtusumque reddendum erat: carne igitur non penitus desiccata residuum, quod majus supererat, segregatum est, cutisque ipsa, circa cerebri humorem sibi ipsi juncta et germinans, caput circumvestivit: humiditas autem, sub juncturas scaturiens, irrigavit compegitque ipsam ad verticem: juncturarum vero species varia propter circuitionum alimoniæque potentiam facta est: et his quidem magis invicem pugnantibus plures, minus vero pauciores: hanc omnem cutem undique igne pupugit percussitque Deus: per cutis inde quasi sauciæ rimulas humor effluxit: quodve illic humidum calidumque sincerum erat, abiit; quod vero ex iisdem, quibus et cutis, erat permixtum, emanationis impetu extra productum, in longum extensum est, tenuitatem punctioni penetrationique illi æqualem habens: sed propter tarditatem a spiritu circumstante retusum, rursusque sub cutem revolutum, radices egit: his utique causis capilli in cute sunt nati, secundum pellis coriique similitudinem cuti quam proximi, sed propter coagulationem a frigiditate factam duriores cute atque densiores: nempe capillus extra cutem productus frigore riguit: hoc pacto constipatum hirsutumque caput nobis Deus instituit, causis quidem usus illis, quas diximus: tegmen vero ipsum ad cerebri tutelam non carnibus ponderosum, sed leve esse voluit, quod ad frigoris calorisve intemperiem repellendam sufficeret et sensus acumen minime impediret: ea vero, quæ in digitis est, nervi, pellis et ossis complexio, aridior facta, communi quodam uno duriorique cutis tegmine est adoperta: cujus quidem accessoria ministraque causa in iis, quæ diximus, constitit: principalis autem causa in ea intelligentia, quæ id futuræ commoditatis gratia fabricavit: quod enim ex viris quandoque mulieres et ceteræ animantes erant futuræ, nostri illi opifices non ignorabant: quin etiam, quod unguium usum bestiæ quoque multæ ad opera multa erant habituræ, intelligebant: quapropter homines statim genitos unguibus armaverunt: hac utique ratione et his de causis pelle, capillis, unguibus extrema membra operuere.

Quoniam vero partes et membra omnia mortalis animantis in mutua quadam cognatione genita erant, vitamque necessario in igne ac spiritu possidebant, ne animal ipsum ab his resolutum exhaustumque cito deficeret, hoc Dii consilio providere : quippe humani generis naturam quamdam cognatam aliis formis sensibusque miscentes, quasi animal quoddam aliud plantaverunt : talia sunt domesticæ arbores, plantæ, semina, quæ consita nunc cultaque ab arte mitia nobis sunt; quondam vero sine cultura agrestia : quidquid enim vitæ est particeps, jure animal nominabitur: quod autem nunc dicimus, tertiæ animæ speciei est particeps, quam inter diaphragma et umbilicum locavimus : cui opinio, ratio, mens nulla penitus inest; sensus vero suavis et tristis una cum cupiditatibus convenit : omnia siquidem continue patitur : quum vero in se ipso ad semet convertatur, externumque respuat motum, et proprio motu domesticoque utatur, idcirco huic natura non tribuit, ut quidquam pensi habens suorum aliquid consideraret: quapropter vita quidem fungitur, nec est ab animali diversum : quia vero illa vi, qua quid se ipsum transfert, orbatum fuit, stetit rigens et fixum radicibus hæsit.

Quum hæc omnia superiores illi nostri ad nutrimentum nobis inferioribus suppeditassent, in nostro corpore, quasi quodam horto, meatus veluti aquæductus varios diduxerunt, ut liquoris derivatione irrigaretur : principio meatus occultos sub conflatione cutis et carnis, duas scilicet venas in tergo diviserunt, secundum geminam corporis ipsius figuram, ad dextram et sinistram : has utique ad spinam demiserunt, mediamque medullam genitalem comprehendere, ut et hæc quam maxime vigeat pulluletque, et uberior hinc ad alia, quasi declivis effusio, irrigationem æquabilem præbeat. Post hæc partientes circa caput venas, easque invicem ex opposito implicantes, partim a dextris ad sinistra, partim a sinistris ad dextra corporis dispertierunt : ut capiti ad reliquum corpus una cum cute connexio foret, postquam nervis quidem non erat circulo quodam secundum verticem comprehensum atque distinctum : atque etiam ut sentiendi vis ab utrisque partibus per totum corpus undique demanaret: hinc vero aquæductum hoc ordine deduxerunt : quem plane perspiciemus, si hoc inter nos primum asseverabimus : quæcumque ex minutioribus componuntur, majora detinent: quæ vero ex grandioribus, minutiora cohibere non possunt : ignis autem præ ceteris generibus minutissimis constat particulis : ideoque aquam, aerem, terram, et quæ ex his

componuntur omnia, penetrat transilitque usque adeo, ut nihil ipsum valeat cohibere: idem quoque de nostro utero cogitandum: nempe cibos et potus ingestos retinet, spiritum vero et ignem, quia ejus compositione tenuiores sunt, demorari non potest: his igitur usus est Deus ad irrigationem ab utero in venas perficiendam: rete enim quoddam ex aere atque igne instar gibbosæ sagenæ contexuit: ubi duo sunt ad ipsum introitum gibbi convexa: quorum alterum bifariam bino pulsu iterum implicavit, et ab ipsis gibbi convexis veluti funes per totum corpus usque ad texturæ illius extrema circumtetendit: interiora igitur ipsius tricæ omnia ex igne composuit, convexa vero et receptaculum ipsum ex aere: demum hæc assumens in animali formato, hoc pacto disposuit: convexa quidem in os demisit: quum vero convexum gibbosumque sit duplex, per arterias alterum in pulmonem usque trajecit, alterum circa arterias in uterum: alterum vero partitus utramque illius partem ad fistulas narium communiter duxit, ita ut, quando alterum ad os non pervenit, ex hoc ipso omnes illius fluxus meatusque repleantur: alteram vero gibbi retisque capacitatem circa omnes partes corporis concavas esse voluit; idque omne alias quidem in convexa incurvaque confluere molliter, quasi aer illic sit, effecit; alias autem convexa incurvaque ipsa refluere: rete vero, quoniam rarum sit corpus, penetrare per ipsum rursusque emergere: radios autem ignis interiores successione continua subsequi, in utramque partem aere transeunte: idque, donec mortale consistit animal, fieri numquam cessat: hujusmodi agitationem merito exspirationem respirationemque nominatam esse censemus: omne autem hoc opus omnisque nostra hæc passio in corpore fit irrigatione quadam et refrigerio ad vitam et nutrimentum: quando enim exspirante et respirante halitu ignis simul interior sequitur, perque uterum diffusus poculenta esculentaque offendit, liquefacit protinus ipsa, partitur in minima, per exitus, qua progressio patet, tamquam ex fonte quodam educit: in meatus videlicet venarum trajicit, quæcumque exhausit, atque per corpus quasi vallem venarum fluenta diducit.

Sed videamus iterum, quibus causis respiratio hunc in modum, quem nunc cernimus, fuerit instituta: cujus quidem rei talis erit consideratio: quoniam vacuum nusquam est, quo quidquam eorum, quæ perferuntur, ingredi queat, spiritus autem e nobis evolat: cuivis constat non in vacuum quidem hunc spiritum evolare, sed proximum sibi e sua sede depellere; depulsum rursus illum

proximum sibi semper extrudere, ac secundum necessitatem hujusmodi quidquid in sedem illam repercutitur atque impellitur, unde exclusus est halitus, ingressum illuc replensque halitum ipsum subsequi: idque totum simul revolutione quadam, quia nusquam sit vacuum, fieri: quamobrem quum pectus pulmonesque spiritum efflaverint, mox aere corpori circumfuso meatus corporis penetrante, replentur: ac rursus evolans a corpore aer et emissus anhelitus inspirationem intro retrahi cogit per oris nariumque meatus. Causam vero, quæ his principium dat, hujusmodi ponimus: omne universi hujus animal in venis et sanguine calorem, quasi fontem ignis aliquem, possidet: idque reti sagenæ comparavimus, per medium extensum, totumque ex igne contextum, quum exteriora omnia ex aere sint: calorem sane putandum est natura sua in regionem suam extra ad id, quod sibi cognatum est, emanare: quum vero discursiones duæ sint, una per corpus extra, altera rursus per os ac nares: quum anhelitus ad alia impetum facit detruditque, alia contra retrahit atque repercutit: quod autem retractum est, in ignem incurrens calescit: quod exhalavit, friget: dum ergo caliditas permutatur, et, quæ alio transitu utuntur, calescunt, ac rursus, quod fervet, ad naturam suam emigrat, et hac emigratione alia in aliud iter repercutit, rursusque hæc idem perpetiuntur aguntque semper: certe anhelitus hic, circulo quodam hinc et illinc jugiter fluctuans, exspirationem et inspirationem continet.

Quin etiam causæ passionum, quæ ex attractu ampullarum ex corpore a medicis fiunt, atque etiam potionis, et eorum insuper, quæ jaciuntur, sive emittantur sublimia, seu deferantur humi, hac utique ratione tractandæ videntur: voces præterea, quæcumque veloces et tardæ, acutæ et graves audiri solent: alias dissonæ propter motus ejus, qui in nobis ab ipsis fit, dissimilitudinem, alias propter similitudinem consonæ: priorum enim velociorumque cessantes motus, jamque ad simile quiddam progressos, tardiores ipsæ voces succedentes illis, eosque moventes, occupant comprehendendo ac superant: comprehendentes vero non alium quidem motum injiciendo perturbant: sed tardioris lationis initium, secundum principium velocioris, inducunt: dum vero desinentis motionis similitudinem sibi quamdam accommodant, unum ex acuta et gravi concentum contemperant: unde insipientibus voluptatem, sapientibus gaudium, propter divinæ harmoniæ imitationem in lationibus mortalibus repertam, tribuunt. Eadem ratio

est de aquarum fluxibus, de fulminum impetu, de electri mirabili illo attractu, lapidisve illius, qui Heraclius nominatur : revera nullius horum attractio fit : sed quum nusquam sit vacuum, et hæc se invicem pulsent atque repulsent, concretaque et discreta suum locum singula poscant, diligenti harum rerum investigatori ex his mutuis passionibus eventus illi mirabiles contingere videbuntur.

Atque respiratio, unde huc digressi sumus, ab his causis et hunc in modum, ut supra diximus, provenit : dum videlicet ignis cibos dividit, elevaturque intrinsecus assequutus spiritum, venas a ventre communi elevatione hujusmodi replet, ex eo quod attrita inde haurit : et ob hanc rationem per totum animalium omnium corpus alimentorum liquores penitus diffunduntur : statim vero attrita et a cognatis suis ablata, partim fructibus, partim graminibus, quæ Deus ad alimoniam corporis nostri produxit, colores propter mixtionem omnino varios habent : sed plurimus in his rubeus prævalet color, cujus natura ex ignis portione et abstersione in humido facta provenit : propterea ejus, quod in totum corpus permanat, color talis aspectu est, qualem diximus : id sanguinem nominavimus, carnium et universi corporis pabulum : unde irrigatio distributa passim exhausta cuncta replet : modus autem impletionis evacuationisve talis est, qualis in universo cujuslibet latio, per quam cognatum quodlibet ad se ipsum se confert : quæ enim nobis extrinsecus circumfusa sunt, resolvunt nos assidue et singulas nostri portiones ad species suas foras emittunt : sanguinea vero, in nobis attrita inclusaque visceribus, ut par est in quolibet animali fieri sub cælo constituto, totius lationem imitari coguntur ; quum igitur attrita quælibet in nobis cognatum poscant, exhausta quælibet implent : porro quando abscedit plus quam accesserit, decrescit animal : quando contra fit, augetur : recens igitur animalis cujuslibet compositio quum novos velut ex ligneo quodam contextu triangulos habeat, validam quidem eorum compaginem possidet : moles autem ejus tenerior tota coaluit, quippe quæ ex recentiori medulla concrevit nuper et lacte nutrita est : susceptos ergo triangulos illos extrinsecus incidentes, quibus cibi potusque conflantur, triangulis propriis antiquiores imbecillioresque juniorum vi pervincit et conterit, et grande animal ipsum reddit, dum ex multis similibus alit : at quum triangulorum radicem compagemque relaxat, ex eo quod magnis laboribus longo tempore adversus multa certando fatigata et domita sit, tunc sane alimenta

suscepta in similitudinem suam non potest comminuendo redigere: sua vero membra ab ingredientibus facile dissipantur: hinc jam minui ac deficere omne incipit animal, quum superatur: detrimentumque istud senectus appellatur: finis vero tunc obvenit, quando triangulorum illorum, ex quibus medulla conficitur, olim coaptata vincula nihil amplius nectunt, sed defatigatione jam relaxata nexus animæ deserunt: anima vero clam secundum naturam cum voluptate protinus evolat: quidquid enim contra naturam fit, molestum est: quod autem pro rei natura, jucundum: similiter et mors quam morbi et vulnera intulerunt, violenta est atque molesta: quæ vero senio paullatim ad finem deducente naturaliter subrepit, inter omnia mortis genera levissima est, et cum voluptate potius quam dolore contingit.

Morbi autem unde nascantur, quis dubitet? nam quum quatuor illa sint, ex quibus compactum est corpus, terra, ignis, aqua, aer, horum non naturalis excessus defectusque, et ex loco proprio in alienum translatio, per quam, quod sibi conveniens est, non tenent, intestinam quamdam seditionem et morbos inferunt: quando enim præter naturam unumquodque fit, aut transfertur, calescunt utique, quæ ante frigebant, arida madent, gravescunt levia, et cetera omnia similiter permutantur: solummodo vero idem aliquid sibimet secundum idem atque similiter et debita proportione servata accedens vel decedens, permittet se idem sibi ipsi sospes integrumque manere: quod autem aberrat, sive accedendo, seu decedendo, mutationes varias, morbos, corruptiones infinitas inducit: ex secundis quoque compositionibus secundum naturam constitutis secunda bonæ vel malæ valitudinis conjectura id quærenti cuique dabitur: quum enim medulla ex illis et os, et caro, et nervi constiterint, sanguis præterea ex iisdem, quamvis alio modo, concreverit: ceteri quidem eventus plurimi, quemadmodum superiora, contingunt, maximi vero morbi atque gravissimi hoc pacto nascuntur: quando videlicet ordine converso ista ex se invicem fiunt, procul dubio corrumpuntur: nempe secundum naturam carnes et nervi ex sanguine generantur; nervi quidem a villis et ligamentis propter cognationem, carnes autem a coagulatione quadam ejus, quod secretum a villis et ligamentis concrevit: quod rursus a nervis et carnibus emanat glutinosum et pingue, simul quidem carnem ut plurimum ad ossium naturam, ac etiam os ipsum medullam circumdans, nutriendo exauget: quod rursus per ossium crassitudinem stillat purissimum genus triangulorum lævissimum-

que et pinguedine abundantissimum, dum defluit ex ossibus atque delabitur, medullam irrigat: quatenus igitur singula hunc in modum fiunt, bona valitudo servatur: mala vero sequitur valitudo, quando fit contra: nam quotiens eliquata caro tabem rursus transmittit in venas, sanguis una cum spiritu multus ac varius in venis, coloribus diversis, amaritudineque et acidis salsisque infectus saporibus, bilem, cruorem, pituitam gignit quam plurimam: quæ quidem omnia rursus sic genita et corrupta sanguinem ipsum in primis inficiunt, et ipsa nullum nutrimentum adhibentia corpori, feruntur passim per venas, nullo prorsus naturalis circuitus ordine observato: inimica sane inter sese ista sunt, propterea quod nullum sui sibi invicem præbent usum: naturali præterea corporis habitudini suoque in statu perseveranti dissolvendo et liquefaciendo plurimum adversantur: portio namque carnis vetustissima quum liquescit, ad digestionem concoctionemque ineptissima, propter veterem exustionem nigrescit: quia vero contabuit penitusque exesa est, amaritudinem contrahit, ceteris omnibus corporis partibus nondum contaminatis adversam: et tum quidem pro amaritudine niger ipse color acerbitatem et acrimoniam habet, eo jam, quod amarum fuerat, magis attenuato: tum vero amaritudo rursus sanguine tincta colorem habet rubeum; sed nigro huic admixto felleum: præterea flavus color cum amaritudine coit, quando ob ignis flammam nova caro liquescit: et nomen quidem omnibus his commune bilem imposuit vel medicus aliquis, vel certe eo ingenio præditus quispiam, quo multa et dissimilia dispicere posset, ac rursus genus in multis unum uno cognomento dignum inspicere: quæ vero bilis species appellantur, pro colorum varietate rationem singulis propriam acceperunt: cruor præterea, qui sanguinis residuum et defluxus est, lenis est ac mitis: qui vero bilis atræ acrisque, agrestis, quando propter caliditatem salso sapori miscetur: hujusmodi quiddam acida pituita nuncupatur: sæpe vero tenerioris recentisque carnis portio quædam una cum aere colliquescit: deinde vento inflatur incluso, humiditate protinus circumfusa: fiuntque ex hoc ampullæ, quæ sigillatim propter parvitatem videri non possunt, junctæ vero simul et in grandiorem tumefactæ molem conspiciuntur, coloremque propter spumæ generationem habent album: omnem hanc tenerioris carnis eliquationem una cum spiritu factam, quæ ex humiditate vento circumfusa tumescit, albam pituitam appellamus: recentis item pituitæ residuum deflu-

xumque lacrymas atque sudorem, et quotcumque alia, in quæ quotidie corpus resolvitur: atque hæc omnia instrumenta morborum, quando scilicet sanguis non cibis et potibus secundum naturam, sed ex contrariis præter naturæ leges excrescit: quando igitur caro quælibet circumciditur ejusque radix permanet, dimidia quædam est calamitatis potentia; facile enim restauratur: quando vero quod carnes ossibus alligat, ægrotat, et sanguis ex illis ac nervis defluens haud amplius nutrit ossa carnemve revincit, sed ex pingui et glutinoso asper, salsus, siccus et squalidus iniquitate victus est factus: tunc certe quod omnia ista perpetitur, abscissum ab ossibus sub carne nervisque riget: caro etiam a radicibus decidens nudos relinquit nervos et salso obductos humore, et in fluenta sanguinis permanans morbos, quos supra diximus, numero etiam plures reddit. Graves quidem istæ corporibus passiones; quæ vero has præcedunt, admodum graviores: quando videlicet os ob carnis crassitudinem respirationem non habet sufficientem, ideoque putredinis calore vexatum atque restrictum alimenta non suscipit, rursusque ipsum in illam contra decidit frigefactum, illa vero in carnem, caro in sanguinem rursus delabitur: unde acriores superioribus morbi nascuntur: extremum vero omnium est, quando medullæ natura propter defectum aliquem aut excessum ægrotat: hinc enim omnium vehementissimi et ad mortem periculosissimi morbi proveniunt; tunc enim omnis compago corporis necessario dissipatur. Tertiam post hæc morborum speciem tripartito dividimus: alius enim spiritu, alius pituita, alius bile creatur: nam quum spiritus ipsius custos et quasi penuarius, pulmo, distillatione occlusus libera et expedita spiracula nobis non exhibet, et hinc quidem nullus mittitur spiritus, illinc vero plus quam oportet accipitur, tunc quæ respiratione et refrigerio carent, marcescunt: quod vero accipitur nimium, per venas traductum eas contorquet liquefacitque corpus ejus in medio diaphragma medium scilicet interpositum occupans : hinc morbi admodum molesti multo cum sudore innumerabiles oriuntur: sæpe etiam intra corpus discreta et rarefacta carne innascitur spiritus: qui quum foras egredi nequeat, iisdem, quibus et ingressi aliunde spiritus, doloribus afficit: sed ingentibus tunc affligit doloribus, quando nervis proximisque venulis circumfusus hæc inflat, et ligamenta continuosque nervos a tergo intendit atque detorquet: qui sane morbi ab ipsa intendente et inflante passione tensiones et a tergo contorsiones

cognominantur: quorum difficile remedium est: subortæ enim febres hos maxime solvunt: alba vero pituita propter ampullarum spiritum intus inclusa difficilis, ad exteriorem cutem delapsa mitior: sed corpus variis sordibus aspergit, albisque inficit maculis, atque morbos alios ejusmodi generat: atræ vero bili permixta, quum divissimos capitis meatus illabitur, dissipare eos solet atque turbare: si dormientibus id contingat, mitior: sin vigilantibus, expulsu difficilior: quum vero sacræ naturæ languor iste sit, haud ab re sacer morbus est appellatus: proinde pituita acida atque item salsa languorum omnium, qui distillatione fiunt, origo est: quoniam vero plurima loca illabitur, malas gignit valitudines plurimas: quæcumque autem partes corporis tumescere dicuntur, a bilis incendio et combustione vexantur: quæ quum exspirat extrinsecus, varios æstu suo tumores producit; intrinsecus vero cohibita urentes edacesque morbos plurimos procreat: tunc autem pessima est, quando puro sanguini mixta villorum ligaminumque fila suo ex ordine dimovet: quæ ideo in sanguinem diductæ et sparsæ sunt, ut mediocrem tenuitatis et crassitudinis habitum consequatur; neque propter caliditatem, quum ipse sit lubricus, raro ex corpore defluat, neque, si crassior sit, ad motum fiat ineptior atque ægre per venas fluat et refluat: ad hanc utique naturæ commoditatem hujusmodi peropportuna sunt ligamenta: quæ si quis, etiam mortuo et ob frigus rigente sanguine, invicem conducat et contrahat, reliquus sanguis omnis diffunditur: quum vero missæ fuerint, illico cum præcedente frigore restringuntur: quoniam vero hanc vim villi hujusmodi in sanguinem habent, quum bilis natura sanguis vetus evaserit, ac rursus ex carnibus in hunc fuerit resoluta, calida et humida paullatim primum incidens villorum illorum vi compressa restringitur, compressa vero exstinctaque violenter procellam intus tremoremque ciet: ceterum quando uberior affluit, calore proprio ligamenta exsuperans præterque modum exæstuans, servat quidem; ac, si continue ad finem usque idonea victoriæ sit, penetrat in medullas, adustisque radicibus inde animæ vincula, quasi navis funes, resolvit et amputat, liberamque dimittit: sed quum inferior adest corpusque liquescens ei resistit, ipsa devincta aut per totum corpus excidit, aut per venas in ventrem inferiorem superioremve compulsa, tamquam transfuga ex seditiosa civitate, sic effugit e corpore, morbosque eos inducit, quos diarrhœas vocant et dysenterias, id est, fluxus ventris lubricos fluxusque mor-

daces, nec non multas generis ejusdem alias molestias infert: quando igitur corpus ignis potissimum excessu languet, continua febre laborat: quando vero aeris, quotidiana discreta: aquæ, tertiana, propterea quod aqua segnior est quam ignis et aer: terræ demum excessu, quartana, terra siquidem omnium tardissima quarto gradu quum sit, temporis circuitu quarto fervet defervetque: hinc quartanas invehit febres, quæ vix seroque sanantur.

Atque hoc quidem pacto corporis morbi contingunt: animæ vero morbi propter corporis habitum ita nascuntur: morbum animæ dementiam esse censemus: ejus genera duo ponimus, insaniam et imperitiam: quæcumque igitur passio alterutrum istorum infert, animi ægritudo est nuncupanda: idcirco voluptates doloresque admodum vehementes morborum animæ omnium gravissimi judicandi: quisquis enim vel nimia gestit lætitia, vel nimio dolore deprimitur, dum illam avidius importuniusque adsciscere, hunc vitare obnixe conatur, neque cernere, neque audire recte quidquam potest, sed rabie furit, et in eo habitu constitutus minime rationis est compos: qui vero plurimo fluidoque circa medullam abundat semine, atque ut arbor pluribus quam conveniat fructibus gravida nimia ubertate luxuriat, is profecto multis passim doloribus, multis item voluptatibus in libidinibus ipsis earumque fœtibus fructibusque affectus, per omnem ferme vitam ob ingentes voluptates doloresque insanit ac furit: quumque hujus animus propter corpus æger sit atque insipiens, vulgo tamen non æger, sed pro voluntate sua, ut libet, affectus falso putatur: veritas autem sic habet: nempe venereorum intemperantia maxima ex parte propter generis unius habitum, per ossium raritatem in corpore lubricum madidumque, animi infirmitas est: ac ferme omnis voluptatum incontinentia, quæ, perinde ac si sponte improbi simus, vituperari solet, non recte ita vituperatur: nemo enim sponte malus, sed propter pravum quemdam corporis habitum rudemque educationem malus omnis fit malus: omnibus autem adversa inimicaque ista sunt, et mala noxiaque contingunt: rursus dolore afflictus animus similiter propter corpus in pravitatem plurimam incidit: acris enim et infesta pituita, amari item felleique humores, quando oberrantes per corpus non exhalant, sed per viscera revoluti vaporem suum penetralibus animæ ipsius infundunt, languores animæ varios, et magis et minus, tum plures, tum pauciores efficiunt: perferuntur sane ad tres animæ sedes humores vaporesque hujus-

modi, ac pro loci diversitate unusquisque varias species generat difficultatis atque molestiæ, audaciæ rursus timiditatisque, oblivionis præterea atque hebetudinis. Sæpe etiam ad pravum hunc corporaturæ et affectionis habitum accedunt mores civitatis iniqui sermonesque et privati et publici non parum animo noxii; nec ullæ doctrinæ ad tantorum malorum remedia a tenera ætate discuntur: atque ita, quicumque nostrum pravi sunt, duabus ex causis, præter voluntatem maxime contingentibus, pravi fiunt: hujusmodi quidem malorum causæ serentibus potius quam satis, educantibus quam educatis, attribuendæ: conandum tamen pro viribus, educationis, studiorum, doctrinarum diligentia improbitatem rejicere, assequi probitatem: sed horum quidem tractatio alio constat disserendi modo.

Nunc jam converso, quo cultu quibusve causis corporis animique salutem adipiscamur, decet exponere: justius enim est de bonis quam de malis verba facere: omne bonum pulchrum: pulchrum vero sine mensura et moderatione esse non potest: ideoque animal, quod tale futurum est, convenienti mensura moderatum esse oportet: ex eorum autem numero, quæ commensurata moderataque dicuntur, exigua quædam persentimus et judicamus, præcipua vero et maxima ignoramus: porro ad bonam et malam valitudinem, ad virtutes et vitia, nulla moderatio vel immoderatio majoris momenti, quam animæ ad ipsum corpus, esse videtur: horum nihil consideramus, neque animadvertimus quod, quando robustam magnamque animam imbecillior inferiorque vehit species, vel quando contra ista junguntur, totum ipsum animal pulchrum esse non potest: maxima enim mensura et moderatione caret: quod autem contra affectum est, spectaculorum omnium ei, qui id valeat intueri, pulcherrimum amabilissimumque apparet: corpus quidem, quod grandioribus vel inæqualibus cruribus, aut quovis alio modum excedente membro secum ipso dissentit, et deforme est et in ferendis laboribus contorquetur, vacillat, lassatur et concidit, innumerabiliumque malorum sibi causam præbet: idem quoque judicandum de eo ex anima et corpore composito, quod animal appellamus: quando enim anima corpore admodum potentior est, exsultat in eo atque effertur, et totum ipsum intrinsecus quatiens languoribus implet: quando etiam ad discendum investigandumque collectis in unum viribus vehementer incumbit, liquefacit protinus corpus et labefactat. Denique quum ad docendum disserendumque privatim et publice ambitiosa quadam concerta-

tione contendit, inflammat corpus atque resolvit. Nonnumquam etiam destillationes fluxusque commovens, medicorum plurimos decipit, cogitque illos contrarias causas judicare : rursus quando corpus grande et pigriori mole superexcedens pusillæ exilique cogitationi animi copulatur, quum geminæ sint in homine secundum naturam cupiditates, una quidem per corpus alimentorum, altera vero per id, quod divinissimum nobis inest, prudentiæ : tunc sane potentioris illius prævalentes agitationes quod suum est adaugent; quod vero animi, hebes, indocile, obliviosum reddunt, atque ita infirmitatem maximam, videlicet imperitiam, generant. Una demum est ad utrumque salus et conservatio, ut neque animam sine corpore, neque corpus absque anima moveamus, ut in mutua contentione exæquatis invicem viribus insurgentia bonam totius valitudinem tueantur : quapropter quicumque mathematicis doctrinis operam dat, aut cuivis mentis indagationi vehementius studet, debet etiam motum corporis adhibere et in gymnastica exercitatione versari : ac rursus qui summa corpus diligentia firmat et roborat, animæ quoque vicissim motus adjungere, musica et omnibus philosophiæ studiis usus, si modo quis jure bonus simul et pulcher sit appellandus. Similiter quoque partes curare debemus, totius speciem imitati : quum enim corpus ab ingredientibus incendatur intus frigidumve fiat, et iterum ab externis aridum madidumve reddatur, et, quæ deinceps ista sequuntur, perpetiatur, quando quis otium agens corpus motionibus his committit, superatum ab his dissolvitur : at si quis in curando corpore illam imitetur naturam, quam altricem universi vocavimus, ita ut numquam torpere permittat, sed moveat semper, jugique agitatione internis externisque motibus secundum naturam ubique resistat, et moderata quadam commotione oberrantes passiones corporis partesque, cognationis ratione servata, vicissim in ordinem redigat et exornet, secundum sermonem illum superiorem, quem de universo habuimus, nequaquam sinet inimicum inimico admotum prælia in corpore morbosque ciere, sed efficiet potius, ut amicum adhærens amico sanitatem corporis tueatur : omnium vero motuum optimus ille est, qui in semet ex se ipso fit : nam et mentis et totius ipsius motioni cognatissimus est : qui vero ab alio fit, deterior : deterrimus autem motus, quando jacens et quietem agens corpus ab aliis secundum partes movetur : quapropter purgationum constitutionumque omnium corporis, quæ exercitatione gymnastica fit, salu-

berrima est: proxime ad hanc accedit vectio facilis, sive navi, seu quovis alio vehiculo peragatur. Tertia commotionis species tunc demum, quum summa cogit necessitas, utilis, aliter vero nullo modo sanæ mentis homini suscipienda: medicorum illa purgatio est, quæ pharmacis, id est, solutivis medelis, fieri solet: morbi enim nisi periculosissimi sint, pharmacis irritandi non sunt: omnis namque morborum constitutio animalium naturæ quodammodo similis est: sane animalium compositio ab ipso generationis exordio certis temporum curriculis terminatur: idque et genus universum patitur, et animal unumquodque ab ortu fatale vivendi spatium in se ipso, exceptis necessariis passionibus, continet: etenim trianguli ab ipso initio singulorum vim possidentes, usque ad certum tempus sufficienter ad usum vitæ cohærent: ultra id vita nemini prorogatur: idem quoque constitutionis modus languoribus convenit, quos si quis citra fatalem temporis cursum pharmacis amputare contenderit, ex parvis ingentes, ex paucis multi evadere consueverunt: quapropter diligentia victus corrigendi et gubernandi sunt morbi, prout cuique datur otium: neque difficile infestumque malum pharmacis instigandum: ac de communi quidem animali et parte illius corporea, qua diligentia regenda et gubernanda sint, ut ratio vivendi servetur, satis sit dictum: ipsum vero, quod gubernaturum est, multo magis ac prius ita pro viribus instruendum est, ut quam optime atque pulcherrime ad regendum sit præparatum: exacta quidem hujus rei discussio propriam sibi et integram disputationem exigeret; quantum vero forte ad id, quo de agimus, attinet, si quis per superiorum vestigia gradiatur, non absurde sic maxime procedendo ad commodum istorum finem perveniet: sæpe in superioribus diximus tres esse animæ species in nobis trifariam distributas, singulasque suos motus habere: ita tunc paucis concludamus, quæcumque illarum torpet et a suis motibus otium agit, imbecillimam necessario reddi; quæ vero agit assidue, robustissimam: quapropter danda est opera, ut species singulæ motus suos inter se moderatos convenienti tenore conservent: de præstantissima igitur animæ nostræ specie ita est sentiendum: nempe hanc Deus, ut dæmonem nostrum, cuique tribuit: hanc in summa corporis arce sedem habere dicimus, atque ad cæli cognationem a terra nos tollere, tamquam animalia cælesti potius quam terreno semine nata: quod quidem recte admodum dicitur: unde enim primus animæ datus est ortus, inde divina vis caput

radicemque et originem nostram pendentem suspendens, totum dirigit corpus: in eo igitur, qui concupiscentiæ et ambitiosæ iracundiæ affectibus explendis incumbit, necesse est opiniones omnes mortales fieri, atque eum, quam maxime fieri potest, mortalem prorsus evadere, quum mortalem naturam pro viribus auxerit: at eum, qui totus discendæ veritatis cupiditate flagraverit, atque omnem ejus operam præcipue in hoc uno impenderit, necesse est omnino, si quidem veritatem attingat, immortalia et divina comprehendere; et quatenus humana natura immortalitatem assequi potest, eatenus hunc penitus immortalem evadere, nulla videlicet immortalitatis parte dimissa; quin etiam quum semper divinum colat, ipsumque familiarem dæmonem in se habeat ornatissimum, præcipue beatum fore: cultura autem cujusque omnino una est, proprium cuique pabulum motumque tribuere: ei vero, quod in nobis divinum est, motus cognati sunt universi ipsius cogitationes atque cirquitus: hos itaque sequutum unumquemque nostrum oportet discursiones illas nostras in capite, olim a prima generatione corruptas, per ipsam mundanæ harmoniæ revolutionisque intelligentiam ita corrigere, ut intellectæ rei intelligentem vim secundum pristinam naturam similem reddat, per quam similitudinem vitæ, a Deo optimæ nobis propositæ, et in præsenti tempore et in futuro finem adipiscamur.

Sed jam disputatio illa de universo usque ad generationem hominum nobis proposita finem pæne suum adepta videtur: ceterorum vero animantium generationem, quatenus dumtaxat necessitas postulat, paucis perstringemus: sic enim modum in hac disputatione tenere sibi quisque videbitur: verum de his jam ita dicamus: quicumque virorum injusti timidique vixerunt, quemadmodum probabilis ratio nobis ostendit, in generatione secunda in feminas sunt conversi, quo quidem tempore hanc ob causam Dii coitus amorem machinati sunt: igitur in viris unum quiddam, in feminis alterum vitæ et animæ compos ita composuerunt: ipsum potus discursum, quo per pulmones sub renes in vesicam defluens et spiritui mixtus elisusque depromitur, Dii in fistulæ modum in compactam medullam a capite per cervicem et spinam derivaverunt: quod quidem sperma, id est, semen, in superioribus nuncupavimus: hoc autem, utpote animatum ac respirans, qua parte spirat, per eamdem vitale effluendi desiderium gignit, atque ita generandi amorem nobis inseruit: quocirca pudendorum naturæ

in viris insita vis inobediens atque imperiosa, et quasi animal non exaudiens rationem, furiosarum libidinum violentia subjicere sibi cuncta conatur : vulva quoque matrixque in feminis eadem ratione animal avidum generandi, quando procul a fœtu per ætatis florem aut ultra diutius detinetur, ægre fert moram ac plurimum indignatur, passimque per corpus oberrans meatus spiritus intercludit, respirare non sinit, extremis vexat angustiis, morbis denique omnibus premit, quousque utrorumque cupido amorque quasi ex arboribus fœtum fructumve producunt : ipsum deinde decerpunt, et in matricem velut agrum inspargunt : hinc animalia primum talia, ut nec propter parvitatem videantur necdum appareant formata, concipiunt : mox, quæ conflaverant, explicant, ingentia intus enutriunt, demum educunt in lucem, animaliumque generationem perficiunt : mulieres hunc in modum et feminæ omnes sunt genitæ. Avium autem genus ex nostro ita est apte formatum, ut pro pilis pennas acciperet : in hoc illi homines transeunt, qui simplices et innocentes quum sint, leves tamen sunt et frustra in rebus sublimibus curiosi : quive adeo fatui sunt, ut oculorum judicio confisi hoc altissima quæque firmiter demonstrari posse non dubitent. Gressibilium vero ferarum genus ex his natum hominibus, qui a philosophia penitus alieni ad cælestia numquam oculos erexerunt, ex eo quod volutionibus illis, quæ in capite peragi solent, usi numquam sunt, sed illas animæ partes sequuti, quæ in ventre et pectore dominantur : ex his utique studiis anteriora membra et capita ob ipsam cognationem humi penitus defixerunt : in longum productum ac diversum corporis verticem tenuere, quandoquidem ibi propter desidiam singulorum collisi sunt et confracti circuitus, et ideo, quod quatuor pedum ac etiam plurium est instituta figura, ut insipientioribus Deus majorem ex pedibus multis atque progressu occasionem præstet, per quam magis etiam deflectantur ad terram : eos autem, qui horum insipientissimi erant, corpusque in terram penitus prosternebant, quasi nihil ultra pedibus opus foret, in corpora carentia pedibus et humi serpentia permutarunt. Quartum genus aquaticum est, ex illis natum, qui stolidissimi et imperitissimi fuerant : quos nostri illi transformatores pura respiratione dignos idcirco non judicaverunt, quia propter extremæ transgressionis iniquitatem animam impurissimam prorsus habebant : ideo ex tenui ac pura aeris illa respiratione in aquæ respirationem profundam turbidamque mer-

serunt: unde piscium et ostrearum ac denique aquatilium omnium orta est multitudo: in qua certe mutatione illi ex sedium extremarum habitatione inscitiæ quoque extremæ dant pœnas: hunc in modum et olim et nunc in se invicem animalia migrant, dum mentis et dementiæ jactura vel adeptione mutantur.

Jam igitur nostra hæc de universo disputatio finem habeat: mortalia enim et immortalia viventia mundus hic sortitus, atque inde completus, ita denique factus est visibile visibilia comprehendens animal, intelligibilis Dei imago, sensibilis, maximus, interminatus, pulcherrimus, perfectissimus, cælum unum hoc atque unigenitum.



M. T. CICERONIS

PROTAGORAS

EX PLATONE.

Quid tu[1]? unde tandem appares, o Socrate[2]? an id quidem dubium non est, quin ab Alcibiade?

Nunc a vobis[3], Protagora et Socrate, postulo, concedatis alter alteri, et inter vos de hujusmodi rebus controversemini, non concertetis[4].

Quæ igitur potest esse[5] indignitas voluptatis ad mo-

1. *Quid tu?* etc. Est initium Protagoræ apud Platonem. — E Prisciano, lib. VI. Grammaticus vero interrumpit forte orationem; nam amplius est in Platone: Πόθεν, ὦ Σώκρατες, φαίνῃ; ἢ δηλαδὴ ὅτι ἀπὸ κυνηγεσίου τοῦ περὶ τὴν Ἀλκιβιάδου ὥραν; J. V. L.

2. *O Socrate.* De hac vocativi casus formula vide Grammat. Voss. IV, 3.

3. *Nunc a vobis.* Plat. Protag. p. 357, 6, ed. Steph. Prodicus loquitur: ἀξιῶ ὑμᾶς ξυγχωρεῖν, καὶ ἀλλήλοις περὶ τῶν λόγων ἀμφισβητεῖν μὲν, ἐρίζειν δὲ μή.—Ex Prisciano, l. VIII. J. V. L.

4. *Controversemini, non concertetis.* Festivissima est in Platone oratio Prodici: lepidissime Plato sophistas in ea jocatur; nec mirum si Gorgias Platonem alterum Archilochum vocaverit. *Barthélemy*, *Voyage d'Anacharsis*, cap. 58, Prodici sermonem sic imitatus est: « Il s'agit entre vous de *discuter*, et non de *disputer;* car on *discute* avec ses amis, et l'on *dispute* avec ses ennemis. Par là vous obtiendrez notre *estime*, et non pas nos *louanges;* car l'*estime* est dans le cœur, et la *louange* n'est souvent que sur les lèvres. De notre côté, nous en ressentirons de la *satisfaction*, et non pas du *plaisir;* car la *satisfaction* est le partage de l'esprit qui s'éclaire, et le *plaisir*, celui des sens qui jouissent ». J. V. L.

5. *Quæ igitur potest esse.* Platon. Protag. pag. 356, a. edit. Stephan. καὶ τίς ἄλλη ἀναξία ἡδονῇ πρὸς λύπην ἐστὶν, ἀλλ' ἢ ὑπερβολὴ ἀλλήλων, ἢ ἔλλειψις; — Ex Prisciano, lib. VI.

lestiam, nisi in magnitudine, aut longitudine[6] alterius utrius posita?

Confirmandi genera compluria[7].

6. *Longitudine.* Videtur mendosa vox; non enim reddit græcam vocem, ἢ ἔλλειψις. Ficinus autem sic vertit: « Quæ vero alia inest ad dolorem indignitas voluptati, quam excessus inter se, atque defectus? » J. V. L.

7. *Confirmandi genera compluria.* E Donato in Phormionem Terentii, IV, 3, 6. J. V. L. — Non facile est dicere quo in loco versionis hæc verba posita fuerint. Forsan præfigebantur orationi qua sophista societatis originem explicat, adhibita ingeniosa allegoria, quam retulimus in opere nostro, *Pensées de Platon*, p. 268. Nempe est in græco contextu ἀλλὰ πότερον ὑμῖν μῦθον λέγων ἐπιδείξω. Num hoc tibi confirmabo allata fabula? Cui forsan interrogationi respondebat Protagoras, « Inter *confirmandi genera compluria*, eligamne allegoriam? » J. V. L.

M. T. CICERONIS

ŒCONOMICORUM,

EX XENOPHONTE, LIBER PRIMUS[1].

... Homo[2] ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur.

... Quid igitur[3], proh deum immortalium, primum eam docebas, quæso?

Maritale conjugium[4] sic comparatum est natura, ut non solum jucundissima[5], verum etiam utilissima

1. *Liber primus.* Xenophontis OEconomica uno libro continebantur. Ea Cicero in tres libros partitus est, ut patet e grammaticorum citationibus. Videtur in primo disseruisse de curis quæ sub tecto mulierem manent; in secundo, de officiis patrisfamilias; in tertio, de agrorum cultura. Inter Veteres qui de hoc Ciceronis opere loquuti sunt, alii ut Aul. Gell. XV, 5; D. Hieronym. Præf. ad Chron. Euseb. ei operi nomen inscribunt *OEconomicus*, sequuti, ut videtur, Ciceronem ipsum de Off. II, 24; de Senect. cap. 17: alii, ut Macrob. Saturn. III, 20, appellant *OEconomica*, vel *OEconomici libri*, ob divisionem in tres libros. Idem de libris qui ab aliis *Academica*, ab aliis *Academici* nuncupantur. Vide supra, Introd. in Academ. pag. 1.

2. *Homo*, etc. E Prisciano, lib. VIII.

3. *Quid igitur... quæso.* E Donato in Terent. Xenoph. OEcon. VII: Πρὸς θεῶν, ἔφην ἐγὼ, κ. τ. λ. Sigonius et Patricius, qui Ciceronis fragmenta collegerunt, hanc sententiam Ciceronis alio loco, inter secundum et tertium fragmentum a Columella servatum, posuerunt. Sed non dubitari potest, quin hæc sententia sit versio græci textus quem retulimus, atque ideo omnes locos a Columella allatos præcedere debeat. J. V. L.

4. *Maritale conjugium.* E Columella, XII, 1. Ex Xenoph. OEcon. cap. VII, § 18, sqq. Ischomachus Socrati narrat colloquium quod cum uxore sua habuit: Ἐμοὶ γάρ τοι, ἔφη φάναι, καὶ οἱ θεοὶ, ὦ γύναι, κ. τ. λ. Edit. V. Cl. *Gail*, t. VI, p. 501. J. V. L.— Ea quæ citavit Columella his verbis incipiunt: « Xenophon Atheniensis in eo libro, qui OEconomicus inscribitur, prodidit maritale conjugium sic comparatum esse natura, ut non solum jucundissima, verum etiam utilissima vitæ societas iniretur: nam primum, quod Cicero ait, ne genus humanum temporis longinquitate occideret, etc. »

5. *Jucundissima.... utilissima...*

vitæ societas iniretur. Nam primum, ne genus humanum temporis longinquitate occideret, propter hoc mas cum femina est conjunctus; deinde ut ex hac eadem societate mortalibus adjutoria senectutis, nec minus propugnacula præparentur. Tum etiam, quum victus et cultus humanus non, uti feris, in propatulo, ac silvestribus locis, sed domi sub tecto accurandus esset, necessarium fuit, alterutrum foris sub dio esse, qui labore et industria compararet; intus, qui tectis reconderet atque custodiret: si quidem[6] vel rusticari, vel navigare[7], vel etiam alio genere negotiari necesse erat, ut aliquas facultates acquireremus; quum vero paratæ res sub tectum essent congestæ, alium esse oportuit, qui et allatas custodiret, et cetera conficeret opera, quæ domi deberent administrari. Nam et fruges, et cetera alimenta terrestria indigebant tecto; et ovium ceterarumque pecudum fœtus atque fructus clauso custodienda erant, nec minus reliqua utensilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur[8]. Quare quum et operam, et diligentiam ea, quæ proposuimus, desiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quæ domi custodiri oporteret: jure, ut dixi, a natura comparata est opera mulieris

iniretur. Ex his Schneider arbitratur aliquid deesse Xenophontis contextui, ὅπως ἔτι ὠφελιμώτατον ᾖ αὐτῷ εἰς τὴν κοινωνίαν. Sed potius credendum est Ciceronem non verbum verbo expressisse, sed Xenoph. sententiam dilatavisse. J. V. L.

6. *Si quidem*. Nobis melior interpunctio videretur, si ante *si quidem* puncto maximo distingueretur, ut voces illæ *si quidem* non præcedenti sententiæ, sed sequenti, cohærerent; ut est in gallic. vers.

7. *Vel navigare*. De navigatione tacet Xenophon: sed pluribus verbis sensum vocis *rusticari* dilatat, καὶ γὰρ νέατος, καὶ σπόρος, καὶ φυτεία. Forsan pro σπόρος Cicero legit πόρος. Et infra quum scribit « ovium ceterarumque pecudum fœtus atque fructus », non eumdem sequi Xenoph. textum videtur, ac nos habemus, in quo est νεογνῶν τέκνων, quod rectius accipias de pueris recens natis. J. V. L.

8. *Excolitur*. Int. Vestitur, et contra frigus defenditur. Infra pro *a natura comp*. Schneider in Columell. *natura comp*. male. J. V. L.

ad domesticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forensem et extraneam. Itaque viro calores, et frigora perpetienda, tum etiam itinera, et labores pacis ac belli, id est, rusticationis, et militarium stipendiorum, distribuit; mulieri deinceps, quod omnibus his rebus fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tradidit[9]... Et quoniam hunc sexum custodiæ et diligentiæ assignaverat, idcirco timidiorem reddidit, quam virilem; nam metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi. Quod autem necesse erat foris et in aperto victum quærentibus nonnumquam injuriam propulsare, idcirco virum, quam mulierem, fecit audaciorem. Quia vero partis opibus æque fuit opus memoria et diligentia : non minorem feminæ, quam viro, earum rerum tribuit possessionem... Tum etiam, quod simplex natura non omnes res commodas[10] amplecti volebat, idcirco alterum alterius indigere voluit; quoniam, quod alteri deest, præsto plerumque est alteri.

Nam vetus est proverbium[11], paupertatem certissimam esse, quum alicujus indigeas, uti eo non posse, quia ignoretur, ubi projectum jaceat, quod desideretur.... Itaque in re familiari laboriosior est negligentia, quam diligentia[12]. Quis enim dubitet, nihil

9. *Domestica neg. cur. tradidit:* Idem fere expressit nostras *Rousseau*, *Discours sur l'inégalité des conditions:* « L'habitude de vivre ensemble fit naitre les plus doux sentiments qui soient connus des hommes, l'amour conjugal et l'amour paternel.... Les femmes devinrent plus sédentaires, et s'accoutumèrent à garder la cabane et les enfants, tandis que l'homme allait chercher la subsistance commune, etc. »

10. *Commodas*. Schneider, *commode*. Frustra. J. V. L.

11. *Nam vetus est prov.* E Colum. XII, 2. Hæc sunt in Xenoph. OEcon. VIII, 2 : Ἔστι μὲν γὰρ πενία αὕτη σαφής, τὸ δεόμενόν τινος μὴ ἔχειν χρῆσθαι. Edit. V. Cl. *Gail*, tom. VI, p. 514. J. V. L.

12. *Laboriosior... quam dil.* Int. negligentia majorem parit laborem quam diligentia, quia diligens numquam

esse pulchrius in omni ratione vitæ, dispositione atque ordine? quod etiam ludicris spectaculis licet sæpe cognoscere. Nam ubi chorus canentium non certis modis atque numeris præeuntis magistri consensit, dissonum quiddam ac tumultuosum audientibus canere videtur. At ubi certis numeris ac pedibus, velut facta conspiratione, consensit atque concinuit; ex ejusmodi vocum concordia, non solum ipsis canentibus amicum quiddam et dulce resonat, verum etiam spectantes audientesque lætissima voluptate[13] permulcentur.

Præparatis[14] idoneis locis, instrumentum et supellectilem distribuere cœpimus, ac primum ea secrevimus, quibus ad res divinas uti solemus; postea mundum muliebrem, qui ad dies festos comparatur; deinde virilem[15]; item dierum solemnium ornatum, nec minus calceamenta utrique sexui convenientia; tum jam seorsum arma ac tela seponebantur, et in altera parte instrumenta, quibus ad lanificia utuntur; post, quæ ad cibum[16] conficiendum vasa, ut assolent, constituebantur; inde, quæ ad lavationem, quæ ad exornationem[17], quæ ad mensam quotidianam atque

laborat in quærendis rebus, quas certo loco posuit. — Hunc nostri locum videtur Servius respexisse, in commentario super versum 703, lib. I, Æn. « Quinquaginta intus famulæ quibus ordine longo ». J. V. L.

13. *Voluptate permulcentur.* Schneider multo plura hic, ut passim, e Cicerone laudata a Columella putat: nos Sigonium et Patricium sequimur. J. V. L.

14. *Præparatis idoneis locis.* E Columella, XII, 3. Xenoph. Œcon. IX, 6: Ἐπεὶ δὲ ταῦτα διήλθομεν, ἔφη, οὕτω δὴ ἤδη κατὰ φυλὰς διεκρίνομεν τὰ ἔπιπλα. Edit. V. Cl. *Gail*, tom. VI, pag. 530. J. V. L.

15. *Deinde virilem.* Nobis videtur legendum cum Schneidero, *deinde ad bella virilem*, εἰς ἑορτὰς καὶ πόλεμον. J. V. L.

16. *Quæ ad cibum conficiendum vasa, ut assolent.* Al. rectius forte, « quibus ad cibum conficiendum vasis uti assolent ». J. V. L.

17. *Quæ ad lavationem, quæ ad exornationem.* Patet Ciceronem non eumdem textum, ac nos habemus, sequutum esse: namque si verbis *ad lavationem* vertit ἀμφὶ λουτρὸν, vox

epulationem pertinerent, exponebantur. Postea ex iis, quibus quotidie utimur, quod menstruum esset, seposuimus: quod annuum quoque, in duas[18] partes divisimus; nam sic minus fallit, qui exitus futurus sit[19]. Hæc postquam omnia secrevimus, tum suo quæque loco disposuimus: deinde quibus quotidie servuli utuntur, quæ ad lanificia, quæ ad cibaria coquenda et conficienda pertinent, hæc ipsa iis, qui uti solent, tradidimus, et, ubi ea ponerent, demonstravimus, et, ut salva essent, præcepimus. Quibus autem ad dies festos et ad hospitum adventum utimur, hæc promo[20] tradidimus, et loca singula demonstravimus, et cuique sua annumeravimus, atque annumerata ipsi exscripsimus, eamque admonuimus[21], ut quodcumque opus esset, sciret, unde daret; et meminisset atque adnotaret, quid, et quando, et cui dedisset; et, quum recepisset, ut quidque suo loco reponeret.

ad exornationem non exprimit græcum ἀμφὶ μάκτρας. In Indice *Zeune* sic hoc verbum explicatur: « Vas, in quo farina subigi solet ». Sed V. C. *Gail*, t. VII, part. 2, p. 177, recte observat jam supra auctorem de panificiis utensilibus tractavisse; et collatis multis Polybii, VII, 168; X, 30; Pollucis, VI, 65; X, 102, 181, et Hesychii voc. Μαγίδες, locis, concludit vocem μάκτρα notare vas balnearium; et Schweighæuser dicit secundum Polybium: « In mactra duo homines simul lavari possunt ». Forsan et voces ἄλλη τῶν ἀμφὶ λουτρὸν nihil aliud sunt quam glossa earum ἄλλη ἀμφὶ μάκτρας; vel forsan λουτρὸν notat domini labrum, et μάκτραι balneum servorum: forsan et μάκτρα simpliciter notat *aiguière*, *cuvette*, quod magis *ad exornationem* pertinet. J. V. L.

18. *In duas partes.* Minus recte sic vertitur δίχα. Zeunius, ut Ciceronem defendat, scribit, « in suas partes ». J. V. L.

19. *Nam sic minus fallit, qui exitus futurus sit.* Vertit *Leclerc*: « C'est le moyen le plus sûr de n'être pas pris au dépourvu ».

20. *Hæc promo.* Al. male, *primo*. Sed legendum esset, *promæ*, τῇ ταμίᾳ, si verbum hoc Latini agnoscerent.

21. *Eamque adm.* Schneid. maluit, « eumque admonuimus ». J. V. L.

M. T. CICERONIS ŒCONOMICORUM, EX XENOPHONTE, LIB. II.

Utrumne, Ischomache[1], inquam, si res familiaris desiderasset, mercari villicum tamquam fabrum, an ipse instituere consuevisti? — Ego vero ipse instituo. Etenim qui me absente in meum locum substituitur, et vicarius meæ diligentiæ succedit, is ea, quæ ego, scire debet[2].

EJUSDEM ŒCONOMICORUM, EX XENOPHONTE, LIB. III.

Nullo modo facilius[1] arbitror posse neque herbas arescere, et interfici, neque terram ab sole percoqui.

Quum vero affecta[2] jam prope æstate, uvas a sole mitescere tempus est.

Neque serit vitem[3], neque, quæ sata est, diligenter colit; oleum, ficus, poma non habet.

II. 1. *Utrumne, Ischom.* E Colum. XI, 1, Socrates loquitur. Xenoph. OEconom. XII, 3: Πότερα δὲ, ἐγὼ ἔφην, ὦ Ἰσχόμαχε, ὅταν δεηθῇς ἐπιτρόπου, καταμαθὼν, ἤν που ᾖ ἐπιτροπευτικὸς ἀνὴρ, τοῦτον πειρᾷ ὠνεῖσθαι, κ. τ. λ. Edit. *Gail*, tom. VI, pag. 561. In Columella sic fragmentum hoc inducitur: « Itaque in OEconomico Xenophontis, quem M. Cicero latino sermoni tradidit, egregius ille Ischomachus Atheniensis, rogatus a Socrate, utrumne.... an a se instituere consuerit, etc.» Directo sermone mallem *consuesti*. J. V. L.

2. *Quæ ego, scire debet.* Ut nihil desit fragmentis quæ Columella e Cicerone decerpsit, in Supplemento ponimus quosdam Columellæ locos, quos Schneider arbitratur a Columella e versione Ciceronis desumptos. Vide Supplementum ad calcem OEconomic.

III. 1. *Nullo modo facilius.* E Nonio voc. *interfici.* Xenoph. OEc. c. 16, § 14: Οἶδα μὲν οὖν ἀκριβῶς, ὅτι οὐδαμῶς ἂν μᾶλλον ἡ μὲν ὕλη ἐπιπολάζοι καὶ αὐαίνοιτο ὑπὸ τοῦ καύματος, ἡ δὲ γῆ ὀπτῷτο ὑπὸ τοῦ ἡλίου, ἢ εἴ τις αὐτὴν, ἐν μέσῳ τῷ θέρει καὶ ἐν μέσῃ τῇ ἡμέρᾳ κινοίη τῷ ζεύγει. — Modus quem proponit Ischomachus, is est ut terra aretur media æstate et medio diei æstu. J. V. L.

2. *Quum vero affecta.* E Gellio, XV, 5; Nonio voc. *profligare.* Xenophon. ibid. c. 19, § 19: Οταν δὲ καιρὸς ᾖ ὑπὸ τοῦ ἡλίου, ἤδη γλυκαίνεσθαι τὰς σταφυλάς.

3. *Neque serit vitem.* E Macrobio, Saturn. III, 20. (Fere omnes, III, 10. Male. Addunt etiam *Qui*, ante *neque.* Contra Macrobium, et ipsum Xenophontem.) J. V. L. — Macrobius enim ait: « Cicero OEconomicon libro tertio:

Apes in alvearium concesserunt[4].

Quum ad Cyrum minorem[5], regem Persarum, præstantem ingenio atque imperii gloria, Lysander Lacedæmonius, vir summæ virtutis, venisset Sardis, *et quæ sequuntur.*

... Scrobes[6].

Neque serit vitem, neque quæ sata est, diligenter colit; oleum, ficos, poma non habet». Apud Xenophontem, XX, 4, sic legitur : Οὐδ' οἶνον ἔχει ἀνήρ· οὐ γὰρ ἐπιμελεῖται ὡς φυτεύσῃ ἀμπέλους, οὐδὲ αἱ οὖσαι ὅπως φέρωσιν αὐτῷ· οὐδὲ ἔλαιον οὐδὲ σῦκα ἔχει ἀνήρ, etc. SCH.

4. *Apes in alvearium concesserunt.* E Sosipatr. Charicio, lib. I. Legendum *congesserunt.* — Apud Xenophontem OEc. XVII, 14, est : Ὥσπερ οἱ κηφῆνες διαρπάζουσιν ἄχρηστοι ὄντες τῶν μελισσῶν, ἃ ἂν ἐκεῖναι ἐργασάμεναι.... καταθῶνται. SCH.

5. *Quum ad Cyrum minorem.* E Cicerone ipso, de Senectute, c. 17. Quam narrationem omnem, usque ad *fortuna conjuncta est*, Patricius dedit; sed res tantum exscribit Cicero, non verba. J. V. L. — Xenoph. OEcon. IV, 20.

6. *Scrobes.* Servius ad Virgil. Georg. II, 288 : « Scrobes, inquit, sunt masculini generis. Nam Cicero in OEconomicis sic dicit ». Non addit autem quid Cicero dixerit, unde verba Ciceronis apud Servium librariorum culpa videntur excidisse. Ceterum græca verba βόθρος et βόθυνος, quæ sic vertuntur, apud Xenophontem occurrunt, OEcon. XIX, 3, 7. SCHUTZ.

SUPPLEMENTUM
AD ŒCONOMICOS.

Fragmenta quædam ponimus e Columella, quæ Schneider putat e Ciceronis versione a Columella desumpta.

Xenoph. Œcon. VIII, 4 : « Jam vero in exercitu, neque miles, neque imperator sine ordine ac dispositione quidquam valet explicare, quum armatus inermem, eques peditem, plaustrum equitem, si sint permixti, confundant ».

Ibid. VIII, 10 : « Nam et unumquodque facilius consideratur, quum est assignatum suo loco, et, si quid forte abest, ipse vacuus locus admonet, ut, quod deest, requiratur. Si quid vero curari aut concinnari oportet, facilius intelligitur, quum ordine suo recensetur ».

Ibid. VIII, 16 : « Hæc eadem ratio præparationis atque ordinis etiam in navigiis plurimum valet; nam ubi tempestas incessit, et est rite disposita navis, suo quidque ordine locatum armamentum sine trepidatione minister promit, quum est a gubernatore postulatum ».

Ibid. IX, 3 : « Quod excelsissimum est conclave, pretiosissima vasa et vestem desiderat; quod denique horreum siccum atque aridum, frumentis habetur idoneum; quod frigidum, commodissime vinum custodit; quod bene illustre, fragilem supellectilem atque ea postulat opera, quæ multi luminis indigent ».

Ibid. IX, 11 : « In primis considerandum erit, an a vino, ab escis, a superstitionibus, a somno, a viris remotissima sit (villica), et ut cura eam subeat, quid meminisse, quid in posterum prospicere debeat... et tam malum vitare, quam præmium recte factorum sperare ».

Ibid. IX, 14 : « Postremo his rebus omnibus constitutis,

nihil hanc arbitror distributionem profuturam, nisi villicus sæpius, et aliquando tamen dominus aut matrona consideraverit animadverteritque, ut ordinatio instituta conservetur. Quod etiam in bene moratis civitatibus semper est observatum; quarum primoribus atque optimatibus non satis visum est bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos cives creassent, quos Græci νομοφύλακας appellant. Horum erat officium, eos, qui legibus parerent, laudibus prosequi, nec minus honoribus; eos autem, qui non parerent, pœna multare ».

Xenoph. OEcon. X, 10 : « Denique uno loco quam minime oportebit eam consistere; neque enim sedentaria ejus opera est; sed modo ad telam debebit accedere, ac, si quid melius sciat, docere; si minus, addiscere ab eo, qui plus intelligat; modo eos, qui cibum familiæ conficiunt, invisere; tum etiam culinam et bubilia, nec minus præsepia mundanda curare... promis quoque et cellariis aliquid appendentibus aut metientibus intervenire ».

Ibid. XII, 10 : « Somni et vini sit abstinentissimus villicus, quæ utraque sunt inimicissima diligentiæ; nam et ebrioso cura officii pariter cum memoria subtrahitur, et somniculosum plurima effugiunt : quid enim possit aut ipse agere, aut cuiquam dormiens imperare? Tum etiam sit a venereis amoribus aversus; quibus si se dediderit, non aliud quidquam possit cogitare, quam illud, quod diligit. Nam vitiis ejusmodi pellectus animus, nec præmium jucundius, quam fructum libidinis, nec supplicium gravius, quam frustrationem cupidinis existimat ».

Hæc omnia parum fideliter Xenophontis textum exprimunt. Mea quidem sententia in his multa occurrunt, quæ Ciceronis orationem non redolent; ita ut ea solum a Cicerone genuina arbitremur, quæ priores editores e Columella desumpserunt. J. V. L.



TABULA

RERUM QUÆ IN CICERONIS TERTIÆ PARTIS PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS PRIMI VOLUMINIS.



Conditions de la Seconde Souscription.

La collection complète des *Classiques Latins* se compose de 150 gros volumes grand in-8 beau papier, imprimés par Didot, et entièrement publiés, à 4 fr. 50 c. le volume; total : 675 fr. au lieu de 1981 fr. 50 c., prix de la première souscription.

Les livraisons seront de 2 ou 4 volumes tous les dix jours, ou d'un plus grand nombre, au choix des souscripteurs. On versera, en souscrivant, 9 fr. imputables sur les deux derniers volumes. Pour les départements et l'étranger, chaque ballot de 10 volumes coûtera en sus pour l'emballage 50 c., et 75 c. pour 20 volumes; le port à la charge du souscripteur.

En prenant dès à présent livraison de toute la collection, les 150 volumes ne coûteront que 625 fr. y compris emballage et port pour la France; 330 fr. pour chaque moitié, et 170 fr. pour chaque quart de la collection.

Après les 25 premiers souscripteurs le prix sera porté à 6 fr. le volume.

Vu le petit nombre d'exemplaires on ne servira que les 50 premiers souscripteurs à la collection complète.

Quelques exemplaires des divers auteurs se vendent séparément au prix de :

vol.		fr.		fr.
1	Catulle,	6	au lieu de	16.
20	Cicéron,	100	—	305.
3	Claudien,	11	—	37.
1	Florus,	6	—	13.
3	Horace,	18	—	38.
1	Justin,	6	—	16.
3	Juvénal et Perse,	16	—	49.
2	Juvénal seul,	12	—	32.
3	Lucain,	16	—	38
3	Martial,	16	—	48.
10	Ovide,	60	—	125.
1	Les Métamorphoses en grec,	6	—	16.
2	Phèdre,	12	—	37.
4	Plaute,	24	—	61.
13	Pline l'ancien,	65	—	186.
2	La zoologie avec notes de Cuvier,	12	—	30.
2	Pline le jeune,	10	—	25.

vol.		fr.		fr.
1	Properce,	8	au lieu de	16.
3	Quinte-Curce,	17	—	50.
7	Quintilien.	35	—	94.
10	Sénèque, phil. et trag.	50	—	146.
2	Sillus Italicus,	10	—	32.
4	Stace,	20	—	61.
2	Suétone,	14	—	36.
3	Térence,	16	—	38.
1	Tibulle,	6	—	16.
13	Tite-Live,	65	—	163.
2	Val. Flaccus,	10	—	27.
3	Val. Maxime,	13	—	35.
1	Vell. Paterculus,	6	—	16.
8	Poetæ minores,	36	—	113.
4	César.			
1	Corn. Nepos,	Ne se vendront pas séparement.		
1	Salluste,			
6	Tacite,			
9	Virgile,			

SOUS PRESSE :

T. LUCRÈCE, servant de complément à la Collection.

2 VOLUMES, qui seront livrés aux souscripteurs à la collection complète, au prix des autres volumes.

N. B. Quelques volumes incomplets de la première souscription circulant dans le commerce, on ne garantit que les exemplaires revêtus de la présente couverture et provenant de la seconde souscription.

Imprimerie de H. Fournier et comp., rue de Seine, 14.

